

DIVI TVTELARES ORBIS CHRISTIANI: OPVS SINGVLARE.

IN QUO DE SANCTIS REGNORVM, PROVINCIARVM, VRBIVM MAXIMARVM PATRONIS AGITVR

ANTONIO MACEDO

SOCIETATIS IESV,

LUSITANO CONIMBRICENSI

AVTHORE.

VLYSSIPONE.

Ex Typographia MICHAELIS DESLANDES,

Anno M.DC.LXXXVII.

Cum facultate Superiorum.

DIVI TVTELARES
ORBIS CHRISTIANI:
OPVS SINGVLARE.

IN QUO DE SANCTIS
REGNORVM, PROVINCIARVM, VRBIVM
MAXIMARVM

PATRONIS AGITVR
ANTONIO MACEDO

SOCIETATIS IESV,
LVSITANO CONIMBRICENSI
AVTHORE.

VLYSSIPONE.
Ex Typographia MICHAELIS DESLANDES,
Anno M.DC.LXXXVII.
Cum facultate Superiorum.

MAGNO DVCI ETRVRIÆ
COSMO III.
EPISTOLA NVNCVPATORIA.

ETSI tua, Magne Dux, Augustissima Personæ maiestas deterrebat humilitatem meam, ne accederem, & Celsitudinem Tuam interpellarem; tamen illa non minùs tuis, quã alijs gentibus nota Clementia; animum erexit, allexitque meum, ut hoc qualecumque opusculum litterarium multis vigilijs, laboribusque confectum Tibi offerre non dubitarem. Ecquis enim in universa Europa Princeps invenitur, cujus humanitas ergà alias nationes magis omnium præconijs celebretur, magis in admiratione habeatur? Testor quotquot tuam per Etruriam Italiæ videndæ causâ, transeunt peregrinos, quos tuæ benignitatis fama à remotis etiam regionibus attraxit, & rerum tuarum spectatores, seu admiratores Florentia habuit: quasi natus ad universi orbis commodum fores, & omnium gentium benevolentiam colligendam. Quæ cùm multorum dictis, encomijsq; efferri jampridem inaudissem, dum inter Lusitaniæ, remotæ regionis, angustias detinerer, propriâ experien-

rientiâ vera esse didici, & minora dictis esse comperi, cum paucis ante annis Florentiam tuam, Vrbem pulcherrimam pertransivi, in qua Serenissimi Duces Etruriæ sedem planè regiam posuerunt; ibique à longa me, & periculosa navigatione fatigatum humanissimè excepisti, & quod caput est, rhedam, qua inde Romam veheret, commodasti; non alio, quàm benefaciendi viris religiosis studio motus, & Lusitanæ gentis, quam magni facis, beneficijs cumulandæ. Hæc mihi fecerunt animos, Dux Serenissime, & morantem præ timore, ac reverentia impulerunt, ut accederem, & nomini tuo dicarem qualecumque istud de Divis Tutelaribus opus, quod Tanti Principis umbra tectum, ac tutela defensum, publicam lucem aspicere non verebitur.

Valeat Celsitudo Tua in annos plurimos ad Religionis Catholicæ bonum, ac Reip. litterariæ decus, & patrocinium.

ANTONIVS MACEDO S.I.

PROŒMIUM.

QUAM fuerit apud Veteres mos solemnis adsciscendi sibi Divos Tutelares, & Patronos cùm sacræ, tùm profanæ litteræ abundè testantur: ijs omnia Romæ plena fuisse tradit Joannes Jacobus Chiffletius, vir eruditus part. 1. suæ Vezontionis cap. 14. Saguti, in vetusta Hispaniæ urbe à Carthaginensibus funditùs excissa portæ *Tervelæ* nomine hujusmodi inscriptio ad hanc usque diem visitur: *Chiffletius in suâ Vezontione.*

Saguntus Patronis sex: *Diagus in Annal. Valent. l.2. fol.19.*

quorum nomina legi non possunt nimia vetustate consumpta. Troiæ quondàm Apollo, Romæ Jupiter, Juno Carthaginis, Athenarum Minerva, Ephesi Diana, Parthenopes Castor, & Pollux fratres Tutelares erant, ut alias minoris nominis urbes omittamus. Byzantij alatus genius sub Constátino Magno Imperatore ejusdem fortasse urbis præses, inventus fuit. Annis etiam, & mensibus suos Ethnici Patronos assignarunt, sub quorum tutela, & patrocinio fausta, & felicia decurrerent tempora victorijs clara, rebus læta: sic Janus totius anni, Januarij mensis Juno, Februarij Neptunus, Martij Minerva, Venus Aprilis, Apollo Maij, Junij Mercurius, Jupiter Julij, Augusti Ceres, Vulcanus Septẽbris, Mars Octobris, Novembris Diana, Vesta Decembris præsides erant. His accedit Tertulliani gravissimi, & antiquissimi Authoris testimonium in suo Apologetico: *Per universas*, inquit, *Imperij provincias, oppidaque videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes.* Idem olim honos viris illustribus, ac de Republica bene meritis deferri consuevit, ut probat illud Apulei: *At tibi civitas omnis pro ista gratia honores egregios obtulit, nam & patronum scripsit, & ut in ære staret imago tua, decrevit.* In quem locum noravit Beroaldus singulas olim urbes Patronos habuisse Romæ, qui illarum bono, & causis consulerent; hujusmodi verò nomen, & munus in

Besheni. p. 134. *Joann. Tamaius Salasar de SS. Hispan. part. 1. pag. 5.* *Tertull. in Apologet. c. 4.* *Apuleius.* *Beroaldus.*

Alemannus de Parietin. Lateran. pag. 95.

Defensoris posteà transijsse creditur ex epistola quadam Caroli Magni Imperatoris.

Servius in Virgil. *S. Isidor. c. 5. etim. lib. 10.* *Cato Maior.* *Aulus Gellius l. 5. Noct. Attic. c. 13.*

Cæterùm *Patronos* dicimus quasi *Patres*, ut ex Sancto Isidoro, & Servio colligitur: hic in VI. Librum Æneidos sic: *Patroni quasi Patres: tantundem est clientem, ac filium fallere.* Ille libro 10. etymolog. *Patroni à patribus dicti sunt, quia ejusmodi affectum clientibus exhibeant, ut quasi patres illos regant.* Cato Maior eumdem honorem Patronis, ac Patribus haberi volebat, ut refert Aulus Gellius. Parem ferè potestatem concedunt humanæ leges Patronis erga clientes, atque concedit jus ipsum à natura mentibus insitum Patribus erga filios, tum circa pœnas, & supplicia in noxios, & rebelles; tum in benemoratos, ac nutui obsequentes circa præmia, & favores, ut deducitur ex legibus, & sanctionibus Imperatorum Antonini, Constantini Magni, Theodosij Senioris, & Justiniani.

Clement. III. PP. Max. decret. tit. 38. de jur. patron. cap. nobis 25.

Sacri prætereà Canones ijs concedunt jus patronatûs qui suis sumptibus, opibusque Dei, & Sanctorum Ecclesias ædificari curarunt, quòd illis existentiam tribuant (Jurisperitorum more loquimur) quemadmodùm Patres filijs: *Sicut pater filium* (dicunt illi) *sic Patronus rem de non esse ad esse reducit:* indè profectum ut Sanctis, ac Dei amicis Patronorum titulus, & honos jure optimo tribuatur: Ethnicos enim, dum in vivis essent, à dæmonum mancipijs in Dei filios asseruerunt, ijsque doctrinæ Evangelicæ lac, ac prima Fidei rudimenta, seu parvulis, instillarunt: Ædes etiam sacras erexerũt in divinum cultum; & rem Christianam de non esse ad esse opera, & industria sua reduxerunt. Idipsum suis confirmant testimonijs Sanctus Joannes Chrysostomus, & Sanctus Isidorus Pelusiota: *Consequitur* (dicunt illi) *Patroni titulus, honorque in Christo Fidei Magistrum, ac parentem jure quodam individuo.*

S. Joan. Chrys. hom. 31. ad pop. Antioch. *S. Isidor. Pelusiotã lib. 2. epist. 174.*

Multæ, ac idoneæ adduci solent ab Authoribus rationes, ob quas Deiparam V. & Sanctos cum Deo regnantes Patronorum titulis, & honoribus afficiamus; quas singillatim percurrere, ac describere operæ pretium erit, & instituto nostro consentaneum. Prima, quia apud nos nati, educative fuerunt: hanc nobis inculcat Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis homilia de Beatis Martyribus Epipodio, & Maximo his verbis: *Indigenarum Martyrum cultus sicut peculiare*

S. Eucher. Lugdun.

dat

dat gaudium, ita proprium requirit affectum. Eamdem clariùs exprimit S. Joannes Hierosolymitanus in Vita S. Joannis Damasceni: *Civitas hæc*, inquit, *rectè de hoc suo germine gloriatur, extollitur, & gaudet, longoque justiùs quàm de omnibus alijs; quæ illi magnum nominis splendorem affectare videntur.* Accedit D. Ambrosius in Natali Martyrum Taurinensium in hunc modum: *Martyr enim sibi patitur ad requiem, civibus suis ad salutem.* Secunda, quia ijs in Regnis urbibusvè martyrij palmam obtinuerunt, à quibus proinde Tutelares delecti sunt: ibi namque martyrum natales esse dicuntur, ubi pro Christo sanguinem fuderunt, ut apud Ecclesiasticæ Historiæ scriptores certius est, quàm ut probatione indigeat: hanc ob rem S. Ennodius affirmat peculiares Romanorum esse Patronos Apostolorum Principes Petrum, & Paulum Romæ martyriũ passos, etsi omnes mundi regiones suo illi patrocinio tueri, ac protegere dicantur: *Quamvis eorum benedictio*, inquit, *orãtibus ubique præstetur, negari tamen non potest dilectionis natali solo plus tribui, & maiorem affectum locis impetrari, de quibus ad suprema transitur.*

S. Joann. Hierosol.

S. Ambr. Serm. 77.

Prudentius Poeta.

Tertia; Martyrum corpora, vel Reliquiæ nonnullis regnis, urbibusvè donatæ, ibique à Fidelibus Religiosè cultæ, in causa fuerunt, ut ab incolis in Patronos eligerentur, ut habetur in Synodo Africana V. Can. 51. & in Cõcilio Aquisgran. cap. 42. quod sua confirmat authoritate S. Ambrosius Sermone supracitato de Beatis Martyribus Taurinensibus: *Cuncti Martyres*, ait, *devotissimè percolendi sunt; sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.* Quarta ratio, quæ illas gentes, vel urbes impulit, ut Divos Tutelares, vel Patronos sibi adlegerent, fuerunt beneficia ipsorum interventu à Deo impetrata.

Concilium Afric.
Concil. Aquisgran.
S. Ambrosius.

Portò illæ nobiliores habentur urbes, & provinciæ, quæ pluribus Sanctorum memorijs, & sacris eorum pignoribus abundant: quamobrem pio sæpè studio, ac religione motæ inter se contendere visæ fuerunt circa Sanctos Tutelares, quorum corpora, vel reliquias unaquæque sibi vendicabat, & ad se pertinere dicebat; cùm certò sibi persuaderent, quæ plures haberent Patronos pietatis laude illustres, eas cæteris nobiliores fore: idque planè confirmat egregium Simonis Stylitæ exemplum. Servabatur Sancti viri corpus in Mandra militum præsidio defensum ne vicinorum locorum inco-

læ illud, vel pia vi raperent, vel occulta fraude surriperent, & ad se transferrent. Leone deinde Orientis Imperatore, & Martyrio Antiochiæ Episcopo in hanc ipsam urbem transvectum fuit, ac decenti loco repositum. Non multis post annis institit Imperator ut maioris honoris causa, Constantinopolim, urbem principem, transferretur. Restitere tamen Leoni obfirmatis animis Antiocheni, quia urbs nostra (allegabant ij) muris caret (hos enim paulò ante demoliri jusserat irarum plenus Imperator:) *Sanctissimi viri corpus hùc apportavimus ut nobis muri loco esset, & propugnaculi adversus multos, qui nos undique cingunt, hostes.* Placuit Leoni responsum, & illo ad clementiam flexus, destitit à proposito. Dedere hoc exemplo Cives Antiocheni insigne mortalibus documentum quàm benè muniantur urbes, regnaque Sanctorum virorum patrocinijs, & pignoribus corporum defensa: è cōtra verò quàm facilè capiantur, & expugnentur ab hostibus, illis defensoribus destituta, ut ipsi Antiochiæ, tempore procedente, evenit, ac Nisibi, clarissimæ in Mesopotamia urbi, quæ Sancti Jacobi Episcopi sui corpore, reliquijsque defensa diù stetit armorum gloria, & rerum omnium copia florens; illo verò inde ablato, & in aliam partem avecto, mox à Persis capta, & direpta fuit.

Illud etiam in rem nostram maximè facit quod regnante olim in Judæa Davide contigisse legimus: enim verò cum Hierosolymam, urbem Jebusæorum primariam, armorum vi capere vellet, responderunt Jebusæi: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos*: in quem locū Lyranus ex Rabbi Salomone advertit, cæcos, & claudos Isaac, & Jacob Patriarchas denotasse, quorum statuas supra Urbis portas ad ipsius tutelam collocaverant Jebusæi: quamobrem Dionysius Carthusianus scribit: *Ecce homines etiam Ethnici, tantum honorem tribuebant Sanctorum imaginibus, ut Civitatem suam sufficiēter munitam putarent duplici illa Patriarcharum effigie Isaac, & Jacob.* Jàm tum Sanctos viros urbium suarum Patronos, & Tutelares habere studebant veteres, etsi veri Dei cognitione carerent, & vanæ superstitionis tenebris involuti tenerentur.

Lib. 2. Reg. cap. 5.

Dionys. Carthusian.

Sanctos verò Regnorum, urbiumque Patronos in nostris calamitatibus familiariùs, & fidentiùs invocamus: ad illos enim jure sui patrocinij, & obsequij nostri causa, pertinet urbes illas, & regna tueri, ac illorum bono, & saluti consulere,

lere, quæ in eorum se dedere clientelam: neque illos nostri capit oblivio; neque earum calamitatum, quibus dum vivimus, sumus obnoxij, ignoratione laborant; quippe qui vidētem omnia vident, & de laborum pondere, quibus premimur, divinitùs edocentur.

Cæterùm instituti nostri ratio postulat, ut de Sanctis Patronis Regnorum, & Provinciarum proprijs agamus: quòd si illos non habeant; de maximarum in ijs urbium Patronis tractemus: exēplis res fiet clara. Italia in multos divisa Principes unum aliquem Patronum, vel Sāctum Tutelarem non habet: Germania similiter: nobiliorum igitur earum urbium Patronos in medium producemus: non eorum vitas, & præclara ab ijs facta referendo, cum hic minimè sit instituti nostri scopus proprius, & ad illos pertineat Authores, quibus flores Sanctorum colligere, eorumque Acta describere curæ fuit; sed quæ sint propriæ, ac justæ rationes ob quas fuerint electi ab ijs Regnis, vel Provincijs, urbibùsve Patroni? A quo tempore? quæ suis clientibus beneficia præstiterint, ut suum assererent, & illustrarent patrocinium: quòd si aliquàndo Scriptori à veritatis Scopo aberrare cōtingat, dabunt veniam Lectores pij, & benevoli scribenti de multarum gentium rebus varijs, quamquàm exactam ad veritatem assequendam diligentiam adhibuerit; Romæ potissimùm, in qua is urbe Orbis principe, per viginti ferè annos commoratus est. Si multa omisisse, vel prætérijsse videbimur; plura suggerat eruditus Lector, eaque libēter adjiciemus, & in lucem dabimus, & gratiam publicè, privatimque reponemus.

LI-

LICENÇAS.

Facultas Provincialis.

EGo Andreas Vaz Societatis Jesu in Provincia Lusitana Provincialis potestate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre nostro Carolo de Noylle Preposito Generali, facultatem concedo, ut Liber hic, cujus titulus est, *Divi Tutelares Orbis Christiani*, à P. Antonio de Macedo, nostræ Societatis compositus, & ejusdem Societatis gravium, Doctorumque hominum judicio approbatus typis mãdetur, in quorum fidem has litteras manu nostra scriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Datum Ulyssipone die 14. Augusti, Anno Domini 1686.

Andreas Vaz.

Licença do S. Officio.

O Padre Mestre Fr. Pedro de S. Paulo, Qualificador do S. Officio, veja o Livro de que esta petição faz menção, & informe com seu parecer. Lisboa 22. de Março de 1686.

Jeronymo Soares. O Bispo Fr. Manoel Pereira.
Bento de Beja de Noronha.

VIdi Librum, cujus titulus est, *Divi Tutelares Orbis Christiani*, compositum à P. Antonio de Macedo Societatis Jesu, nihil in eo inveni, aut Fidei Catholicæ repugnans, aut bonis moribus contradicens, immò est sanè opus singulare. In Conventu Sancti Francisci Ulyssiponensi de Xabregas, die 5. Aprilis, Anno 1686.

Fr. Petrus à Divo Paulo, Lector jubilatus.

O Pa-

O Padre Mestre Fr. Gonçalo do Crato, Qualificador do S. Officio, veja o Livro de que esta petição faz menção, & informe com seu parecer. Lisboa 5. de Abril de 1686.

Jeronymo Soares. João da Costa Pimenta.
O Bispo Fr. Manoel Pereira. Bento de Beja de Noronha.

PErlegi Librum, cujus inscriptio est, *Divi Tutelares Orbis Christiani*, Authore P. Antonio de Macedo Societatis Jesu, & nihil in eo notavi dissonum nostræ Sanctæ Fidei, aut contra bonos mores. In Conventu Sancti Dominici Ulyssiponensi, die 24. Maij 1686.

Fr. Gundisalvus do Crato.

VIstas as informaçoens, pòdese imprimir este Livro, cujo titulo he, *Divi Tutelares Orbis Christiani*, Author o Padre Antonio de Macedo da Companhia de Jesus, & depois de impresso tornarà para se conferir, & dar licença que corra, & sem ella não correrà. Lisboa 24. de Mayo de 1686.

Jeronymo Soares. Bento de Beja de Noronha.

Licença do Ordinario.

POdese imprimir o Livro de que a petição faz menção; & depois tornarà para se conferir, & se dar licença para correr, & sem ella não correrà. Lisboa 27. de Mayo de 1686.

Serrão.

Licença do Paço.

O Reverendo Padre Mestre Fr. Manoel de Siqueira veja este Livro, & pondo nelle seu parecer, o remeta à Mesa. Lisboa 29. de Mayo de 1686.

Roxas. Lamprea. Marchão. Azevedo. Ribeiro.

DE mandato Vestræ Regiæ Regiæ Maiestatis attentè legi Volumen hoc, cujus inscriptio est, *Divi Tutelares Orbis Christiani*, fabricatum à Reverendo Patre Magistro Antonio de Macedo Societatis Jesu, & nihil in eo inveni contra

fa-

famulatum, & ordinationes Vestræ Regiæ Maiestatis: imnio potiùs in ejus Authore notavi hominem litteris omnibus pulchrè instructum, & in omni historiarum genere tantoperè cum admiratione versatum, ut in eo ad constituendum scientiarum omnium domicilium contendisse cum arte natura videatur. Ita sentio in Conventu Sanctæ Mariæ Gratiarum Matris, die 8. Augusti, Anno Domini 1686.

Pater Emmanuel de Siqueira.

PODese imprimir, vistas as licenças do S. Officio, & Ordinario, & depois de impresso tornarà à Mesa para se conferir, & taixar, & sem isso não correrà. Lisboa 13. de Agosto de 1686.

Roxas. Lamprea. Marchão. Azevedo. Ribeiro.

COhæret suo Originali, in Conventu Sancti Dominici Ulyssiponensi die 15. Aprilis 1687.

Fr. Gundisalvus do Crato.

VIsto estar conforme com seu Original, póde correr. Lisboa 17. de Abril de 1687.

Jeronymo Soares. João da Costa Pimenta.
O Bispo Fr. Manoel Pereira. Pedro de Attaide de Castro.
Fr. Vicente de S. Thomás.

POde correr este Livro. Lisboa 17. de Abril de 1687.

Serrão.

TAixão este Livro em mil & duzentos reis. Lisboa 15. de Abril de 1687.

Lamprea. Marchão. Azevedo. Ribeiro.

SANCTISSIMA

VIRGO MARIA

TOTIVS ORBIS

PATRONA.

SATIS constat usu Fidelium ubique recepto universi orbis Regiones, Vrbesque suos habere Divos Tutelares, ac Patronos, quorum opem in publicis & privatis calamitatibus implorãt, quorum Memorijs templa dedicant, & festos instituunt dies, alijsque colendi modis eos sibi apud Deum Advocatos & Amicos habere curant. Sic inter Vrbes Roma Apostolorum Principes Petrum & Paulum; Neapolis Sanctum Januarium, Lutetia Parisiorum Sanctam Genovefam; Vlyssipo S. Vincentiũ Levitam M. Praga S. Adalbertum Ep. & Martyrem, Cracovia S. Stanislaum Ep. item & Martyrem: sic inter Regna Gallia B. Dionysium Areopagitam, Hispania Beatum Jacobum Apostolum, Lusitania S. Georgium M. Scotia S. Andream Apostolum, Hibernia S. Patricium Episcopum (ut alia omittamus) Patronos habent, & Tutelares. Cæterùm Beatissima Virgo Maria, cùm peculiari titulo Maternitatis Dei, Dña sit rerum omnium, Beatorumque Regina & Viatorum, ut affirmant Patres, & Sacræ Paginæ Interpretes, universi orbis *Patrona*, & totius humani generis *Advocata* dicitur: cùmque præ omnibus Sãctis apud Deum gratiâ & authoritate valeat, ubique gentium universalis est, & potentissima Patrona, ut Sapiens Idiota his verbis scitè, & eleganter advertit: *Cæteri Sancti jure quodam patrocinij pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in Curia Altissimi quàm pro alienis: Beatissima verò Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic & omnium Patrona, & Advocata: & cura est illi de omnibus.*

Soares lib. 3. de or. M. cap. 9.
S. Athanas. serm. de Deipara.
S. Ioan. Damasc. lib. 4. fid. cap. 15.
S. August. ser. 35 de SS.
D. Bern. serm. 1. de Assumpt.
Idiota lib. de contẽpl. B. V. M.

Ab initio igitur nascentis Ecclesiæ Christianæ; imò illâ vixdum natâ; nondum fusis per orbis universitatem Evangelicæ prædicationis radijs, Patronam se esse hominum in Nuptijs Canâ Galileæ Mater Sanctissima declaravit; cùm vino deficiente convivis, suis apud Jesum Filium precibus opportunè subvènit: ut indè mortales discerènt certam in posterùm de illius patrocinio apud Deum spem concipere, & in publicis ac privatis calamitatibus ad ipsius tutelam, præsidiumque confugere, ut Sanctus Bernardus his verbis monet: *Si compassa est verecundiæ illorum à quibus fuerat invitata, multo magis compatietur nobis si piè fuerit invocata.*

Eusebius Nieremberg. è Societate Jesu in Troph. Marianis.

Altius tamen, ni fallor, & antiquius habet initium Deiparæ ergà mortales Patrocinium, inter Josuè, fortissimi Ducis, victorias, solem, vocis imperio, repentè sistentis, adumbratum: huic enim contra Jebusæos hostes acerrimè præliàti affuit olim de cælo luna, Mariæ Virginis umbra, cum sole simul in auxilium gentis à Deo electæ invocata, tàm ad diurnam lucem pugnanti Imperatori sufficiendam, quàm ad mysterium sacrum nobis inculcandum. Vt scilicet innueret JESVS Nave in eadē prorsùs navi esse JESVM Sole, & MARIAM, Lunâ significatam: nec sine utriusque ope obtineri à mortalibus posse de tartareis hostibus victorias: Illam proindè Sanctus Ephrem Syrus aptè vocavit *Polyomacon* idest *Multoculam*, seu multis oculis videntem pugnas, & labores hominum, ut præsentem ijs vel illatum periculis objectis, vel horum mole oppressis, opem ferat. *Orbis Patronam* passim appellant Sancti Patres cùm Græci, tum Latini: præsertim Epiphanius, & Chrysostomus, cum Cyrillis Hierosolymitano, & Alexandrino: quibus accedit Georgius Nicomediensis in hunc modum loquens cum B. V.: *Te nostræ salutis Adjutricem, te nostri auxilij Patronam habemus.* Et iterum: *Te Christianorum multitudo murum habemus firmissimum: in te Fideles Reges arma habent valida: per te bellorum frangunt audaces impetus: per te consequuntur trophæa victoriæ.* Eodem ferè modo loquitur B. Ephrem Syrus: *Ave virorum simul ac fæminarum Regina, & Patrona: Ave nostra omnium Protectrix insignis, & gloria.* Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, & Theocteristus, Sancti Nicetæ discipulus, *Omnium Gentium Patronam* appellant: quemadmodùm Euthymius, & Gulielmus, cognomento Exiguus: Græcis consentiunt Latini Patres Anselmus, Dionysius Carthusianus,

Ephrem Syrus in Orat. Deipar. Virg.

S. Epiphan. de Laudib. B.V.M.
S. Ioan. Chrysost.
S. Cyrill. Hierosol.
S. Cyrill. Alexandr.
Georg. Nicomediēs. in Orat. de Præsentat. B.V.M. c. 12.
Ephrem Syrus serm. de Laud. B.V.M. c.
Germanus Patriarcha C.politanus.
Theocteristus.
Euthymius orat. de Zona B. Virgin.
Gulielm. Exiguus.
S. Anselmus.
Dionys. Carthusian.

ſianus, Fulbertus Carnotenſis, cum Bernardo, & Ildefonſo; Sanctus Gregorius Nazianzenus, vel Apollinaris Laodicenus, ut alij volunt, ſic B. V. alloquitur: *Fulbertus Carnot.* *S. Bernardus.* *S. Ildefonſus.* *D.Gregor. Nazianz.* *Apoll.Laodicenus.*

Te tuum erga filium
Mihi Patronam ſentiam acceptiſſimam.

Accinit Henricus Kalkarienſis, Monachus Carthuſianus in Pſalterio Deiparæ Virginis: *Henricus Kalkarienſis.*

Ave noſtri generis Parens & Patrona,
Supra cunctos poſſidens gratiarum dona;
Tuis ſanctis precibus, mentiſque dona
Ne mens noſtra ſolitò ſit in malum prona.

Romana etiam Eccleſia in Hymno omnium Sanctorum, ita Chriſtum Judicem generis humani alloquitur:

Cujus ad Tribunal gratiæ
Patrona Virgo poſtulat.

Hùc ſpectant tituli multiplices, & epitheta illuſtria ex Sacrâ Pagina deprompta, quibus Sancti Eccleſiæ Patres Mariam afficiunt, uti ſunt, *Civitas refugij*, in quam ex omni ſexu, atque ætate mortales mortiferis culpis impliciti, & tartari pœnis obnoxij ſe recipiunt, ut divini Numinis iram effugiant, nec meritas ſuorum ſcelerum pœnas luant. *Turris Davidica*, ex qua mille clypei pendent, id eſt, ut exponit Sanctus Thomas, remedia innumera millenario numero computata; ad protegendum ſcilicet humanum genus, illudque objecto veluti Mariæ clypeo à ſæviſſimis hoſtibus defendendum. Illam *Noemi Arca*, cùm diluvijs aquis abſorptus perijt orbis, & mortalium genus naufragium fecit, non modò adumbravit, ſed vivis coloribus expreſſit; in quam quotquot ingreſſæ ſunt animæ, illius exceptæ ſinu, ſalvæ & incolumes evaſerunt, ut terram habitatoribus vacuam implerent, & incolerent: tantum valuit Patronæ Virginis umbra. *Arca etiam teſtamenti*: cujus ope victores ſeſe de Philiſthæis hoſtibus fore credebãt Iſraelitæ; niſi Deus filiorum Ophni & Phinees noxas in Heli parente, & Principum in populo, ad exemplum orbis punire vellet. Hæc de Beatæ Virginis patrocinio ergà mortales ex teſtamento veteri collecta ſufficianti plura in Novæ & Evãgelicæ Legis luce clariora videamus: unum tamen pro cunctis in medium producemus: cùm Servator humani generis Chriſtus Dominus Cruci affixus dilecto præ cæteris ſibi Diſcipulo Joanni Matrem dulciſſimam commendavit, & in illo omnibus etiam mortalibus matrem, & Tutelarem attribuit:

Antonius Spinellus ſerm. 1.

S. Thomas.

Origen. in Joannem to. 1. in ipſa præfat. Salmeron to. 10. tract. 41.

Toletus Cardin. in cap. 19. Joannis.

Joann. c. 19.

consulamus Toletum Cardinalem, eximium Societatis JESV Theologum, & concionatorem egregium sic in rem nostram loquentem super illum Evangelij locum: *Mulier ecce filius tuus: Ecce mater tua: Omnes nos, inquit, curæ, protectioni, & intercessioni Virginis commendat Christus: nobis autem fiduciam confert ut tamquàm ad Matrem, & Dominam in omnibus nostris necessitatibus confugiamus: Joannes omnes nos repræsentabat.* Quasi Marianæ tutelæ, patrocinioque cōmissos, & in clientelam acceptos.

August. Vvichmans in Brabant. Mariani lib. 3. cap. 45. Petrus Canis. in Mar. lib. 5. cap. 1. Joann. Bapt. Cancellet. in suis Annal. Mar.

S. Dionysius. S. Bonaventura. S. Antoninus. Amadeus Lausan.

Ac ptimùm in ipsis Christianæ religionis exordijs Mariæ consilijs, monitisque cælestibus instructa crevit Ecclesia; eamque magistræ loco Apostoli Domini habuerunt, ut Catholicæ Fidei dogmata cuderent, in primis Hierosolymæ Cōcilijs, quibus illa minimè intererat; sed à Spiritu Sancto edocta, mentem suam Discipulis aperiebat, precesque ad Deum fundere non cessabat, ut ij haustâ à cælo luce vera & cælestia Christi fidelibus documenta traderent, & certas, quibus benè regeretur Ecclesia, leges sancirent: quapropter à Sanctis Patribus *Apostolorū Mater, & Magistra dicitur,* præsertim à Sanctis Dionysio Areopagita, Bonaventura, Antonino, Ruperto Abbate, & ab Amadeo Lausanensi. Multis etiam post Christi in cælum annis Ascensum, mansit in terris, ut Apostolos, & primos Fidei Catholicæ Magistros Æternæ Sapientiæ Mater cælesti doctrina imbueret, & sanctis moribus informaret; donec illi divini Spiritûs instinctu moti ad prædicādum Gētibus Evangelium profecti, universum terrarum orbem non tàm passibus, quàm victorijs de vana Idolorum superstitione partis, peragrarunt, eumque Christi legibus, & imperio subjecerunt, ut scribunt S. Ildefonsus, S. Gregorius Turonensis, & Sophronius: nec nisi Mariæ benedictione priùs obtentâ, patrocinioque confisi, gentes efferas, & altâ sepultas barbarie aggredi magno animo ausi sunt, ut testatur Cyrillus Alexandrinus his verbis: *Per te, inquit, omnis creatura Idolorum errore detenta conversa est ad agnitionem veritatis: & fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt; atque in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ.* Et Sanctus Anselmus ità scribit: *Debet Mariæ totus mundus salvationis suæ notitiam, quæ plenissimæ cognitionis Apostolis non inviderit scientiam.* Inde, ni fallor, ut existimant viri pij, & rerum sacrarum benè periti, sumpsit initium laudabilis ille mos à Cōcionatoribus Christianis ubique receptus, & usitatus, recitandi simul cum Auditoribus salu-

S. Ildefons. serm. 6. de Assumpt. B.V. S. Greg. Turon. de gloria Conf. l. 2. c. 4. Sophron. serm. de Assumpt. S. Cyrill. Alexandr. Hom. 6. in Nestor.

S. Anselm. lib. 4. de Virtut. B.V. cap. 3.

lutationem Angelicam, ut his sancta & utilia monita, ad Dei gloriam, & animarum fructum, inculcare possint; gratia priùs à Spiritu Sácto, per Sanctissimæ Virginis Mariæ preces, & intercessionem implorata: cujus piissimi moris nonnulli Authores meminerunt; præsertim Sanctus Antoninus, Honoratus Nicquetus, Antonius Spinellus, & Georgius Kolvenerius. Vtcumque sit, Mariæ Sanctissimæ auspicijs ducti, patrocinioque subnixi Apostoli in universum terrarum orbem ignorantiæ tenebris involutum, lucem Evangelij intulerunt, & veram Catholicæ fidei doctrinam, falsa Idolorum superstitione depulsâ, ubique gentium propagárũt: atquè ut maiora in singulos dies caperet incrementa Religio Christiana, ad Deiparæ Virginis patrocinium confugerunt, ejus se tutelæ, ac gentes ad Fidem conversas commendarunt: neque enim Christus ut salvator humani generis gentibus prædicari cómodé poterat, nisi simul Maria, quæ salvatorem genuit, eisdem annuntiaretur, ut his verbis Sapiens Idiota testatur: *In prædicatione Apostolorum in omnem terram exivit sonus tui sanctissimi nominis, & manifestum toti mundo factum est.*

S. Anton. p. 4. tit. 15. cap. 246. Nicquet. de S. Ang. Gabriele lib. 2. c. 11. Spinell. de B.V. pag. 405. Kolven. in Kal. Mariæ tom. 1. in gener. comen. B.V. versum Joann. Bapt. Cancel. S. I. in suis Annal. Marianis. In Sapiens Idiota.

Scribit Melchior Inchofer nobilis Societatis nostræ Historicus, quem posteà secutus est Hyppolytus Marracius, Lucencis Sanctæ Mariæ Congregationis Sacerdos; à Christi Apostolis, eorumque successoribus, ubique terrarum templa, & sacras Ædes in honorem Deiparæ Virginis extructas esse, ejusque amorem & cultum fidelibus inculcatum, ut ij sub tãtæ Virginis umbra, & patrocinio viverent; & in illius se darent clientelam. In hunc modum Sanctus Petrus Apostolorum Princeps Marianum Templum Antaradi in Syria excitavit: Sanctus Jacobus maior aliud Cæsaraugustæ in Hispania posuit, de *Pilari* vulgò dictum: Ephesi in Asia S. Joannes Evangelista: Massiliæ in Gallia Sanctus Lazarus, ejusque sorores Martha, & Maria Magdalene: apud Tungros in Germania Inferiore S. Maternus eò à B. Petro Apostolo missus prædicandi Evangelij causâ; S. Joseph ab Arimathia inter Anglos, ut multi scribunt, in Insula, quam posteà Glastoniam appellarunt: Bracharæ Augustæ in Lusitania S. Petrus D. Jacobi Apostoli discipulus, & primus ejusdem Vrbis Antistes: Neapoli in Campania S. Asprenus Petri Apostoli discipulus, & primus illius Vrbis Episcopus Sácta Mariæ de *Principio*, sic vocant, Sacellum erexit; eamque Patronam Neapolitanis fidelibus assignavit. Idem præstiterant religionis ob-

Melchior Inchofer serm. 1. In Epist. ad Messan. Marrac. de Apost. mor. Ferreol. Locrius in Maria Augusta lib. 4. c. 4. Cancellotus serm. 1. in Annal. Mar. Anno LX. Jacob. de Vitriaco in Hist. Orient. c. 44. Scriptores Hispani. Bellovac. l. 8. Speculi cap. 92. Scriptores Galli. Saussaius in Mart. Gallic. ad diem 24. Decembris. Michael Alfordus S. I. in Annal. Anglosaxon. Acunha in Hist. Eccl. Brachar.

ſequium in Sicilia Inſula Pancratius, & Martianus Siculæ gẽtis Apoſtoli, ergà Deiparam, ut omittamus Sacroſanctã Nazareth natalẽ Virginis Ædẽ jam inde ab Apoſtolorũ tempore in Templum commutatam. Itaque nil antiquiùs duxerunt Diſcipuli Domini, & eorum in Eccleſia Succeſſores, quàm ad Beatæ Virginis Patrocinium ſe recipere, in illius honorem ſacras Ædes erigere, & tutelam cum pietate conjunctam Chriſti fidelibus commendare: quò certam poſteris normam traderent Deiparam religiosè colendi, & in illius ſe committendi clientelam: idque ob ſex potiſſimùm rationes, quas magni nominis Authores aſſignant. Prima, quia Mater eſt Chriſti generis humani Aſſertoris, cui bona omnia accepta ferimus, qui Matrem ſuam coluit; & à nobis amari, & honorari cupit. Secunda, propter eximiam illius ſanctitatem, & privilegia humano captu maiora. Tertia, quia mater viventium nominatur, cui à Chriſto Cruci affixo in filios traditi fuimus in Joanne Diſcipulo dilecto, ut paulò ante ſcripſimus; nosque ergà illam filiorum amorem, & reverentiam præſtare debemus. Quarta, quia ſingularis in Deiparam pietas inter præcipua Prædeſtinationis ad gloriam ſigna, à viris pijs & doctis ponitur; ac eo nomine ſit maximè expetenda. Quinta, omnium Sanctorum exempla, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ vixerunt, eamque in Patronam ſibi, & Matrem cooptarunt. Sexta, propter innumera beneficia in homines, Mariæ Virginis precibus, & interceſſione collata.

His potiſſimùm ductæ rationibus omnes Catholici orbis nationes inter ſe videntur contendere de ambiendo Virginis Mariæ patrocinio, ejusque gratiâ comparandâ: Romana in primis Eccleſia omnium Eccleſiarum Mater, & Chriſtianæ Religionis Magiſtra, tribus præſertìm, aut quatuor colẽdi modis ſuam ergà Matrem pijſſimam, & Patronam clementiſſimam teſtari voluit clientelam: multos videlicet inſtituendo in illius honorem dies feſtos: Templa etiam, ac ſacras Ædes Mariano nomini, & cultui conſecrando: varijs orandi modis, ac formulis illam ſalutando: & quod noſtri inſtituti eſt, Mariam Virginem Patronam ſibi, & Tutelarẽ apud JESVM filium deligendo. Conſtat Vrbem Romanam ſub illius eſſe patrocinio: cælo delapſam Mariæ effigiem de *Porticu* vulgò dictam Galla, vidua pijſſima, Symachi Conſulis filia, domi excepit, & piè coluit, ſedente Joanne I. ut Vrbis præſidio eſ-

sit, & ornamento. Aliam Sancti Lucæ manu, & penicillo depictam quum præferret in solemni supplicatione Sanctus Gregorius Magnus per vicinam Tyberi fluvio plateam, grassante per Vrbem lue pestifera, ad placandam divini Numinis iram, in ipso Dominicæ Resurrectionis festo restituta fuit Civibus, Virginis ope, salus: visus etiam supra Adriani molem fluvio impositam, Angelus gladium vagina recondere, eoque symbolo pacis depulsam ab Vrbe luem, placatamque Numinis iram significare: & cum Sanctus Pontifex Romano cinctus populo Deo laudes, ac Deiparæ modulatis vocibus concineret, auditus fuit Angelorum psallentium chorus Virginem Sanctissimam illa pietatis plena Antiphona salutantium:

Cardin. Baron. in Annal. Eccl. tom. viii. ad Annum Christi 590.

Kolven. in Kal. Mar tom. 1. cap. 13. pag 61.

Regina cæli lætare, alleluia,
Quia quem meruisti portare, alleluia,
Resurrexit, sicut dixit, alleluia.

Cui finem apte imposuit Gregorius:

Ora pro nobis Deum, alleluia.

Ciaconius de Vitis Rom. PP. sub Gregorio Magno.
Ferreol. Locrius in Maria.
Aug. lib. 7. cap. 8.
Andr. Victorellus de B. V. part. 6. c. 16

Hanc ipsam Deiparæ Virginis effigiem Scriptores Itali asservari tradunt ad Sanctæ Mariæ Maioris in Sacello à Paulo V. Pontifice magnificè extructo: at Hispani affirmant à magno Gregorio dono missam fuisse Leandro Episcopo Hispalensi cum suis in Jobum Commentarijs, & magna ad hanc usque diem religione coli in oppido *Guadalupeñ*.

Tamayus Salazar in Martyr. Hispanico ad diem viii. Septembr.
Montalvo in Hist. Guadal. part. 1. c. 1.

Ad Mariæ Virginis patrocinium confugere soliti erant Romani Pontifices in publicis Ecclesiæ calamitatibus: sic Joannes hoc nomine Primus, sic Sanctus Gregorius, sic Cælestinus III. & Adrianus VI. Leo verò X. anno Christi 1518. die Martij 14. solemnem supplicationem per Vrbem instituit ad impetrandam à Deo firmam inter Principes Christianos concordiam, & Selimi Turcarum Imperatoris audaciam refrænandam, qui occupatis paulò ante Syria, & Ægypto, Italiæ armis victricibus imminebat. Circumlatæ ea occasione per Vrbem Sanctæ Mariæ Maioris, & Sanctæ Mariæ de Porticu Imagines fuerunt, Leone ipso cum Cardinalibus, & immensa Romani populi turba subsequentibus. Deiparæ Virginis apud Deum precibus effectum, ut Selimus in medio victoriarum cursu, pestifero contracto morbo, brevi obierit. Paulus III., Mariano etiam auxilio implorato, validam Turcarum classem, Italiæ cladem & exitium minitantem aliò avertit Anno à Christo nato 1537. & voti sui compos factus

Canisius lib. 5. Mar. c. 5.

Marratius in P.P. Marianis.

Deiparæ Vrbis Patronæ, quàm maximas potuit, grates egit. Ad eum ferè modum, quo Novæ Romæ, seu C.polis Præsules ad B. Virginis Mariæ Patrocinium tùm belli, tùm contagionis tempore se recipere consueverant, ita Romæ Veteris Pontifices confugere soliti erant ad eamdem Dei Matrem, quò illa præsentem afflictis Italiæ, & Vrbis rebus opem ferret. Vtraque Roma sacras illius Imagines, seu Palladium è cælo delapsum, ad civium custodiam, & sui ornamentum asservabat. Nec Roma tantùm Vrbium Princeps, & orbis caput, sed Italia universa Mariam Virginem Patronem & Tutelarem agnoscit, ac veneratur: hanc enim Provinciarum Principem Deipara alijs omnibus præposuit, ac certam sibi, perpetuamque delegit sedem, collocatâ jam pridèm Laureti, in Piceno, Domo Sanctissima, in qua *Verbum caro factum est*: quæque nunc *Domus Lauretana* vulgò dicitur: & Mariæ natalibus, & Gabrielis Archangeli legatione, & divinæ prolis cóceptu, & Apostolorú veneratione & mutatione stupéda sedis, & miraculorú numero, & singulari omniú gentiú religione, & peregrinationibus inclyta, ut jam nulla sit aut sanctior, aut illustrior in universo terrarú orbe, ut fusè, & elegátèr scribit Horatius Tursellinus, insignis Societatis nostræ Historicus. Nobilissimæ prætereà Cathedrales Ecclesiæ, (ut alias inferioris notæ omittamus) uti sunt Neapolitana, Florentina, Senensis, Firmana, Mediolanensis; in Sicilia item Insula, Panormitana, Messanensis, & Montis-regalis, B. Virginis titulis & patrocinijs gloriantur.

Horatius Tursellin. S.I. in Hist. Laur.

Ferdin. Vghellus in sua Italia Sacra.

Spinellus de B. V. pag. 254.

Ab Italia in alias Christiani orbis regiones oculos, & calamum convertamus: omnes enim sub B. M. tutela, & patrocinio esse voluerunt. Gallia à multis jam seculis in illius se recepit clientelam: Mariæ auspicijs Gallicana crevit Ecclesia, & ad summum Christianæ pietatis apicem evecta sex Ecclesias Metropolitanas habet, cum triginta duabus Episcopalibus Mariæ titulo, nomineque insignes: Et, quod caput est, Ludovicus XIII. Rex pijssimus, Assumptæ in Cælum Virgini seipsum, & Regnum suum solemni clientelæ formulâ subjecit Anno salutis humanæ 1638. die 15. Augusti B. V. sacrá. Extant ea de re litteræ publicis tabulis consignatæ: causa hujus clientelæ fuit expugnata Virginis ope Rupella, & Anglorú classis, quæ suppetias ferebat obsessis, Gallorum arte, & bellica virtute repulsa, de quibus iterùm suo loco recurret sermo, cum de Sanctis Galliæ Patronis egerimus.

Scriptores Galli.

Hispaniæ Maria Virgo Patronam se fore promisit jam inde à primis Ecclesiæ incunabulis, cùm B. Jacobo Maiori Apostolo Cæsaraugustæ propè fluvium Iberum oranti marmoreæ insistens columnæ apparuit, cælesti circumfusa luce, & multis Angelorum millibus comitata; ac eo ipso in loco Ædem sibi edificari mandavit, quæ ad hanc usque diem de *Pilari* nominatur, innumeris Regum, & Pontificum privilegijs ornata, ac continuis fidelium peregrinationibus frequẽtata; quæ Mauris etiam Hispaniæ dominantibus, & omnia Christianorum Templa diruentibus, in media orbis luce omnium oculis exposita, integra, & religione florens stetit, Deiparæ nixa patrocinio; stabitque semper nullo unquam tempore ruitura. In rem nostram Rodericus Ximenius, gravis & antiquus Author describens victoriam ab Alphonso VIII. Castellæ, Sancio Vasconiæ, & Petro Aragoniæ Regibus, apud Navas de Tolosa, (sic loco nomen) Deiparæ auxilio, de Mauris partam, ita scribit: *Erat in vexillis Regum Imago B. Virginis, quæ Toletanæ Provinciæ, & totius Hispaniæ semper Tutrix extitit, & Patrona.* Eamdem sententiam multis confirmat exemplis Joannes Tamajus Salazar in suo Martyrologio Hispanico ad diem vij. Decembris, adducto Alexandri VII. Romani Pontificis diplomate, quo ad instantiam Philippi hoc nomine IV. Regis, pro suo singulari, & & Hispanæ gentis in Deiparam studio, concessit ut in universa Hispania *Festum solemne Patrocinij Mariani celebraretur.* Dat. Romæ apud Sãctam Mariam Maiorem die xxviij. Junij, Anno 1656. Pontificatûs sui anno secundo; quod festum Dominica secũda Novembris celebrari consuevit. Quid plura? Ipsa Hispani Regis sedes Madritum Sanctissimam Dei Matrem *Patronam* colit ac veneratur, sub nomine de *Atocha*, hoc est de Antiochia, ob sacram illius effigiem ab Antiochia Syriæ in Hispaniam olim delatam, quæ suo Madritenses cives, ipsosque pijssimos Reges patrocinio tegere, & innumeris beneficijs afficere nullo unquam tempore destitit, ut fusè & luculentèr scribunt Scriptores Hispani, præsertim Ægidius Gonçalez de Avila, Pereda, Tamajus Salazar, & Eusebius Nieremberg Societatis nostræ Theologus.

Ribadeneira in Flor. SS. 16. Julij.

Rodericus Ximenes de Reb. Hispan. l. 8.

Joan. Tamajus Salaz. in Martyr. SS. Hispan.

Pereda de Patr. Madr.

Gonçales de Avila in Theatro de las Grandesas de Madrid.

Quintana lib. 1. de Antiquit. Madrit.

Eusebius Nier. de Troph. Marianis lib. 2. c. 17.

Præterea omnes ferè Hispaniarum Ecclesiæ Deiparam Patronam habent & Tutelarem: Primarias tantùm honoris causâ, nomino, reliquis omissis, ne lectoribus sim molestus: Burgensem in Castella Veteri, Hispalensem, & Granatensem

Scriptores Lusitani. in Provincia Bætica, Cæsaraugustanam in Aragonia, Toletanam, Legionensem, Vallisoletanam, Salmanticensem, Pompelonensem in Vasconia, & Maioricensem extra Hispaniam in Insulis Balearibus. In Lusitania omnes sunt dicatæ Beatæ V. Ecclesiæ Cathedrales, uti sunt Bracharensis, Vlyssiponensis, Eborensis Metropolitanæ: Conimbricensis, Egitaniensis, Portuensis, Lamacensis, Visensis, Leiriensis, Mirandensis, Portalegrensis, Elvensis, Algarbiensis, Episcopales: Funchalensis etiam in Insula da Madeira, & Angrensis in Insula Terceira, ut appellat Aubertus Miræus in Notitia Episcopatuum orbis Christiani: ex quibus singularem Hispanæ gentis pietatem in B. Virginem Mariam jure suspicias, & admireris.

In ipsas etiam Orientis, & Occidentis Solis Indias Lusitani, & Hispani, Duce & Auspice Deiparâ, armis victricibus penetrarunt, emensâ Oceani vastitate, innumeris perpessis laboribus, & periculis gravissimis superatis, in easque Fidem

Joann. Maffeius S.I. Rerum Indic. lib. 2.

Christi cum Mariano simul cultu, & Patrocinio invexerunt: Audiamus elegãtem Rerũ Indicarum Historicum Maffeium: *Patefactâ jam Indiâ, inquit, primùm omnium Emmanuel toto Regno supplicationes indixit: deinde Mariæ Virgini ejus navigationis Præsidi extructam ab Henrico Principe Ædiculam in ipso aditu portûs Vlyssiponensis miram in amplitudinem extulit; auxitque. Ad ejus Templi custodiam, & cæremonias, & navalis præsertim turbæ, Ducumque animos ritè expiandos eximia sanctitate Monachi acciti è familia Hieronymiana. Locus sumpto à Christi incunabulis nomine, Bethleem dictus, in primis totius Hispaniæ tum structura, tum religione visendus.*

Annal. Lusitan. in Alphonso V.

Vasconcel. in Anaceph. Regum Lusit.

Alphonsus V. Rex Lusitaniæ potentissimâ navium trecentorum classe, qua triginta bellatorum millia vehebantur, in Africam Hispaniæ adversam trajecit; ibiq; Arzilla Vrbe, & Tingi Mauritaniæ Tingitanæ Metropoli, armorũ vi captis, primaria harũ Vrbiũ Tẽpla Christiano ritu lustrata Assũptæ in Cælum Virgini dicavit, cujus patrocinio classem commiserat, & bellum feliciter confecerat: Joannis I. hoc nomine Regis exemplum secutus, qui Septa Vrbe Herculeo freto impositâ armis expugnatâ; Moscheam principem Mariæ Virginis nomine & titulo consecravit.

Ex India, & Africa Lusitanorum imperio subjectis ad Occidentis Solis Indias gradum faciamus. Mexicanum Re-

Euseb. Nieremb. de Troph. Marian. l. 3. cap. 29.

gnum non minùs opibus, quàm armis potens, sicut ope B. Virginis Ferdinandus Cortesius bello ceperat, sic illius clien-

telæ,

telæ, patrocinioque commisit. Idem pietatis officium præstitit Pizarrus in provincia Peruana, ducentis hostium millibus, auxilio Deiparæ, exigua militum manu aut cæsis, aut in fugam actis, Cuzco Vrbe Regni principe infessâ, & occupatâ, fortiterque defensâ.

Gomara in Histor. Mexic. c. 103.
Illescas in Hist. Eccles. tom. 2. c. 24.

In Europam ab America, & Indijs revertamur. Austriæ in Germania Ferdinandus III. Imperator Patronam adscivit Sanctissimam Virginem Mariam sine peccati originarij labe conceptam Anno à Christo nato 1647. & ingentem ex ære inaurato ejusdem Virginis statuam in maximo Viennæ Vrbis Circo columnæ immensæ altitudinis superimponi mandavit; quò ab omnibus conspici, & adorari commodè posset.

Gulielm. Gumppenberg. S. I.
In Atlante Mariano à pag. 181.

Hungaria *MARIÆ Familia* olim dicta, non minùs pietatis famâ, quàm rerum gestarum gloriâ antea&s seculis florens, Magnæ Matris cultui, & amori impensè dedita omnium ferè gentium scriptis, & encomijs celebratur. In aureis numis Anno 1566. cusis, ex altera parte visebatur expressa Deiparæ Virginis effigies, addito hujusmodi lemmate: *Patrona Hungariæ*, ut fusiùs dicemus cùm de hujus Regni Divis Tutelaribus egerimus.

Bonfinius de Rebus Hungar. lib. 2. dec. 1
Cartuitius in Vita Sanct. Stephan. Reg.
Surius ad diem 20. Aug. in Vita Sanct. Stephani.

Hunni, qui Hungariæ nomen dederunt, jam inde à prima ipsorum ad Christum conversione, Patronam habuerunt Virginem Mariam, & Primam in ejus honorem Ecclesiam posuerunt, si fides habenda est Card. Baronio.

Cardin. Baron. to. 9. Annalium ad Annum Christi 795.

Alsatia, Uvestphalia, Artesia, tota denique Germania Inferior simulac Christi fidem susceperunt, Deiparam in singularem sibi Patronam, & Dominam cooptarunt, & illius se obsequio, extructis ubique templis, arisque erectis, devoverunt: consulat curiosus Lector Kolvenerium, Locrium, Costerum, Fizenium, Erardum Fullonium, Aubertum Miræum, Molanum, Balinghem, & Eusebium Nieremberg, in quibus multa inveniet scitu digna, & instituto nostro consentanea. Argentina, Alsatiæ Inferioris Metropolis, Ecclesiam habebat Cathedralem B. V. Mariæ dicatam, cum turri operis admirandi, & egregiæ structuræ, alta pedes septuaginta quatuor supra quingentos: at ejuratâ superiori seculo Religione Catholica, ad Lutheri sectam defecit, & Magnæ Dei Matris patrocinio se reddidit prorsùs indignam. Paucis tamen ante annis in Christianissimi Regis Galliæ potestatem venit, ejusque ditioni, & imperio jam subjecta Episcopum Romano Ca-

tho-

tholicum cum Canonicorum Collegio admisit, denuò Beatissimæ Virginis clientelæ emancipata, Jesuitis in ea Patribus Rex pijssimus Collegium extruxit, vel donavit cum idoneis reditibus: quò egregiè in illa Domini vinea Lutheranismo infectâ laborarent; & in posterùm dignos suæ industriæ, & laboris fructus caperent.

Bavari, Basilienses cum Principibus Palatinis Deiparam habebant Tutelarem: monetis prætereà aureis & argēteis illius effigiem soliti erant incidere, circum addita hujusmodi Epigraphe: *Sancta Maria intercede pro nobis.* Primaria Frizonum Patrona fuit; & Trentia pars olim Friziæ, Magnæ Matris Imaginem pro Insignibus habebat, ut canit Hanconius his versibus:

Hanconius in sua Frisia lib. 2.

Virgo Dei genitrix, magni spes altera mundi,
Crebram mittis opem Frisiæ Patrona gementi.

Ferreol. Locrius. Audiamus Ferreolum Locrium ita loquentem: *Antiquissimæ Belgicæ Diæceses Mariæ Tutelam subierunt, Cameracensis, Atrebatensis, Tonacensis, Vltrajectina, Morinensis, & Tungrensis; omnes istæ Sanctissimam Virginem communem Patronam conclamarunt, & rem patriam sub ejus umbra posuerunt.* Omitto celebrem valdè in finibus Hannoniæ Virginis Hallensis memoriam, & Sichemensis in Brabantia, de quibus & eleganter, & fusè Scriptores Belgæ tractarunt.

Burgundia à multis jam seculis Patronâ *Virgine* Sanctissimâ gloriatur. Militaris olim inter Burgundos Tessera erat: *Sancta MARIA Domina nostra*, ut suo loco dicemus.

Britanniam Insulam, quam posteà *Angliam* appellarunt, suo quondam fovebat, ac tuebatur patrocinio Virgo Deipara: idque satis probat extructum à Maioribus in Glasconia Insula templum. Pio sanè, ac illustri apud Veteres elogio, Anglia dicebatur *DOS MARIÆ*: quo quid nobilius, & sanctius argumentum ad rem probandam afferri potest?

Alfordus in suis Ann. passim. tom. 2. Ann.

In Polonia, & Lituania, magnis apud Septentrionem Regionibus, singulari pietatis sensu coli, & haberi Patronam Deiparam Virginem, tam certum est, quàm quod certissimū. Argumento sunt innumera in ejus honorem templa ab incolis erecta, Imagines non paucæ miraculis, & Fidelium concursu celebres, maximè Zestoκoviensis à Sancto Luca, ut ferunt, depicta, à Nicephoro Imperatore Græco dono missa Carolo Magno: is verò illam donavit Leoni Russiæ Principi.

Joann. LipsKi in Orat. funebri Sigism. III.

Marrac. in Regib. Marianis.

Euseb. Nieremberg. in Troph. Marian.

Tan-

Tandem Russiâ in Provinciæ formam redactâ, Uladislaus Opoliensis Dux anno Christi 1382. illam transtulit in Montem Clarum *CzestoKoviam*, Polonicè dictum: asservaturque in Templo Fratrum Sancti Pauli primi Eremitæ, Fidelium undique accurrentium votis, & peregrinationibus illustri: eò religionis causâ, iverunt Reges Poloniæ Sigismundus I. Stephanus Batoreus, Sigismundus III. Uladislaus, & Casimirus ejus frater, & in Regno posteà successor, ut cõmissos sibi populos Beatissimæ Virginis patrocinio commendarent. Lorinus noster rem scribit in Expositione Psalmorum, scitu dignissimam; Nullam scilicet fœminam in Polonia reperiri *Mariam* nomine; idque modestiæ causâ, & tanti nominis reverentiâ.

Spinellus de B. V. pag. 257.

Stanislaus Kroft. ex vetusto codice m. s. Eccles. Herbipolens.

Rutheni religiosè colũt Magnam Dei Matrem: Mosci in ipsa Urbe regionis metropoli Moscuâ Ecclesiam Principem Mariæ nomine, tituloque insignem habent. In Prussia Mariæburgum, Equitum Teutonicorum castrum celebre, & vetusta Sedes, à Maria Virgine nomen traxit. Prussiam ipsam, & Livoniam proximam Equites suæ ditionis fecerunt, & Christi Legibus jam subactas Mariano patrocinio consecrarunt.

Kolven. in Kalend. Mar. ad diem 1. Octobr. & ad diem 22. Februarij.

Andr. Victorellus de B. V. p. 56. 13.

Omiseram Siciliam, nobilissimam in mari Mediterraneo Insulam, regio titulo illustrem, Deiparæ imprimìs studiosam: ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Marianam hausit pietatem, à Sanctis Martiano, & Pancratio B. Petri discipulis, & Episcopis Tauromenij, & Syracusarum, Christi religionem edocta, unà cum Mariæ Sanctissimæ cultu, & pietate. Hæc verò penè extincta, Saracenis Insulæ dominantibus, revixit in B. Virginem pietas sub Roberto Guiscardo, & Roberto Bosso, fortissimis Nortmannorum Ducibus, ejusque tutela magnis in Siculam gentem fuit beneficijs confirmata. Messanensium etiam Patronam se fore in posterùm per litteras ad illos missas matris amore, & dulcedine plenas, apertè significavit Virgo Deipara, si fides habenda est Paulo Belli, & Michaeli inchofer Societatis nostræ Theologis. Sardiniam Insulam Sanctus Petrus Apostolus, eò navi appulsus, ut scribunt Scriptores Sardi, sub Sanctissimæ Virginis Mariæ patrocinio collocavit, structa in illius honorem Ædicula sacra, quam de *Portu* nominarunt, ut ex antiqua apud Incolas traditione habetur.

Scriptores Siculi.

Octavius Caietan. de cultu Deipar. V. in Sicilia.

Gulielm. Gumppenberg. in Atlante Mariano part. 2.

Dionysius Bonfaht in Triumphis Sanctorum Sardiniæ lib. 1. cap. 5.

Franciscus Fara de SS. & Rebus Sardiniæ.

Ab Occidente in Orientem transeamus, ad ipsam præser-

tùm Constantinopolim, Imperij caput, & Græcorum Imperatorum sedem; quæ Divam M. V. Patronam sibi adscivit, & Tutelarem: *Mariæ Civitas* hanc ob rem, à Theodoreto, Sozomeno, Nicephoro, Cedreno, alijsque Authoribus Græcis passim dicta: A Constantino Magno, prævio Missæ sacrificio, multisque ad Deum fusis precibus, Sanctissimæ Virgini Mariæ solemni ritu dicata fuit, decima die Maij, vel undecima, ut alij malunt; Anno Christi 330. alij alium assignãt annũ: nec mea multũ interest unius diei, aut anni examinare discrimen, cùm de re ipsa satis constet, C.polim scilicet, Urbem regiam, & Imperij Orientis sedem, Deiparæ nomine, auspicijque extructam, illius patrocinio, ac tutelæ fuisse commissam: quemadmodùm Ephesus (ut alias minoris notæ Urbes omittamus) in cujus principe Basilica Mariana coactum fuit Concilium Ephesinum primum, sedente Cælestino I. PP. Romano, Imperante Theodosio Juniore; in quo damnata fuit hæresis Nestorij, & Maria S. *Theot'ocos*, idest, *Dei Mater* omnium Patrum suffragijs declarata.

Gregor. Presbyter in Orat. ad Patres Concilij Niceni. Cedrenus in Comp. C.Bar. ad An. 330. Codin in Orig. C.p. Kolvener. in Kaled. Mar. ad diem 10. Maij.

Baronius Cardin. Binius. Francisc. Maced. tract. de Concilio Ephesino 1.

Æthiopia supra Ægyptum, cujus Regem *Preste-Joannem* Imperitum vulgus appellat, multis ubique templis, in Deiparæ cultum, memoriamque erectis, & iteratis in sua Liturgia precibus illius se valdè studiosam esse profitetur: singulis annis supra triginta dies festos Virginis Mariæ numerat: eamque Æthiopes à multis jam seculis *Patronam* colunt. Mariani Templi à Regina Candace olim excitati in oppido Auxumo, miraculis, & votis celebris, meminere Antonius Spinellus, & Baltasar Telles Societatis nostræ Historici. Aucta superiori seculo Lusitanorum adventu in illam regionem pietas Mariana, & illius in Abissinam gentem patrocinium mirum in modum confirmatum clarissimis Virginis ope victorijs de Mahometanis hostibus à Christophoro da Gama invictæ virtutis Heroe comparatis, regnante in Lusitania Joanne hujus nominis III. Quanti verò Reges Æthiopiæ faciant Deiparæ tutelam, satis apparet ex litteris *Onag Segued*, alio nomine *Davidis*, ad Joannem III. Lusitaniæ Regem datis, Anno salutis humanæ 1524. quarum clausula est: *Gratia Dei, & benedictio Virginis Mariæ Matris Dei sit tecum, & cum omnibus: Amen.*

Anton. Spinell. S. I. de Templis B.M.V.

Emmanuel de Almeida S. I. in Histor. Æthiopica.

Maffeius lib. 11. Hist. Indic.

Præterea Societatis nostræ homines in Æthiopiam missi ad prædicandum incolis Evangelium, eosque ad Rom. Ecclesiæ gremium, & obedientiam reducendos, primas in ijs

re-

regionibus Ædes B. M. Virgini posuerunt, & gentem universam illius protectioni, & tutelæ cõmendarunt. De Templo totius Æthiopiæ maximo, ab Helena Davidis Regis matre, olim extructo, & Deiparæ dicato, meminit Tellez in sua Æthiopiæ Historia.

Tandem in extremo orbe Japoniam multis insulis distinctam, Mariæ Sanctissimæ patrocinium, cum fide Christi cõjunctum S. Franciscus Xaverius invexit: Die decimaquinta Augusti, Assumptæ in Cælum Virgini sacra, eò felicibus auspicijs appulit salvus: & incolas Christianis præceptionibus erudivit, ac fidem, quam verbis tradebat, innumeris miraculis confirmavit. Procedente tempore, primum in Urbe Regia Meàco Templum à nostræ Societatis hominibus fuit erectum, & B. V. Mariæ dicatum: primum etiam Sacrum ipso Nativitatis Marianæ die, solemni more celebratum, ingenti omnes gaudio affecit; & miro pietatis sensu implevit: sub Deiparæ tutelâ fides Christi inter Japonas seminata, nostrorũ maximè operâ, & industriâ sociorum, & martyrum irrigata sanguine, uberrimos Cælo, & Ecclesiæ fructus protulit; cùm Martyrum sanguis, authore Tertulliano, semen fit, undè segetes copiosæ pullulant, & fæcundæ messes existunt.

Annuæ litteræ S. I. lib. 1. epist. Indic. & lib. 3.

Joann. Bonifac. lib. 2. Hist. B. V. M. cap. 1.

Sacchinus in Hist. Societ. sub Borgia part. 3 An. 1568.

In vastissimas item Sinarum Provincias, in Tunchinos, Cocinsinas, Lequios, Moluccenses, aliasque in remotissimis illis ab Europa regionibus nationes altâ sepultas barbarie, & ignorantiæ tenebris involutas, Evangelij doctrina penetravit, & solis instar, clarissimos circumquaque radios in orbem illum novum diffudit, & explicavit Magnæ Matris patrocinio nixa, & miraculis illustrata. Illius opem implorare soliti Evãgelij præcones, & primi earum gentium Apostoli, quò feliciùs procederet fidei prædicatio, & uberiora in singulos annos caperet incrementa Religio Christiana.

Scriptores Societ. JESV.

Omitto tot illustres Militum Ordines, tot sacrorum hominum familias in Italia, Germania, Gallia, Hispania, Lusitania, Belgio, Anglia, Burgundia, Sabaudia, Prussia, Livonia, Polonia, Lituania, quæ sub Mariano patrocinio vivunt, florentque, ne lectoribus fastidio sim: præsertim quia hæ notiores orbi sunt, quàm ut vel alia cõmemoratione indigeant. Quemadmodùm supervacaneum duco enumerare Papas, Reges, ac Principes Deiparæ studiosos, qui illam sibi, & suis Patronam ac Tutelarem delegerunt; cùm sit ab instituto

 nostro

nostro alienum; idque ipsum paucis ante annis abunde, & erudite præstiterit R. P. Marracius in libris, quos edidit Romæ de Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Cardinalibus, & Principibus Marianis; ad quos lectores curiosos remitto.

Superest ut nonnulla recenseamus religionis obsequia, & pietatis officia, quibus Christianus orbis suum in B. Virginem studium testari voluit; & clientelam deferre consuevit: Hanc ob rem multos, & pios valdè, successu temporum precandi, & serviendi *Patronæ* suæ modos invénit; benè conscius quantum illa apud Deum gratiâ valeat; quantum cõmodi ipse percipiat Mariæ patrocinio, & tutelâ defensus. Unus ex ijs, & valdè laudabilis fuit mos recitandi ipsius Officium à Cassinensibus Monachis inventus, ut scribit Paulus Diaconus in Expositione Regulæ Sancti Benedicti, affirmans à multis jam annis præceptum Monachis fuisse à Gregorio III. & Zacharia Pontificibus Romanis, ut id Horis Canonicis adjungerent. Ex quo videntur corrigenda, sc ibit noster Raynaudus, tradita à Baronio Cardinale in suis Annalibus ad Annũ Christi 1056. *Petrum scilicet Damiani authorem fuisse Officij Mariani.* Meritò enim dici poterat, salvo meliori judicio, illius instaurator, vel restitutor, quàm author, aut inventor, ut cum Raynaudo advertũt Canisius, Spinellus, & Kolvenerius. Posteà Gregorius VII. vel Urbanus II. in Concilio Claromõtano, Petro Damiani jam mortuo, eam Marianæ religionis formulam, vel Officium per orbem Christianum fundi, vulgarique latiùs curavit. Præcepit igitur, ut omnes viri Sacri B. M. V. Officium recitarent, quò pijssima Dei Mater laboranti per id maximè temporis Romanæ Ecclesiæ, præsenti auxilio subveniret, & Christianis Principibus ad Hierosolymam recuperandam tendentibus opem ferret: etsi universalis illa præcepti obligatio, vel temporis cursu desierit; vel non fuerit communi usu recepta.

Theophil. Raynaud. S. 1. 10. 17. p. 352. C. Baron. in Annal. Eccl. Anno citato. Hier. Rubeus in Vita Petri Damian. Canis. in Mar. lib. 5. c. 29. Spinellus pag. 402. Genebr. lib. 4. Chronolog. Durand. in Ration. Offic. lib. 6. c. 2. Soares S. 1. de Religione lib. 4. de Orat. cap. 6. n. 2.

Nonnulli à Sancto Joanne Damasceno recitandi Officij Mariani morem initium duxisse credunt: alij à Sancto Ildefonso Archiepiscopo Toletano, qui librum cõposuit de Officio B. Virginis, lectionibus novem cuilibet Sabbato assignatis, distinctum. Lancellotus, illius Authorem fuisse tradit Sãctum Augustinum. Augustinus Uvichmans affirmat, Sabbatum jam indè à tempore Apostolorum Deiparæ fuisse dicatum, ejusque Officium recitari solitum. Claudat agmen ho-

horum Authorum Kolvenerius his ferè verbis rem definiens: *Apud Latinos Sanctus Ildefonsus ; apud Græcos S. Joannes Damascenus recitandi Officij Mariani Authores fuerunt:* quam nos sententiam in medio suspensam relinquimus, nec certi quidquam definire volumus.

Alius ambiendi Parrocinium Deiparæ modus fuit Sabbati in ejus honorem peculiarem dicatio, & jejunium. Id à Sancto Petro Apostolo indictum fuisse Roman. Ecclesiæ Fidelibus nonnulli tradunt, ut Simonis Magi artes eludere, & præstigias detegere facilè posset, quod Sanctus Augustinus in suis Epistolis affirmare videtur. Uvichmans etiam originem traxisse putavit à temporibus Apostolorum. Alcuinus Caroli Magni Imperatoris Magister, rogatu Sancti Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, Præfationes Missæ composuit singulis hebdomadæ diebus accommodas, & Sabbato proprias de Sancta Maria: idque testimonio suo confirmat Joannes Belethus in Explicatione divinorum officiorum; quod idoneum videtur ad probandam Mariani Sabbati antiquitatem argumentum. Sanè Innocentius I. Summus Pontifex decrevit, ut Sabbati jejunium servaretur, eo quòd illo die Christus in sepulchro jacuisset, & ejus Discipuli, maximè Virgo Sanctissima, in luctu fuissent. Obijt Innocentius Anno Christi 417. Postquàm Sabbatum dicatum est B. Virgini, jejunium etiam, ni fallor, in ejus honorem observari à Fidelibus cæpit. Quo autem anno dies Sabbati Deiparæ sit consecratus, vel addictus, certò non constat: probavit quidem, & sua authoritate confirmavit Sabbati Mariani festum Urbanus II. in Concilio Claromontano; non tamen primus illud in Romanam Ecclesiam induxit, cùm Petrus Damiani, qui ante id Concilium obijt, Sabbati mentionem fecerit Deiparæ dicati: *Eò quòd in illa veluti in lectulo Salomonis, Verbum Divinum requievit, & quasi sabbatisavit.* Verosimile est hujusmodi Dedicationi causam dedisse solidam & inconcussam, Christo mortuo, B. Virginis fidem, quæ in omnibus nutarat Apostolis, ut existimant S. Bernardus, S. Bonaventura, Abulensis, & alijs Authores (quam tamen rationem meliores Theologi non probat, nisi intelligatur de fide explicita Resurrectionis) hanc ob rem Ecclesia Catholica Sabbatum, quo maximè excelluit Deiparæ fides, illi dicavit.

S. August. Epist. 86.

August. Vvichmans in Sabbatismo Mariano.

Micrologus lib. de Eccles. Observation. cap. 6.

Theophil. Raynaudi S. I. tom. 17.

Spinellus, Tractatu de Throno Dei, cap. 29. n. 114.

Cancellot. in Annal. Mar. ad Ann. Virg. Maria 82.

Locrius in Maria Augusta l. 6. c. 23.

Non pauci viri docti, & pij credunt ejusmodi ritum, mo-

remve duxisse initium ab illo, quod Constantinopoli singulis Sabbatis contingebat miraculo: Erat in hac ipsa Urbe Imago Deiparæ serico cooperta velo, quod à vesperis feriæ vi. tolli solebat, removente nemine, & ferebatur in altum, ita ut retegeretur tota Imago, & intuentium oculis maneret exposita, donec finitis Sabbati vesperis, descendens per se ipsum velum operiebat Imaginem, sicque manebat usque ad sequentis hebdomadæ diem Veneris. Ita paucis mutatis hujusmodi miraculum describit Gulielmus Mimatensis: quo sæpè à Fidelibus animadverso, sancitum pia lege fuit, ut in posterùm dies Sabbati B. M. Virgini dicaretur. A Græcis ad Latinos Sacrum istum morem transiisse memorant.

Kolvener. part. 1. Kalend. Mariani c.7. pag. 41.

Gulielm. Mimatens. in Ration. Divinor. Officior. l.4. c.1.

Rosarij Mariani usum ubique vigere, tam certum est ut nulla prorsùs probatione indigeat; vix unum, aut alterum Catholicum invenias qui vel totum, vel saltem partem, singulis diebus non percurrat; qua precandi, vel orandi formulâ, ac Deiparæ patrocinium promerendi, nulla Superis gratior, nulla Fidelibus utilior reperitur. Extant ad eam illustrãdam, & cõmendandam innumera Scriptorum testimonia, quæ longum esset recensere, & à proposito alienum. Quis illius Author fuerit, in dubium à nonnullis revocatur. Pauci Petro Eremitæ, vel Lermitæ, hanc inventi Rosarij laudem tribuunt; is est qui Pontifices, Reges, ac Principes Christianos ad gerendum contra Saracenos bellum sacrum, & recuperandam vi armorum Hierosolymam pijs consilijs, & cælestibus monitis incitavit; Alij alios commemorant Virginei Rosarij Inventores, videlicet Bedam, Paulum Abbatem, S. Getrudem Nivellensem, Godivam Leofrici Merciorum in Anglia Comitis uxorem, Albertum Monachum, & ijs antiquiores, Apostolos. Nec omittendum quod scribit B. Paschalis Baylon, minorita, sanctimoniæ famâ clarus, de Rosario Mariano, in hunc modum: *Invenitur quòd Virgo Sanctissima Maria Domina Nostra antequàm ex hoc mundo discederet, per revelationem ab Spiritu Sancto habitam sanctum ordinavit Rosarium.* Et quod Jordanus Cascini S. 1. tradit in Vita Sanctæ Rosaliæ, his ferè verbis: *Sanctæ Rosaliæ in Sicilia Virgini nonnulli Authores nomen à Rosario factum credunt*; vivebat illa anno 1142. B. Dominico multo antiquior, qui Virginei Rosarij Author ab omnibus habetur. Inventum fuit Rosaliæ corpus in monte Peregrino propè Panormum, primariam Sici-

Canis. in Marian. lib. 5. c.26.

Barros Cremonens. in Chron. Franc. l.9. c.33.

Ximenes in Vita B. Paschalis c. 34.

Jordanus Cascini S.1. in Vita S. Rosaliæ l.2. c.16.

ciliæ Urbem, Anno humanæ ſalutis. 1625. cum Roſario ; ſeu globulis precarijs inter digitos inſertis, ut refert in ejus Vita Jordanus.

Cæterùm cõmuni, ac penè certa Scriptorum ſententia receptum eſt, & multorum Pontificum litteris Apoſtolicis confirmatum, Leonis X. Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. illius Authorem fuiſſe Sanctum Dominicum Sacri Ordinis Prædicatorum Fundatorem; Beatiſſimæ Virginis monitu, vel mandato; ea ipſa, quam modò videmus; pia & idonea ratione diſpoſiti, & Sanctæ Mariæ Pſalterij nominati. Conſtat illud centum quinquaginta ſalutationibus Angelicis; & Orationibus Dominicis quindecim inter ſingulas decades interpoſitis; ad imitationem Davidici Pſalterij, quod è centum quinquaginta Pſalmis, ſeu Cantionibus ſacris conflatur; quo nullum Deiparæ Virgini gratior orandi modus; nullus Chriſti Fidelibus utilior; nullus à viris doctis, & pijs magis cõmendatus. Id ex omni ſexu, atque ætate mortales præ manibus ſemper habere in religionem vertunt, & magno pietatis ſenſu illud percurrere, quò magnæ Dei Matris gratiam ſibi conciliare, & patrocinium promerere valeant. Id Reges, & Principes in aulis, cives in urbibus, in pagis ruſtici, paſtores in montibus, in mari nautæ, in ſcholis ſtudioſi, in ginecæis fæminæ, in plateis pueri, in apothecis artifices, Catholici in Templis, ubique locorum Fideles percurrere ſoliti ſunt; eoque pietatis ſymbolo pij ab impijs, Orthodoxi ab Hæreticis diſtingũtur. Ejuſmodi globulis Tartareum hoſtem petimus, ac ſuperamus, eoque ad terram dejecto, ac victorum pedibus proculcato, viam nobis ad cælum ſternimus, & munimus.

Fr. Hiacinth. Choquet. de B. V. Prædic. Patrona à pag. 430.

Vvichmans in Brab. Mariana l. 1. c. 7.

Scriptores Dominicani.

De Corona Dominicis tantùm Orationibus conſtante, quam Beatiſſima Virgo Maria dum in vivis eſſet, recitare ſolebat, aſſervaturque in Templo Sanctæ Mariæ de Campitello, Romæ, probatâ litteris Apoſtolicis Summorum Pontificum Honorij III. & Pij V. fusè, & eruditè tractat Hippolytus Marracius tomo de PP. Marianis, quem curioſus lector, ſi velit, conſulat.

Marracius de PP. Marianis ſub Honorio III.

Nec illud parvi momenti videri debet incenſi in Deiparam ſtudij, ejusque ambiendi à Fidelibus patrocinij argumẽtum, quòd ære campano ſingulis diebus bis, aut ter ſignum detur ad ſalutationem Angelicam recitandam, ut Fideles

Costerus S. 1.

meminerint, inquiunt Costerus, & Arnoldus Uvion, si sæpiùs non possint, tribus saltem diei temporibus orãdum esse, ac B. Virginis auxilium implorandum, juxtà Psalmistam: *Vespere, & mane, & meridie cantabo tibi Domine.* Et Sanctus Antoninus ita scribit: *Statuit Ecclesia singulis diebus pulsari campanas de serò, & iterùm de mane, ad quid nisi ut honoretur B. Virgo Maria, & laudetur salutatione Angelica.* Pulsûs meridiani non meminit, quia nondum erat in usu. Addit noster Costerus, matutino pulsu renovari memoriam Resurrectionis Dominicæ, quia redivivus è mortuis statim apparuit Mariæ: pulsum meridianum fieri in recordationem Passionis Christi, cui B. Virgo interfuit juxtà Crucem posita: vespertinum autem in memoriam Incarnationis Divini Verbi in utero Virginis perfectæ.

Coster lib. de Sodalit. B. V. M.

Spinellus de B. V. cap. 29.

Quod attinet ad hujus sacri moris initium, paucis exponam quid sentio: Urbanus II. Romanus Pontifex in Concilio Claromontano decrevit, ut vespere in omnibus Ecclesijs, præsertim Galliæ, in qua per id tempus versabatur, & Concilium coactum fuerat, trino cãpanarum sono ad orandum signum daretur pro felici eventu Sacræ Expeditionis à Principibus Christianis ad recuperãdam Hierosolymam susceptæ. Procedente tempore attritis in Palestina Christianorum viribus, Urbeque Sancta à Barbaris occupata, desijt mos ille sacer, donec Gregorius IX. illum revocavit, & cõmutavit in laudes B. V. Mariæ, addito pulsu meridiano, si fidem habemus Nauclero, & Genebrardo, qui addit; alios illum Honorio III. attribuere. Quem sacrum morem Sanctus Bonaventura, cùm sui Ordinis generalem ageret, maximè promovit inter Fideles, & suis præcepit concionatoribus, ut illum Christiano populo valdè cõmendarent; hoc est, ut illucescente die, & appetente nocte Deiparam Virginem Angelico more salutaret. Interruptum posteà, vel omissum seu cursu temporum, seu hominum incuria, in usum reduxit Joannes XXII. Summus Pontifex, si credimus Polydoro Virgilio, Pelbarto, Heroltio, & Petro Frisoni in sua Gallia Purpurata. Cæterùm verosimilius videtur pulsum meridianum invẽtum fuisse à Callixto III. PP. & Ecclesiæ Romanæ traditum Anno Christi 1456. ut eo excitati Fideles orarent pro exercitu Christianorum per id tempus adversùs Turcas apud Belgradum in Hungaria pugnantium; & voti compos factus Põtifex, partâ

Petrus Frison in sua Gallia Purpurata lib. 1. pag. 60.

Genebr. lib. 4. Chronol.

Henricus Sedulius in Vita S. Bonavẽt. cap. 1. §. 3.

Herolt. serm. 25. de SS.

Polydor. de Invẽtor. Rerum l. 6. c. 12.

Pelbartus in Stellario p. 2. art. 2.

Kolven. in Kal. Mar. ad diem 1. Maj.

B. Virginis patrocinio, memorabili de Mahomete Turcarum Imperatore victoriâ, ipso graviter vulnerato, & quadraginta Turcarum millibus cæsis, ut fusiùs scripsimus in nostra Lusitania Infulata Parisijs editâ typis Cramoysianis, & Summo PP. Alexandro VII. dicatâ.

Platina in Callisto III.

Nec desunt multi, & graves Historici qui affirmant à Ludovico XXI. Galliæ Rege, Deiparæ valdè studioso, publico, & solemni edicto jussum, ut matutino, & vespertino campanarum sono, adderetur per Galliam universam pulsus meridianus: indè in alias orbis Catholici provincias, seu à fonte, mos iste manavit.

Angelus Rocca lib. de Campan. c. 18. Macedo in Lusitania Infulata, & Purpurata sub Joanne XXI.

Alios prætereo salutandæ Deiparæ modos, ejusque tutelam promerendi rationes idoneas: unam tamèn silentio non cōmittam, quæ omnium gentium linguis, & præconijs celebratur; nempe Antiphonam *Salve Regina* cælesti dulcedine, & sensu pietatis plenam, viris sacris, & politicis cōmunem, & valdè usitatam: qua Horæ Canonicæ magna anni parte terminantur, ut siquid in ijs persolvendis, aut recitandis peccatum sit, Mariæ interventu, & pijs precibus à Deo delinquētibus condonetur. In more positum est apud multas Religiosorum Familias singulis anni currentis Sabbatis *Salve Regina* modulatis vocibus concinere, eaque ratione Fidelium mentes ad cælestia meditanda erigere, & ad Marianas laudes recolendas religiosiùs excitare. De illius Authore certò non constat: alij Sanctum Joannem Damascenum, Sanctum Bernardum faciunt alij: plures Hermannum Contractum, Monachum Benedictinum eximiè pium; Hispani Authores non pauci B. Petrum in Gallæcia Præsulem; Julianus Archipresbyter Toletanus novam nobis, & difficilem, ni fallor, sententiam inculcat his disertis verbis: *Hymnus Salve Regina, mater misericordiæ, Græcè ab Apostolis cōpositus, translatus est de Græco in Latinum à Sanctissimo viro Petro Episcopo Compostellano.* Navarrus, pius, & gravis Author sic scribit: *Fama est olim in nostra Hispaniæ Roncavalle Sabbatis solitam ab Angelis cantari SalVe Regina apud quemdam fontem, quem ab eo tempore in hoc præsens* Angelorum fontem *appellant: quam, ut alij aiunt, Sanctus Bernardus audivit ab eisdem alibi cantari.* Quod antiquitatis, & Religionis non leve indicium est. Germanis, & alijs ferè Europæ Gentibus illa sententia magis probatur, quæ hujus pijssimæ Antiphonæ authorem facit Hermannum Cōtra-

Navarrus c. 19. de Oratione.

tractum, Monachum Benedictinum, vt suprà diximus, quam nos libentèr amplectimur.

Cæterùm quàm benè Deipara Virgo ijs respondeat hominum precibus: quàm abundè compéset beneficijs de Cælo præstitis delata sibi à mortalibus obsequia pietatis: quàm dulci, ac tenero filios suos, nedum clientes, amore prosequatur; & impendentia ijs mala, objecto sui patrocinij clypeo, vel retundat, vel aliò avertat, nemo est qui nesciat. Illa justorum matrem perpetuò agere, & peccatorum apud Jesum Filium Advocatam: illa gentes vana idolorũ superstitione deceptas ad unius Dei cognitionem adducere: illa Hæreticorum pertinaciam contundere, & superborum fastum deprimere: illa Fidem puram, & nullis infectam erroribus conservare, & universi orbis bono consulere nullo unquam tempore destitit: idcircò in antiqua Oratione Ecclesiæ sic habetur: *Per quam post Deũ totus vivit orbis terrarum*: Illius enim precibus, & tutelâ stat nixa Christiani orbis moles, quibus si destituta foret, rueret protinùs ad terram, tantorum scelerum oppressa pondere, & ad ima Tartari, justo irati Numinis supplicio, truderetur. Quibus certam ac indubitatam fidem faciunt innumera apud Historicos exempla, & beneficia in publicam, & privatam utilitatem collata: *Omnia enim bona voluit Deus nos habere per Mariam, inquit Sanctus Bernardus; omnibus illa misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi; captivus redemptionem; æger curationem; tristis consolationem; peccator veniam, justus gratiam.* Idipsum suis scriptis confirmant Sanctus Anselmus Cantuariensis, Sanctus Bonaventura, & alij Patres tum Græci, tum Latini: quibus amoris significationibus, & maternæ solicitudinis argumentis satis declarat Virgo pijssima Orbis universi se esse Patronam, eumque sub sua habere clientela. Nonnulla ad id probandum è multis exempla seligemus.

S. Bern. serm. de prædict. & serm. signum Magnum.

Iratum aliquandò in mortales Deum, illique tribus igneis lanceis excidium minitantem, Sanctissima Virgo Maria ante oculos propositis Sanctis Dominico, & Francisco (qui tum in vivis erant) ad clementiam flexit; eaque orandi ratione mundi se Protectricem esse, & Divam Tutelarem confirmavit. Impios etiam Ecclesiæ Catholicæ hostes, ut illius bono, & saluti consuleret, lethali supplicio affecit; ut constat exemplo Juliani Apostatæ Christianos dirissimè persequentis, & ve-

Anton. Spinell. S. 1. de Deip. V. l. 4. c. 20.

veram Religionem extinguere modis omnibus cogitantis. Affuit enim de Cælo præsenti auxilio Virgo Deipara, & Mercurium Martyrem argenteis armis instructum, scuto videlicet coloris cærulei, cruce floreâ mediam secante areolam, rosis aureis quatuor inter Crucis brachia insertis; misit, qui Tyrannum sævissimum eo tempore contra Persas bellum gerentem hastâ transfigeret, die, ut ferunt, xxvi. Junij, Anno à Christo nato 363. *Lethale, ait Nazianzenus, orbique universo salutare vulnus accepit.* Illo occiso, respiravit Ecclesia, & persecutionis tempestate sedatâ, tranquillitas cum pace rediit.

Kolven. p. 1. Kal. Mar. ad diem 26. Junij. Baron. C. in Ann. Ecclef. ad Ann. Christi 363. Sozomen. l. 6. c. 2. Bozius de Sign. Ecclef. l. 9. c. 9. Locrius in Mar. Augusta l. 4. c. 48.

Anno redempti orbis 553. Totila Rex Gothorum tot quondam clarus victorijs, tot captarum Urbium, & Regnorum eversorum onustus spolijs, tot bellatorum stipatus copijs à Semiviro Narsete Justiniani Imperatoris Duce, Mariæ Virginis ope victus, ac interemptus est: oranti apparere solita, ac prælij tempus edicere, & contra fidei, & Imperij hostes divinam Bellonam agere. Visitur depicta Narsetis effigies in Sacello Sanctæ Mariæ Maioris Romæ, à Paulo V. magnificè extructo, cum hujusmodi inscriprione:

Narsetem B. V. docet quomodò Totilam vincens Italiam liberet à Gothis.

Totila Rege occiso, Ecclesiæ bono, & Imperij felicitati consultum.

Pius V. Pontifex Max. Venetis, & Philippo Rege Hispaniæ in armorum societatem adscitis, bellum sacrum magna mole apparavit adversùs Selimum Turcarum Imperatorem, qui Cypro Insula captâ, Venetorum ditioni, & Italiæ universæ armis victricibus imminebat; Christianæ classis Duce Joanne Austriaco, ad Echinadas Insulas summis utrinque viribus, & magna animorum contentione pugnatum: parta, Virginis auxilio, à Christianis victoria; vigintiquinque millia Turcarum cæsa; captivorum viginti millia servitio exempta (alij plures numerant) triremes centum octoginta captæ; depressæ, & incensæ multæ: ingens præda fuit, & bellicus apparatus Barbaris ereptus. Felicissimum prælium, & in paucis memorabile: cujus exitum Pontifex Pius Beatissimæ Virginis precibus adscripsit Christianæ classis Patronæ, ac Tutelari. Nec cuiquam dubium fuit quìn tam insignis victoria Deiparæ deberetur, ut constat ex diplomate Gregorij XIII. quo ad alendam tanti beneficij memoriam festum so-

solemne instituit titulo *Rosarij* Dominica prima Octobris celebrandum : Idipsum illius Antecessor Pius V. celebrari præceperat septima die ejusdem mensis, quo victoria de Turcis parta fuerat, inter Sodales Rosarij, qui multas pro felici eventu prælij ad Deiparam fuderant preces. Joannes ipse Austriacus non minus paterna Caroli V. Imperatoris gloria, quàm propriâ virtute clarus, Lauretum petijt, ut Deiparam salutaret, cujus precibus, & patrocinio victoriam ferebat acceptam, ut elegantèr scribit inter alios Authores, Horatius Tursellinus Societatis nostræ Historicus.

Card. Baron. in Notis ad Rom. Martyrol. die 7. Octobr.

Surius in Comment. ad Hist. Anni 1581.

Joann. Anton. Gabutius in Vita Pij V. l. 5. c. 6.

Hieron. Catena in Vita Pij V.

Aliud etiam hostium genus longè perniciosius, idest, Hæreticos, juratos Ecclesiæ hostes, Deiparæ industriâ, auxilioque deletum, præsentem illius in Ecclesiam Christi curam, & amorem testatur: alij quippe hostes in corpora, Hæretici in animos bella gerunt: illi humana ambire, caduca & mortalia cogitare solent, jure in populos, & terrarum ditione contenti; ij divina tentare, Dei legem corrũpere, nobilissimam hominis partem, hoc est animam, impijs erroribus, inficere, ac perdere moliuntur: superis detrahere, Deo ipsi injurij esse; Papam Christi interris Vicarium odio habere, convitijs proscindere Ecclesiam Romanam fidei Magistram, & Christiani imperij Arcem exscindere modis omnibus meditantur. In hoc sævissimo hostium genere debellando, & juvanda Ecclesia, maximè enituit omnibus ferè seculis Beatissimæ Virginis Mariæ virtus, & patrocinium: quod sic discurrendo per nonnulla scitu digna probatur. Rectam fidei Catholicæ formam, illius mandato, Sanctus Joannes Evangelista Beato Gregorio Thaumaturgo quondàm tradidit, non alio, quàm digito Dei scriptam, qua cunctæ in posterùm hæreses jugularentur: quam ob rem gravissimi in Oriente Patres Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, & alij, clarissima Ecclesiæ Græcæ lumina, magni faciebant Thaumaturgi Fidem: ejusque formulam pro oraculo divinitùs tradito, habebant. Rursùm cùm Tartarei caput Serpentis Sanctissima Virgo contriverit juxtà illud Geneseos : *Ipsa conteret caput tuum*: nefarium etiam Serpentis semen, idest Hæreticos, quorum perversa doctrina sicut cancer serpere dicitur, extinguere, & illorum errores extirpare à Dominica vinea non desistit. Quapropter Ecclesia ipsa ab Spiritu Sancto edocta in solemni illa, ac pietatis plena Aña à multis jam seculis vbiq;

Ciaconius in Pio V.

Kolven. Domin. 1. Octobris.

Anton. Balinghem in Ephem. Marian.

Horatius Tursellin. S. 1. in Histor. Lauretana.

S. Basil. Ep. 64. & 79.

S. Greg. Nissenus in Vita S. Gregor. Thaum.

Genes. c. 3.

re-

recepta, his disertis verbis eidem gratulatur : *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.* Quam Petrus Crespetius in Concilio Chalcedonensi compositam fuisse memorat; & Pulchronium Episcopum Virdunensem ab eodem Concilio in Galliam jam reversum jussisse Deiparæ V. imaginem collocari in Templo à se erecto, serpentem virgineis pedibus protetentem : quo significare volebat, domitos ab illa fuisse, & proculcatos Hæreticos, qui *Theotócon*, idest, *Matrem Dei* cum Nestorio, inficiari audebant. Apposuit Pulchronius supradictæ Imagini epigraphen: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses, &c.* Aptè in rem nostram Sanctus Ildefonsus: *Hæc est Virgo, quæ sola interemit universam Hæreticorum pravitatem.* Et Rupertus Abbas : *Sicut filius Christus spinas pertulit, & confregit; sic de Matre veraciter semper prædicabitur*, Cũctas hæreses sola interemisti, &c. D. Bernardus in sermone, *Signum magnum* , & Sophronius Sancto Hieronymo coævus, eamdem in B. Virgine virtutem, & potestatem adversùs Hæreses, & earum Authores agnoscunt: quam multis sanè modis exercêre videtur: illos sic enumerat , & expendit noster Spinellus: primò, quia Christum justitiæ Solem, & lucem peperit, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & errorum tenebras dispellit. Secundò, quia singulari modo Magistra fuit Apostolorum, quorum doctrinâ hæreses refelluntur, ut egregiè expendit Rupertus his verbis: *Post Ascensionem Christi in corpore detinebaris Magistra, & testis contra Judæos blasphemantes, & Hæreticos Christianam veritatẽ corrumpere laborantes: consulendum igitur erat Oraculum Spiritus Sancti, Sacrarium scilicet pectoris tui, ut omnem viva demonstrãs voce fidei regulam.* Tertiò, quia multæ hæreses circà Verbi Divini Incarnationem versantur, ut observat Sanctus Bernardus, quæ facilè confutantur ab ijs qui illam Dei Matrem esse fatentur. Quarto, quia fidei defensoribus, & Doctoribus Ecclesiæ contra Hæreticos pugnantibus affuit, ut SS. Dominico, Francisco, Antonio de Padua, Bernardino Senensi, Vincentio Ferrerio, & alijs eximia pietate viris, quos longum esset recensêre. Quinto, quia suis meritis, & precibus apud Deũ Hæreticorum perfidiam contundit, & eorum refrænat audaciam. Sexto, quia in illius Templis, ac Basilicis multa fuerũt adversùs Hæreticos Concilia celebrata, ut constabit Annales Ecclesiasticos evolventi ; & modò fieri videmus Romæ

Petrus Crespetius in Triumpho B.V.

Kolven. in Kal. Mar. ad diem 7. Novebr.

S. Ildef. Sermon. de B.V.M.

Rupertus Abbas in Cantic. c.2.

S. Bernardus.

Sophronius Serm. de B.V. Assumpt.

Spinell. de B.V.M.

Rupertus Abbas in Cant. c.5.

S. Bern. Sermone Signum magnum.

Congregationem Sanctæ Inquisitionis singulis hebdomadis in Conventu Sanctæ Mariæ suprà Minervam, in qua Fidei causis Præpositi Cardinales contra Hæreticam pravitatem diligentèr invigilant, & egregiam navant operam, ut Fidem Catholicam putam, & nulla hæresum labe inquinatam conservent.

Quas Spinellus fusè enumeravit rationes interimendi, seu extinguendi hæreses, B. Virginis ope, has Franciscus Soares, excellens Societatis nostræ Theologus, paucis complectitur Tomo de Vita, & Mysterijs Christi, in hunc modum: *Potest hoc*, ait, *specialitèr attribui B. Virgini, vel quia generando eum, qui est Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, omnes errorum tenebras fugaverit; vel quia singulari modo cunctis fidei defensoribus, ac Doctoribus opitulatur: vel quod ad rem præsentem pertinet; quia singulari modo fuerit fidei magistra: & quia ipsos etiam Apostolos docuerit; quorum doctrinâ hæreses interimuntur.* Nobis sufficiat lectoribus inculcare Italiam, Deiparæ auxilio, Arianorum erroribus fuisse libetatam, vt testatur Bosius, occiso Rege Totila Hæreticorum fautore: Hispaniam etiam ab Helvidij hæresi, operâ, & industriâ Sancti Ildefonsi, Deiparæ valdè studiosi, & Archiepiscopi Toletani. In Gallia, partâ olim, Virginis ope, victoriâ de Hæreticis Albigensibus à Simone Montfortio Catholicorum Duce, Hæresis cum ijs simùl extincta fuit. Pio V. Pontifice Maximo, Hugonoti Hæretici, mortalium nequissimi, Caroli IX. armis, & auspicijs debellati, & internecione deleti die iij. Octobris: Carolus, Rex pijssimus, victoriam B. Virgini acceptam retulit. In Germania, Imperante Ferdinando II. victi ad Norolingam Suecì Hæretici, captique præcipui eorum Duces, *Maria* nomine pro symbolo victoriæ Catholici exercitûs militibus dato. Leguntur hujusmodi versus ad Sanctæ Mariæ de Anima Romæ parietibus inscripti:

Thomas Bosius de Signis Eccles. lib. 9. cap. 10.

Virgo Parens, cujus ductu Fernandus ab hoste
Rettulit insignem, Nordlinga teste, triumphum:
Hæc tibi castrorum Matri pro munere victor
Signa inimica sacrat tanti monumenta favoris.

Visuntur etiam signa militaria Suecis hostibus erepta è tholo templi suspensa, partæ victoriæ monumenta.

Cæterùm in ipso contra Tartareas potestates bello, quod perpetuò gerimus dum sumus in corpore, & peregrinamur à

Do-

Domino, potissimùm se prodit B. Virginis ergà mortales cura, & patrocinium: nam quo maior est illarum potentia, & astutia, & hominum fragilitas maior, eò magis Deiparæ auxilio indigemus, ut vires nobis sufficiat ad vincendos hostes idoneas. Idcircò Andreas Cretensis *Mariam vocat Christianorum Præsidium, & omnium qui in ea spem collocant*, *Arcem firmissimam*: & licet hæc abundè præstet quandiù in vivis sumus; in extremo tamèn vitæ actu, in quo de summa æternæ salutis agitur, clariùs enitet pijssimæ tutela matris ergà filios, & clientes ne Tartareis hostibus succumbamus. In illo quippe mortis articulo humani generis hostis, sciens quoniam modicum tempus nocendi mortalibus habet, vires omnes exerit, & omnes industriæ nervos intendit, ut peccatores suopte ingenio ad malum pronos, vel in desperationem præcipites agat suorum scelerum oppressos pondere, ac eorum fœditate deterritos: vel etiam justos inanis gloriæ aurâ inflatos, & sibi nimium fidentes ad Tartari ima detrudat: è contra verò Virgo Sanctissima sua omnes protectione defendere; Advocatæ munus, & officium apud Deum agere filium, omnes sub suam recipere clientelam non cessat, ut illi superatis hostibus victores evadant, & lauream obtineant gloriæ immortalis. In illo igitur rerum articulo magnæ Dei Matris auxilium implorare, & nomen invocare debemus illâ precandi formulâ, quam Sancta Mater Ecclesia ab Spiritu Sancto edocta Salutationi Angelicæ adjunxit: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen*; & alia huic simili in hymnis sacris usitatâ:

Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Ad hanc igitur totius orbis Patronam clementissimam confugere opus est, ad sacros illius pedes advolvi, precarique ut suo nos velit patrocinio defendere, umbra tegere, beneficijs recreare, in dubijs rebus instruere, ac facem præferre in via salutis æternæ: in prælijs item contra Tartareos hostes opem pugnãtibus ferre, & victores reddere, ut ad cælestis tandem patriæ portum salvi, & incolumes appellamus.

SANCTVS

MICHAEL ARCHANGELVS

Ecclesiæ Catholicæ Patronus.

CÆLESTIS militiæ Princeps olim Synagogæ, Catholicæ modò Ecclesiæ Patronus, & Defensor habetur, ut multis differit S. Dionysius Cælestis Hierarchiæ cap. ix. quem Theologi Doctores sequuntur ; & *Author operis Imp. perf. hom. 48.* Sacrarum litterarũ Interpretes. Præclara sui *S. Hier. in cap. 10. Dani.* patrocinij indicia præbuit inter Ægyptios, ut electum à Deo populum sibi commissum , & gravi servitutis jugo oppressum in libertatem assereret, ut nonnulli *Euseb. Nierēb. S. 1.* Authores existimant. Idem Archangelus, Dei nomine cum *de S. Michaele l. 1.* Moyse familiariter loquebatur, ac idoneas illi tradebat leges, *S. Gregor lib. 17. moral. cap. 8.* ut Israeliticam Gentem in officio contineret , & sacra justis , ac solemnibus ritibus peragi curaret. Illius auxilio Josue fretus *Michael Navens in Chron. Appar. S. Michael.* Chananæos Reges commissis non semel prælijs , debellavit, & promissam à Deo Israelitis terram lacte , ac melle ma- *Valensuela in Discursib. Angelic. & Apostolicis.* nantem, aut occisis, aut exactis vi armorum incolis, occupavit. Ad Jerichontinam etiam urbem funditùs exscindẽdam tendenti opem tulit. In libro Josue, *Dux exercitus Domini Is-* *S. Thom. in Isaiam cap. 10. & in 4. sent. d. 43. q. 4. c. 2. ad 2.* *rael* per Antonomasiam appellatur. Procedente die, cùm Bethuliam multis bellatorum millibus stipatus obsideret Holofernes, Juditham juvit excelsi animi Heroinam , ut captum *Pantaleo Diaconus conc. 1. & orat. 2. de S. Michaele.* formæ elegantiâ ducem vino madidum, & somno oppressum gladio obtruncaret, ac palabundum exercitum, & sine capite truncum suis objiceret profligandum. Rursùm Senacherib *Pachymeres in Dionys. c. 9. fol. 68.* Regem Assyriorum innumerabilibus cinctum copijs , arcta *Raban. Maurus de Cruce lib. 1. c. 7.* Hierosolymam obsidione prementem valdè perterruit cùm nocte concubia centum octoginta quinque millia bellatorũ trucidavit cæde tacita, & somno simili. Judæ Machabæo cõtra Lysiam bellum gerenti cælestibus indutus armis apparuit,

Nicol. Serarius S. I. in Josue l. 4. c. 5. q. 43

& in medio ardore certaminis suppetias tulit pugnanti; ut insignem de sævissimo hoste victoriam reportaret: indè profectum, ut communicato cum fratribus consilio Judas, grati animi causâ, militatibus vexillis appingi jusserit Michaelis Ethymologiam, vel Epigraphen *Quis ut Deus?* A nobis hactenùs tradita multis, & idoneis Sacræ Paginæ testimonijs confirmari possunt, maximè Danielis capite decimo: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps noster.* Iterùm dum causam ageret Hebræorum, Angelo horum Custodi favit, ut à captivitate Babylonica tandèm liberarentur. Et capite 12. venturus dicitur tempore Antechristi, & pro suæ gentis salute contra illum pugnaturus. B. Judas Apostolus in sua Epistola Canonica scribit contendisse Michaelem Archangelum cum diabolo de Moysis corpore, cujus ille sepulchrum occultare volebat, ut peccandi occasionem tolleret Hæbræis suopte ingenio ad idolatriam pronis: is econtra illud propalare contendebat, ut ipsos ad peccandum impelleret. Apocalypsis capite 12. à S. Joanne Evangelista describitur pugna Michaelis, & Sociorum Angelorum adversùs Luciferum, & Angelos ejus Sequaces, à Daniele Propheta multò antè prædicta. Ex his Sacræ Paginæ locis (plura omittimus ne lectoribus fastidio simus;) satis constare videtur fuisse B. Michaelem Archangelum Veteris Synagogæ Patronum.

Martyr. Roman. die 8. Maij.
Chrysost. orat. 2. contra Judæos.
S. Greg. l. 17. moral.
S. Bern. homil. de Angel.
S. Bruno Serm. de S. Mich.
Rupertus Abbas.
Pantaleo Diaconus.
Raban. l. 1. de Cruce.

Illâ verò cum suis jam extinctâ cæremonijs, & cum honore sepultâ, nascenti Christi Ecclesiæ, ac inter veræ fidei splendores frontem augustiùs explicanti, S. Michael singulari Divini Numinis providentiâ, assignatus est fidissimus custos, egregiusq; defensor; ut liquidò apparet ex Romanæ Ecclesiæ Officio; ex multis ipsius Archangeli apparitionibus; ex innumeris beneficijs ergà Fideles sibi cōmissos collatis; ex cōmuni Sanctorum Patrum consensu litteris tradito, & scriptis expresso, Chrysostomi præsertìm, Gregorij Magni, Bernardi, Brunonis, Cæsarei, Laurentij Justiniani. Rupertus Abbas sic in rem præsentem loquitur: *Michael Princeps noster dicitur, & Princeps in prælio, Princeps orationis suffragio, & usque ad finem seculi principatur populo Dei.* Aponius lib. 4. in Cantica, Michaelem disertis verbis appellat *Custodem Ecclesiæ Catholicæ.* Cæteris fusiùs, & elegantiùs Pantaleo Diaconus, antiquus Author & gravis, eum *Patronum maximum Ecclesia Christiana*

non

non semel nominat in opere, quod composuit de *Sancti Michaelis Encomijs.* Unum præ alijs locum in medium producamus, qui rem, de qua agimus, continet: *Post Deum,* inquit, *& intemeratam ejus Matrem, Michaelem habemus Patronum maximum, potentemque Defensorem.* Alius recentiori ævo non obscuri nominis Author Nicolaus Serarius nostræ Societatis Theologus, sic de B. Archangelo Michaele scribit: *Si populos, regnaque plura Rex habet aliquis, quorum unum sit maximum, Regique ipsi charissimum, cui è principibus suis præficere aliquem velit, quem quæso præficeret nisi maximum, optimumque omnium? At Ecclesia, quæ in terris est, populus, & regnum istud maximum, Deoque charissimum, eique, & olim, & nunc Sanctum Michaelem à Deo præpositum esse scimus; Angelorum igitur maximus, & potentissimus existit. Ipse Deus Opt. Max. quem cælestium geniorum hactenus in Mosayca, & Christiana Lege maiore prosecutus est honore, quàm Sanctum Michaelem? Cui nobiliora in Scripturis elogia tribuit? Cui maiora, & splendidiora munia demandavit? Quem pluribus, & illustrioribus miraculis ornavit? In cujus venerationem plus imaginum, & Statuarum, plus festorum, & publicarum, privatarumque precum fieri voluit? Summum post B. Virginem locum tenet, & Dei vices in cælo gerit; post Luciferi lapsum Angelorum omnium Supremus princeps: quem Ecclesia vocat cælestis exercitûs Primatem, Zabuli victorem decantat; alio loco cælestis militiæ Principem, & paradisi Præpositum.*

Serarius S. I. in Josue l. 4. c. 5. q. 5.

Innumera illius apud Deum precibus beneficia Ecclesiæ, Fidelibusque concessa quis vel calamo describere, vel cogitatione comprehendere valeat? Nonnulla tamèn ex ijs colligere, ne officio nostro deesse videamur, operæ pretium ducimus, à Francisco Soario Societatis nostræ Theologo, suo satis nomine celebri, deprompta: *Christiani Populi,* inquit, *curam gerit; puram inter Catholicos fidem, & incorruptam conservare studet; hæreses extinguere, tollere de Ecclesia schismata; pacem fovere, & mutuam inter Principes Christianos servare concordiam, bella aliò avertere, diffidentes inter se conciliare; si quando se offerat bellandi occasio adversùs Catholicæ Religionis hostes, præsentem suis militibus opem ferre consuevit: furentium dæmonum impetum retundere, artes fallere, dolos eludere, ne mortales decipiant, superentve suæ tutelæ commissos.* Hæc, & id genus alia communem in omnes amorem, curamque benè commendare videntur. Cæterùm propria quædam,

Soar. de Angelis l. 6. c. 10.

S. Michael A.

& multis gentibus peculiaria hic referre amoris indicia non erit ab instituto nostro alienum, quæ singularem illius in Ecclesiæ fideles tutelam, patrociniumque declarent.

In ipsis Christianæ Religionis incunabulis cùm Petrus Apostolorum Princeps, ac Dei in terris Vicarius ab Herode Rege in carcerem conjectus esset, ibique vinctus inter militum armatorum custodiam teneretur: inde Sancti Michaelis operâ, & industriâ eductum fuisse, existimant nonnulli S. Scripturæ Interpretes: *Fiebat enim, ait Sanctus Lucas in Actis Apostolorum, ab universa Ecclesia (cujus ille Patronum agit) oratio ad Deum pro eo.* Atque in hunc modum cælestis genius prodidit quàm singularem fidelium, maximè verò Pontificis Ecclesiæ capitis, curam gereret. Hanc obrem Sanct. Gregorius Magnus pijssimè coluit S. Archangelum, ac de ejus laudibus luculentam habuit homiliam. Sæviente verò per Urbem lue pestifera, omnesque illius regiones pervadente, instituta publica, & solemni supplicatione ad placandam divini Numinis iram, idem Sanctus Pontifex Archangelum vidit suprà Adriani molem Tiberis ponti impositam gladium vaginâ recondere, & à cædibus temperare, certum placati jam Numinis argumentũ, & à se præstiti in Urbem, & Ecclesiam patrocinij. Leo IV. in bello adversus Saracenos juratos Christiani nominis hostes à se suscepto præsenté illius opé expertus est, & in Vaticano Templum *Sancti Michaelis titulo* erexit, accepti beneficij monumentum, ut constat ex antiqua inscriptione, quam hic apponere supervacaneum ducimus. Sub Gelasio primo Michaelis valdè studioso, illustris fuit hujus Apparitio in Monte Gargano; & alijs alibi Apparitionibus, quæ diversis temporibus contigerunt, prodere voluit S. Archangelus Christianæ se esse Ecclesiæ Patronum, ac Defensorem, ut cecinit Drepanius Florus, antiquus Poeta; meminit quippe de illius festo à Romana olim Ecclesia celebrari solito. Leo IX. eximia pietate Pontifex, cùm certò sciret Romanam Ecclesiam S. Michaelis custodiæ, patrocinioque subesse: & Summos Pontifices illius favoré, & auxilio ad Ecclesiam benè gubernandam indigere, ubi primum consecratus est Pontifex, Sipontum in Apulia Urbem, se contulit, ut S. Michaelis templum, de quo supra meminimus, religione inclytum, pius inviseret; ibique fusis ad Deum precibus opem imploraret, ut suo muneri non deesset.

Sanct. Luc. cap. 12. in Act. Apostolorũ.
Cornel. a Lap. S. 1. in Acta Apostolorum.
Pantaleo Cartophil. in Encomijs S. Mich. apud Suriũ 29. Septembr. de S. Michaele pag. 119.
Joannes Lupardus in Mirabilibus Vrb. Romæ.
Kolven. part. 1. Kal. Mariani c. 13.

Lacerd. S. 1. de SS. Angel. Custodib. pag. 521.

C. Baron. in not. ad Marty. Roman. die 8. Maij.

Drepanius Florus.

A Summis Pontificibus ad Imperatores, & Reges descendamus, quorum multi seipsos, Imperium, regnaque in Beatissimi Archangeli clientelam magno pietatis studio, & amore dederunt; ut sub illius patrocinio Respublica Christiana non minus religionis fama, quam armorum gloria floreret: quod olim Pantaleo Diaconus his conceptis verbis significavit: *Romanam custodit Rempublicam, Christianorum Imperatorem armat adversus Barbaros, Christianos reddit victores; dæmonum impetus propulsat.* Aperiente se quondam Serenitatis die Constantini magni Sole in Ecclesiam persecutionum tempestatibus jam defunctam; illato, valdè enituit Sancti Michaelis cura, & tutela cælestis: Nicephorus enim tradit apparuisse illum Imperatori, dixisseque: *Ego sum Michael Archidux Domini Sabaoth, Christianorum Fidei tutor, qui tibi contra impios Tyrannos belligeranti fideli, & germano illius ministro auxiliaria arma contuli.* Ea Michaelis imagine oculis objecta, monitisque cælestibus confirmatus Imperator apud Constantinopolim in utroque maris littore duas Basilicas *Michaelis* titulo insignes ædificari præcepit ut illius favorem, & patrocinium sibi conciliaret ad Romani Imperij, & Catholicæ Religionis hostes debellandos. Narrant præterea Sozomenus, & Baronius extructum fuisse magnificum à Constantino templum in Suburbijs Constantinopolis, quod *Michaelium* dixerunt, locum verò *Sosthenium*, idest *Salutarem*, ibi enim cælestis genij simulachrum inventum est Alatum, quod Michaelis præferebat speciem. Multa, decursu temporis hoc ipso in templo, eaque illustria contigere miracula, quorum fama exciti innumeri ex omni sexu, atque ætate mortales eò, pietatis causâ, peregrinationes suscipiebant, ut in illo spirante sanctimoniam templo, Archangeli precibus, animi salutem, & corporis à Deo obtinerent.

Baronius in Annalibus Ecclesi. Anno Christi 1049.
Leo Ostiens. lib. 2. cap. 82.
Pantaleo Diaconus in Encomijs S. Michaelis.
Nicephor. l. 7. c. 50
Lacerd. de SS. Angelis Custodibus.
Euseb. Nierẽb. S. I. de S. Mich. Arch. lib. 1. pag. 76.
Baron. Anno 330.
Cedrenus in Basil. Imper.
Nicephor. l. 7. c. 50.
Zonaras in Hist. Eccles.
Lacerda pag. 521.

Constantini Magni vestigijs institere Successores, Justinianus præsertim Imperator, qui Sanctum Michaelem, ut Ecclesiæ Patronum impensè coluit, & Romani Imperij Defensorem. In illius honorem sex elegantis structuræ Basilicas ædificari mandavit, ut eo religionis, & munificentiæ obsequio illum sibi propitium redderet ad Barbaros debellandos, qui provincias Orientis infestis armis invaserant, easque diripere, & suæ ditionis facere cogitabant. Emmanuel Imperator, teste Niceta, illustrem de Isaaco tyranno res Orientis im-

Euseb. Nieremb. de S. Michaele cap. 3.
Serarius in Josue l. 4. c. 5. q. 44.
Procopius de Ædif. Justiniani cap. 1.
Metaphrastes apud Surium.

importunis seditionibus turbante victoriam reportavit Michaelis auxilio implorato. Celebris erat Colossis (id nomen urbi) miraculi commemoratio à Sancto Michaele patrati die vi. Septembris , magna urbis totius solemnitate peragi consueta, ut constat ex Græcorum Menologio , Theodoro Balsamone, Simeone Metaphraste.

Choniates in Annal. lib. 3. Lypomanus lib. 6. Metaphr. 6. Septeb. Menol. Græcor. Balsamon.

Primævæ fideles Ecclesiæ per urbis Orientis, regionesque dispersi Ethnicorum templa Deo Marti bellorum apud illos præsidi dicata, in S. Michaelis Ecclesias, cælestis militiæ Principis, consecrare solebant. Id ipsum in alijs Occidentis regionibus factitatum fuisse advertit Nicolaus Serarius in Ducatu quippè Sleuvicensi, in Ducatu Luneburgensi , & Juliacensi Ducatu Martis delubri loco , suffectæ fuerunt S. Michaelis Ecclesiæ. Antuerpiæ in Belgio fanum Martis in B. Archangeli Ecclesiam mutatum primam Episcopis sedem præbuit , deinde Canonicis Præmonstratensibus Abbatiam. Coloniæ Agrippinæ supra portam Rhenanam ædicula Marti olim dicata in sacellum S. Michaelis conversa, & aliæ alibi, plenam dictis fidem adstruunt. Itaque quod Ethnicis Mars bellipotens erat , Christianis Michael esse videtur (si sacra licet miscere profanis.) Sub illius nomine , & auspicijs bella gerere consueverant majores nostri. A Græcis certè S. Michael *Archistrategos*, idest *Supremus militiæ præfectus* dicebatur ; ejusque effigiem in vexillis Imperatores cùm ad bella procedebant, præferre soliti erant.

Cardin. Baron.

Nicol. Serar. S. 1. in Josue l. 4. c. 5. q. 44.

Euseb. Nierēb. S. I. lib. 1. de S. Michaele pag. 76. & 77.

Gretzer. tom. 2. notar. pag. 610.

Ab Oriente in Occidentem, à Græcis ad Latinos transeamus. Henricus cognomento Pius , & alij Germanorum Imperatores depingi fecerunt in signis, & vexillis militaribus S. Michaelis effigiem draconem Stygium proculcantis, eumque lanceâ transfigentis, ut omnibus palàm facerent Christianos Cæsares sub illius patrocinio, & tutela bellare. Otto piandi studio criminis, quod commiserat, occiso Crescentio Romanorum nobilissimo cive , ad Sancti Michaelis templum in Monte Gargano situm, B. Romualdi monitis, consilijsque inductus, nudis pedibus, & habitu pænitentis ivit , tum ut supradicti criminis pænas exolveret , tum ut sui in Michaelem Archangelum studij, & pietatis præberet specimen.

Henricus Pius Imperator.

Cæterùm quia per omnes mundi partes cælestis Genij se cura diffundit ; nec ullam quantumvis à nobis remotam , sui patrocinij vacuam, & beneficijs destitutam relinquit, operæ pre-

pretium erit singulas mentis oculis perlustrare, easque describendo levi calamo percurrere, ut Angelici patrocinij impressa in ijs vestigia videamus, ac veneremur.

Hispania Sanctum Michaelem habuit olìm Patronum, & Advocatum, antequàm sibi deligeret Divum Jacobum Apostolum: eumque superiore nobis seculo pristinæ dignitati, ac titulo suo restituere totis viribus conatus est Fr. Severus de Tovar, Capuccinus, eximia pietate, ac sapientia vir, cùm per Castellæ Regni pagos, Urbesque Apostolorum more, prædicando discurreret, & mortales universos ad sectandam virtutis viam, & promerendum Angelorum favorem, non minùs innocentis vitæ exemplis, quàm sermonibus hortaretur. Die viij. Maij S. Michaelis Apparitioni sacrâ, regnante in Hispania Recaredo, & Sancto Leandro Archiepiscopo Hispalensi, in Concilio Toletano, Hispani ejuratâ hæresi Ariana Fidem Catholicam amplexi fuerunt, quam ad hanc usque diem puram, & nulla errorum labe fœdatam retinent, ut liquidò appareret id ipsum S. Michaelis precibus apud Deum perfectum esse. Jam inde à Gothorum in Hispania Regum tempore in Officio Ecclesiastico *Patronus Hispaniæ dicebatur*; ut multis probant Eusebius Nierembergius Societatis nostræ Theologus, & Joannes Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico ad diem viij. Maij, adducto ad id probandum hymno quodam valdè vetusto, in quo hujusmodi versiculi legebantur:

Iste semper est Protector,
Et Defensor omnium,
Ut cunctorum postulata
Regi Deo offerat.

Euseb. Nierẽb. S. 1. jam citatus p. 285.
Esculan. Hist. Valent. l. 2. c. 12.

Idem habetur in Breviario Isidoriano, seu Mosarabe. Toletum prætereà, Castellæ Caput, & Regum antiquorum Sedes, Tutelarem sibi desumpsit Sanctum Michaelem, qui certo, & insigni quondam patrocinij documento in suos præstito cõfirmavit quanti faceret Toletanos, cùm suprà Sancti Severani Castellum à Rege Marrochij innumeris Maurorum copijs obsessum, cælo delapsus apparuit, tantumque hostibus terroris injecit, ut eos confestim in fugam verterit, desertis castris barbarica opulentia, spolijsque ingentis pretij refertis. Solutâ obsidione cives, grati animi causâ, Angelorum Præsidi Aram dicarunt nullo unquàm tempore perituram.

Naveus in Chron. Euseb. Nierẽb. S. 1. cap. 26. pag. 75.

Vuam-

Vuambæ, pijſſimo Hiſpaniæ Regi, adversùs Paulum Tyrannum, qui ſumptis in ipſum Regem armis rebellaverat, bellum gerenti, Sanctus Michael multis Angelorum millibus comitatus ſe ſpectandum præbuit, eumque cœleſti virtute juvit, ut hoſtes numero, ac viribus longè ſuperiores, acie ſuperaret: partâ victoriâ, urbes nonnullæ, quæ Tyranni partes ſecutæ à Regis fide defecerant, ad illius obſequium, & obedientiam redierunt.

Cerda de SS. Angel. Cuſtodib. c. 20.

Blaſcus de Lanuza lib. 1. cap. 29.

Ramirus Rex devictis cruento prælio Saracenis D. Michaeli victoriam acceptam retulit, cujus auſpicijs bellum inierat, ac ut tanti beneficij memoriam æternaret, quatuor in Sancti Michaelis honorem Eccleſias excitavit.

Cardin. Baron. in Annal. Eccl. Anno Chriſti 938.

In Aragonia Alphonſo Rege Cæſarauguſtam Urbem ſummis viribus oppugnante, qua parte promptiſſimi quique militum in murorum pinnas evadere nitebātur, & in urbem vi irrumpere, S. Michael per ſpeciem ſe exhibuit præſentem Chriſtianis pugnantibus, cœleſti circumfuſus luce, & ſplendentibus auro armis conſpicuus: territi hoſtes illa oculis objecta ſpecie, de reddendâ confeſtìm urbe conſilia agitarunt; quam juſtis pro tempore conditionibus Alphonſus recepit, non minore Maurorum dolore, quàm Chriſtianorum gloriâ. Ipſo in loco Apparitionis templum illicò extructum accepti à Rege beneficij memoriam conſervat, & Michaelis tutelam, patrociniumque commendat.

Joannes Tamajus Salaz. in Martyr. Hiſpanico ad diē 8. Maij.

Euſeb. Nieremb. citatus pag. 183.

Vaſcones, Cantabri, Aſturesque bellicoſi Hiſpaniæ populi, anteactis ſeculis Patronum habuerunt eumdem cœleſtis militiæ Principem: nec quicquam magni momenti domi, foriſve agebant, niſi illius nomine antè invocato, & auxilio implorato. In prææalto Vaſconiæ monte ſilvis obſito, acceſſu difficili, aditu aſpero apparuit Sanctus Michael, quaſi eum ſibi vendicare in Hiſpania vellet, quemadmodùm Garganum in Italia montem, & in Gallia alium religione inclytum, cui nomen *Tumba* in Diœceſi Abrincenſi vendicavit, de quibus ſuo loco dicemus. Eò è viciniſ oppidis multi pietatis ſtudio moti confluere ſolent Peregrini, ut à Sancto Archangelo opem in ſuis, & alienis calamitatibus implorent. Ivit etiam Petrus Rex Vaſconiæ nudis pedibus per loca difficilia, & ſaxis aſpera, ſacco arenæ pleno onuſtus, ut illo demiſſionis genere Sancti Archangeli gratiam ſibi conciliaret, & favorem promereret. Hiſpaniam à Maurorum ſervitute, & tyran-

nide

nide liberandam esse, ac pristinæ felicitati restituendam, prænuntiatum fuit à Sancto Michaele trecentis ferè antequàm id contingeret, annis, si credimus Francisco Ximenio Patriarchæ Hierosolymitano.

Alphonsus Rex Lusitaniæ eo nomine primus B. Michaelis patrocinio fretus Hispalis Regem innumeris Maurorum copijs instructum commisso propè Scalabim cruento, ac periculoso prælio fudit, fugavitque; & ut se gratum præstaret Superis, viderat enim in medio ardore certaminis alatum Angeli brachium evaginato gladio pro Lusitanis acerrimè dimicantis, Ordinem militarem instituit sub Sancti Michaelis, & Angeli Regni Lusitanici Custodis nomine, tituloque illustrem: militibus verò Alam purpurei coloris pro insignibus attribuit, auro intermicante distinctam: procedente tempore is ordo extinctus est: viget tamen ad hanc usque diem inter Lusitanos in B. Michaelem amor, & pietas singularis. *Scriptores Lusitani. Franciscus Menenius de Ord. Milit.*

Affirmant viri docti, ac pij repertum fuisse S. Michaelis nomen multis locis inscriptum in Orbe novo (sic vulgò dicunt) ab Hispanis nuper invento, & frequentibus colonijs, oppidisque exculto. Ad primum etiam in Peruvia portum ipso S. Archangeli die sacro Hispanicæ naves salvæ, & incolumes appulerunt; ut omnibus constaret illius auspicijs susceptas in Americam ab Hispanica gente expeditiones. *Euseb. Nierib. S. I. pag. 159. Michael Naveus l. 4. c. 24.* Eam obrem Sanctus Franciscus Xaverius Societatis JESV, Orientalis Indiæ, ac Japoniæ Apostolus S. Michaelis potissimùm opem exposcebat cùm sacras ac prædifficiles aggrediebatur expeditiones ad inferendam Evangelij lucem in vastas illas Ethnicorum regiones alta sepultas barbarie, & errorum tenebris involutas. *Joann. Lucena S. I. in vita S. Frāc. Xaver. Horat. Tursell. S. I. in vita Xaverij.* Aliquandò dum sacris operaretur in Insula Moro contigit, ut hæc ipso S. Michaelis festo motibus quateretur insolitis: mirari omnes, qui aderant, timore corripi, & attonitis similes hærere: starent sanè præ timore defixi, ni Xaverius læta fronte, & præsenti animo affirmasset, pulsum eo ipso temporis momento Angelica vi Satanam ab Insula Moro: ingentem illum terræmotum excitasse, eoque remoto obice, propagandæ in posterùm fidei inter incolas aditum, invitum licèt, aperuisse.

Gallia, florentissimum Europæ regnum S. Michaelis Archangeli patrocinio gloriatur. Jam inde à tempore Childeberti Regis illustris fuit illius Apparitio supra Tumbam mon- *Joannes Tilius de Reb. Gallic. lib. 2.*

tem in Episcopatu Abrincensi sub Mettopolitano Rotomagensi anno salutis humanæ 708. ubi S. Aubertus templum condidit Michaelis titulo insigne, & Rhichardus I. Nortmanniæ Dux nobile Benedictinis Monachis Cœnobium posuit, in quo ij divinis vacarent laudibus, & S. Archangeli memoriam celebrarent. Eò religionis causâ non Galli tantùm, sed ex alijs quoque gentibus innumeræ confluunt, ut Angelicum Galliæ Patronum piè venerentur. Ipsi Christianissimi Francorum Reges rejectis in aliud tempus publicarum rerum curis, æternis intenti, in Tumbam montem se conferre soliti erant, ut commissos sibi populos Michaelis patrocinio commendarent: ibi Ludovicus VII. Galliæ, & Henricus II. Angliæ Reges ineundi inter se fœderis causâ convenerunt anno 1158. & ad stabiliendam inter utrumque regnum armorum societatem Sancti Archangelorum Principis auxilium implorarunt. Regnante Carolo VII. apparuisse narrant S. Michaelem Joannæ Virgini, (quam *Puccelam* communi vocabulo dicunt), atque eidem animos addidisse, ut sumptis in Anglos armis, qui per id tempus magnam Galliæ partem occupabant, invaderet, eosque repetitis cladibus afficeret; oppida multa, vel pulsis eorum præsidijs, vel ad deditionem coactis, recuperaret. Die octava Maij S. Michaelis Apparitioni dicatâ, urbem Aurelianensem arctissimâ ab hostibus obsidione pressam, præsenti illius auxilio, freta liberavit. Atque ut universæ constaret Galliæ Angelica virtute partas fuisse de potentissimis hostibus victorias, p opè Aurelianensis urbis pontem Ligeri fluvio impositum sub id tempus Michael cælestibus indutus armis apparuit, & obsessos ab Anglis cives liberandæ urbis, & adipiscendæ victoriæ spe implevit: injectâ quippe divinitus Anglis formidine, eos solvere obsidionem coegit. Tanti beneficij memor Ludovicus XI. Caroli filius, Equestrem S. Michaelis Ordinem instituit Ambasiæ anno Christi 1469. undecimo Kal. Augusti; eumque optimis instruxit legibus Plessij anno 1476. Caroli Patris exemplum secutus, cui Sancti Archangeli effigies symbolum fuit militare, jam inde ab eo tempore, quo Rotomagi regni possessionem adijt. Plura omittimus ne lectoribus molesti simus: legat qui velit Martyrologium Gallicanum ab Andrea Saussajo compositum, in quo multa inveniet in rem nobis propositam scitu digna ad diem 8. Maij, & ad diem 29. Septembris.

Franciscus Modius tom. 2. lib. 2. pandectar. triumphalium. Sigebert. in Chron. anno 708.

Samarthani fratres in Gallia Christian. tom. 2. sub Episcop. Abrincensib.

Robertus Abbas in suo Chronico. Michael Alfordus S. 1. in Annal. Eccl. Anglic. tom. 4. part. 2. pag. 87.

Eusеb. Nierēb. S. 1. c. 26 p. 279.

Scriptores Galli.

Andr. Saussaius in Martyr. Gallican. die 18. Octobr. & 29. Septembr.

Petr. à S. Romuald. in Thesauro Chronolog. & Historico. Genebr. in Chronogr.

Guaguinus in Ludovic. XI. Andr. Saussajus. Silvest. Petrasancta S. 1. de Tesseris Gentilit. pag. 638.

De

De Germania Superiore nil magni momenti rescire potui, quod hîc insererem de patrocinio, cultuque S. Michaelis, & si ad id assequendum multum operæ, & diligentiæ adhibuerim, consultis non paucis viris doctis; præsertim Joanne Nadasi, Societatis JESV Presbytero, Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Confessario, Romæ nobis noto, & studiorum causa, & religionis instituto. *Joan. Nadasi Societ. JESV.*

In Germania verò Inferiore, quam alio nomine *Belgium* dicimus, Antuerpia Urbs pulcherrima ad Scaldim fluvium, summo semper honore coluit S. Michaelem; sit ne ejusdem Urbis Patronus, necne? Rescire non potui. Illud certum quod nobis inculcant Joannes Molanus, & Goropius Becanus, à Gotifrido Bullionio, primo recuperatæ Hierosolymæ Rege pijssimo, sacræ militiæ primitias Antuerpiæ satas, vel collectas fuisse, adscriptosque in illam duodecim viros Principes in honorem duodecim Apostolorum. Addit Becanus ornatum à Bullionio fuisse templum S. Archangeli regijs muneribus, & subditos sibi milites ipsius militiæ cælestis Principis tutelæ, ac patrocinio commendatos. *Joannes Molanus. Goropius Becanus.*

Alexandro itèm Farnesio clarissimo Duci Antuerpiam ab Hæreticis rebellibus occupatam obsidione cingenti suppetias venit S. Michael, ac ejus ope munitissimam illam Hæreticorum arcem ad deditionem compulit, coegitque rebelles justum Hispaniæ Regi, & Flandriæ Comiti fidei, & obedientiæ obsequium deferre.

De Polonia scribit Cromerus à Casimiro Rege, Cluniacensi olìm Monacho, debellatos fuisse hostes S. Michaelis favore, pacemque turbato anteà domesticis seditionibus Regno restitutam. Lesconigro Poloniæ quondàm Principi, & Aurhori Angelorum Princeps se videndum obtulit, eumque admonuit ut Lituanos Christianæ tum temporis Religionis hostes, infestis armis invaderet: inito prælio, Lituani victi, cæsique meritas suæ temeritatis, & perfidiæ pænas dederunt.

In Campaniam Neapolitani Regni Provinciam revertamus, in quâ Neapolis S. Michaelis patrocinium expetta est anno Christi 574. Saraceni inopinatò urbem aggressi per portam Ventosam, (sic vocant) eam vi subita caperent, & impatatos ad defensionem cives trucidassent, nisi Michael Jacobum de Marra, Ducem fortissimum, impulisset ut cum selecta militum manu suppetias ferret urbi in summo peri- *Cæsar de Engenio in sua Neapoli sacra pag. 78.*

culo constitutæ. Extat Neapoli S. Michaëlis templum à *Signo* dictum accepti beneficij monumentum : visus quippè fuit Crucis vexillum præferre Michael in ipso ardore certaminis, eoque victoriæ symbolo Christianos milites ad strenuè pugnandum incitare.

Ex ijs quæ diximus satis constare videtur S. Michaelem Catholicæ Ecclesiæ Præsidem, ac Patronum esse: officij nostri est illius memoriam piè colere, & omnibus quibuscumque possumus modis, venerari, ut corporis tandem vinculis jam soluti, illius, & Angelorum sociorum consortio in Cælo perfrui mereamur.

Angeli Patroni, & Custodes Regnorum.

DEum per Angelos hanc universi orbis molem gubernare constat apud Authores Catholicos, maximè D. Thomam, Doctorem Angelicum : nam licet per se ipsum mundum condiderit, & proximam, ac singularem habeat, etiam minimarum rerum curam; nihilominus hujus executionem, quam Theologi *Gubernationem* vocant, efficere solus noluit; sed alijs uti voluit creaturis ad alias gubernandas. Et quia reliquas inter præcipuè excellunt Angeli suapte natura nobiles, patria cælestes, per illos cæli superiora, & terræ inferiora gubernat; eaque sub eorum tutela, & regimine constituit, ut S. Dionysius his verbis significavit : *Per Angelos Deus gubernavit Gentiles, & Hebræos.* Id ipsum S. Augustinus docuit, S. Gregorius Magnus, Origenes, S. Joannes Damascenus, alijque magni nominis Authores à Francisco Soario, eximio nostræ Societatis Theologo citati lib. 6. de Angelis: cumque homo *microcosmos*, hoc est, mundus parvus, aptè dicatur, cælesti etiam regimini, & patrocinio subesse debuit: Angeli verò tantum industriæ, & studij in illo gubernando, ac tuendo collocant, ut omnes suas in eo curas, & cogitationes consumere videantur. Cæterùm quia de Angelis singulorum hominum Custodibus modò non agimus, sed de Angelis

S. Thomas p. q. 110. art. 1. ad 3. contra gentes c. 78.

S. Dionys. de Cælest. Hierarchia c. 9.
S. Augustinus.
S. Gregor. Magnus dial. 4. c. 5.
Orig. hom. 14. in Num. S. Joan. Damascen. l. 2. c. 3.

gelis Regnorum, aut Provinciarum, Gentiumvè Custodibus,
illis omissis, de istis nobis sermo erit, ut instituto nostro satis-
faciamus.

Sacri de ijs Scriptores non semel meminerunt: Josue ca- *Lib. Josue cap. 5.*
pite 5. haud procul ab urbe Jerichuntina Israelitarum Ange-
lus Custos cælestibus instructus armis, strenuissimo Duci ap-
paruit, eique animos fecit, ut bellum Domini cõtra Jebusæos
fortitèr géreret. Et Psalmo 33. Regius Vates canit: Immitet *Psalm. 33.*
Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. *D. Hieron.*
D. Hieronymus per quatuor ventos, de quibus Propheta me-
minit, quatuor Angelicas Potestates intelligit, quibus præci-
pua quatuor Orbis imperia commissa erant, videlicet Assy- *Genes. c. 32.*
rium, Medopersicum, Græcum, & Romanum. Illa Dei ca-
stra, quæ Jacob Patriarcha vidit, Angelos fuisse Custodes Sy-
ræ, & Chananeæ gentis, per quas idem Jacob transibat sub
illorum tutelâ, ne quid mali pateretur, Abulensis, & Lyranus
existimant. De eisdẽ Angelis Protectoribus locũ illum Isaiæ:
Super muros tuos Hierusalem constitui Custodes, interpretantur
Procopius, & Abulensis: Custodes, idest cælestes Angelos, *Abulensis.* *Nicolaus de Lyra.*
ac virtutes sanctas ad murorum recentis Hierusalem custo- *Procop. & Abulens.*
diam constituit, quo possit in pace degens perpetuò impera-
re. Multi hoc sensu intelligunt verba illa Deutoronomij:
*Quando dividebat Altissimus gentes: s. quando separabat filios
Adam, constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum
ejus*: sic legunt Septuaginta Interpretes, quos sequuntur Sãcti *Septuag. Interpret.*
Basilius, Nazianzenus, Gregorius Magnus, Clemens Alexãdri- *S. Basilius.* *S. Greg. Nazianz.*
nus, Chrysostomus, Justinus, Theodoretus, & Epiphanius apud *S. Gregor. Papa.*
Lacerdam de Angelis Custodibus, Serarium in Josue c. 5. Lo- *Clemens Alexandr.*
rinum in Act. Apostolorum cap. 16. ut alios omittamus ne le- *S. J. Chrysostom.* *S. Justinus Mart.*
ctoribus fastidio simus. In quo certè singularis Divini Nu- *S. Epiphan.*
minis providentia, & amor erga mortales elucet. Enimverò *Ludov. de La Cerd.* *Serarius Societ. Jesu.*
cum filij Adam studijs inter se, & linguarum varietate discor- *Lorinus.*
des unum in multa scindebant Regna & alius aliò abibat, ut
novas sibi quæreret sedes, tunc Deus Angelos per electas, &
occupatas ab hominibus regiones, regnaque divisit, ut illo-
rum curæ, & tutelæ subessent; & ij incolarum saluti, bonoque
consulerent. Ad eum ferè modum, inquit Origenes, inter *Origen. citatus à*
Angelos à Deo facta in Cælo, quo inter Apostolos in terris *Cosma Magallian.*
post festum Pentecostes Orbis divisio: inter illos enim hujus *S. J. in c. Josue 19.* *sect. 7. annot. 1.*
Provinciæ, Regnaque sic distributa fuere ut unicuique suus

Angelus Custos, & Præses esset: ijs verò, ut suæ quisque Provinciæ Doctorem, & Magistrum ageret, eamque Solis instar, Evangelicæ doctrinæ radijs illustraret: *Non fortuna*, scribit Origenes, *arbitrandum est per sortem venisse alicui Angelo illam gentem suscipere, verbi gratia Ægyptiorum, alij autem Idumæorum, & alij Moabitarum, & alij Angelo Indiam; & similiter unamquamque earum Nationum, quæ sunt super terram; sed Dei judicio dicuntur inter Angelos esse divisæ.*

Bellè respondet Orbis à Deo primùm conditus, Orbi à Deo posteà redempto: Angelis illum tradidit ad custodiam, Apostolis ad doctrinam; & Apostoli *Angeli* etiam vocantur cum ad prædicandum mittuntur: *Ite Angeli veloces.* Magnum tamen inter Angelos Orbis custodes, & Apostolos Orbis Magistros visitur discrimen; istorum enim temporanea, & brevis fuit inter gentes fidei suæ creditas commoratio, & prædicandi munus pretiosa paulò post morte conclusum; Angelorum autem ab ipsius mundi initio ad finem usque durabit demandata à supremo rerum omnium Conditore Regnorum cura, & custodia; & si eorum nonnulla cursu temporum interierint Regna, Imperiaque corruerint, vel attrita hostium bellis, vel Divini Numinis iram experta: hæc tamen, quam videmus, universi Orbis machina è tot Regnis, Provincijsque conflata, sua semper stetit subnixa mole, stabitque quandiu Superis visum fuerit. Per hujus ergo Regna, Provincias, Gentesque Angelorum præfecturæ sunt disperti-tæ: Ab initio, inquit Sanctus Cyprianus, Deus cum fecisset mundum, præfecit ei, & præposuit quasdam virtutum cælestium Potestates.

Isaie cap. 18.

S. Cyprian. in Expost. Symbol. Apost.

E qua verò Hierarchia, vel ordine ij sint Regnorum, Gentiumve Custodes, non conveniunt inter se Authores, cum ex ijs alij ejusmodi officium, munusq; attribuant Archangelis; Principatibus alij; nec desint qui Virtutibus id oneris, munerisque assignent: legat curiosus Lector, si velit, Soarium de Angelis, Ludovicum de La Cerda, Antonium Vascócellium, Martinum de Roa egregios Societatis nostræ Scriptores, præter alios aliarum familiarum, & Gentium Authores, qui suis rem hanc Commentarijs illustrarunt: nobis sufficiat Divi Basilij sententiam hìc apponere instituto nostro valdè idoneam: *Angelorum*, inquit, *alij gentibus præpositi sunt, alij verò fidelium singulos consequuntur: quāto autem gens uni viro præ-*

Soar. de Angelis l. 6. c. 17. S. 1.
Ludov. de La Cerd. S. 1. de Ang. Custod. cap. 31.
Anton. Vasconcell.
Martin. de Roa S. 1
S. Basilius lib. 3. contra Eunomium.

po-

ponenda est, tanto maiorem necesse est Angeli dignitatem, qui gentis Principatum habet, eo qui habet unius tutelam. Ac si dicere velit: Ex quo Angelorum ordine, vel Hierarchia sint Gentium, vel Regnorum Custodes incertum est; certum verò illos excellentioris esse ordinis, & naturæ, quàm sint Angeli custodiendis privatis hominibus destinati, cùm bonum commune longè præstantius sit bono privato.

Quàm verò diligentem, & assiduam habeant commissarum sibi gentium curam; quàm illarum bono, & saluti invigilent, Danielis capite decimo ad vivum exprimitur, in quo duo Angeli duarum Nationum Præsides studijs inter se, sententijsque discordes, de illarum salute, & utilitate videbantur contendere: Angelus Regni Persarum multis apud Deum rationibus insistebat, ne Judæi à captivitate liberarentur, cùm ij sanctiores essent in rebus adversis, quàm in secundis; magisque illis ad animorum salutem prodesset malis premi, quàm abundare bonis; item quia familiari cum Hebræis consuetudine, consilijsque allecti Persarum multi à varia Idolôrum superstitione ad veri Dei cognitionem transibant: æquum ergò erat, & divini Numinis clementiæ magis conforme, ut Judæis in captivitate retentis, Deus Persarum commodo, & saluti consuleret.

Danielis cap. 10.

Benedict. Perer. S. I. in c. 10. Dan. tract. 12.

Cosm. Magallianes in Josue c. 5. sect. 3. annot. 5.

Soar. de Angelis lib. 7. cap. 5.

Martin. de Roa S. I. in Flor. SS. Cordub. sub S. Gabr. Arch.

Angelus verò Judæorum Patronus, & Defensor, ut ij servitute eximerentur, suis item apud Deum rationibus instabat; Divinis scilicet Oraculis promissam fuisse Israelitarum libertatem post septuaginta non amplius annos, qui jam abierant, Judæorum etiam multos Persarum convictu, sermonibusque deceptos à patrijs legibus ad cultum Idolôrum sæpè deficere: prætereà, quia ex ea ipsa gente, & in patrio Judææ solo, non verò in Persia, Messias in Orbem venturus humanam suscepturus erat naturam; proindeque Persicæ servitutis jugo liberari Judæos oportere; sic quisque eorum, quorum partes tuendas Deo jubente susceperat, idoneis rationibus agebat. Non quia, advertit Sanctus Thomas, Angelorum voluntates sint sibi contrariæ, cum in hoc omnes concordent, quòd Dei sententia impleatur; sed quia ea de quibus consulunt, sunt repugnátia; quid autem super hoc ordo divinæ Sapiétiæ habeat, cognoscere, nisi Deo revelante, non possunt. Itaque pugna illa inter Custodes Angelos Persarum, & Judæorum digna laude fuit, dum quisque antequàm divinæ Voluntatis con-

S. Thom. p. 1. q. 113.

conscius esset, pro commendata sibi gente multis apud Deum rationibus contendebat, locum daturus victori.

Actor. cap. 16.

Illa etiam viri Macedonis deprecantis more, habituque Paulo Apostolo in somnis objecta species, ut in Macedoniam se conferret, prædicandi Evangelij causâ, rite declarat, quàm sit cordi Angelis Regnorum Custodibus, commissarum sibi gentium fides, salusque : is enim erat Regni illius Præses, ac Tutelaris Angelus, ut communi consensu tradunt ad eum locum Sacræ Scripturæ Interpretes. Israelitas præterea, Davidem Regem, & Machabæos Duces insignes de fortissimis hostibus victorias, Angelorum Tutelarium auxilio, reportasse è Sacris Litteris constat.

Hæc è divinis deprompta Chronicis testimonia satis sint ad probandam singularem, quam habent genij cælestes, curam de gentibus, Regnisque fidei suæ, ac tutelæ commissis. Nunc alia è politicis diversarum nationum Annalibus eruemus, eaque in lucem dabimus exempla, ut rem nobis propositam confirmemus. Initium à Constantino Magno ducemus, cui adversùs Maxentium pugnanti Angelorum Custodum acies cælestibus instructæ armis præsenti auxilio affuerunt. Probavit eventus, inquit Baronius, Angelorum acies in exercitu militasse: & Nazarius in Panegyrico : *In ore est omnium Galliarum exercitus visos, qui se divinitùs missos præferebant : flagrabant nescio quid umbones corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat; tales enim venerant, ut tui crederentur; hæc eorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebãt: Constãtinum petimus, Constantino imus auxilio.*

Baron. Card. tom. 3. Annal. Eccles. Anno Christi 312. Nazar. in Panegyr. Constant.

Aulam, & Urbem Imperatoriam Epolim Gainas barbarus Gothorum Dux flammis tradere agitabat animo ; ad id verò perficiendum armatam militum manum in Urbem noctu immiserat, qui semel, ac iterùm, injecto divinitùs terrore perculsi, re infectâ ad Barbarum redierunt, eique nuntiarũt, circa Cæsaris aulam excubias agere cælestium geniorum custodiam fulgurantibus armis terribilem, & cædem invadentibus minitantem ; quibus auditis, visisque ab intentato scelere Gainas destitit, ne contra Superos bellare videretur.

Socrates l. 3. c. 23. Baron. tom. 5. Annal. ad Ann. Christ. 400. Ludov. de La Cerd. c. 31. p. 316. Martin de Roa S. I in Flor. SS. Cordub. de S. Angel. Custod.

Imperante Theodosio Juniore multas Orientis Provincias infestis Persæ armis invaserant, ac urbes diripuerant, occupaverant arces, defensoribus in servitute abductis : quamobrem Epolitani Cives curis anxij erant; timebant enim, ne victo-

Socrates l. 7. c. 8.

rijs elati Barbari, ac longè Romanis superiores numero, & robore militum, per aliarum ruinas Urbium, stragesque Regnorum viam sibi munirent ad ipsam C.polim, Imperij caput, expugnandam. In his rerum angustijs apparuere cælo delapsi Urbis Imperatoriæ Custodes Angeli, quibusdam in Bithynia negotiatoribus Græcis, qui C.polim revertebant, ijsque mandarunt, ut C.politanos cives bono, ac læto animo esse juberent, preces ad Superos funderent, fiduciam vincendi in uno Deo collocarent; hac enim ratione victores fore: quibus in Urbe nuntiatis, Imperator, ac Cives alacriores redditi, multis apud Deum precibus instituerunt, ut suis victoriam Fidelibus concedere vellet, & Angelorum Custodum promissa factis implere, uti re ipsa evênit: profligatis hostibus, & accisis divina virtute illorum viribus, certò constitit Angelorum ope, & patrocinio stare Imperia, & eorum armis Barbaros debellari.

Theodor. in Histor. SS. PP. c.26.

Baron. in Annal. Ecclesi. tom. 5. Anno Christ. 420.

Ab Oriente in Occidentem gradum faciamus, ibique facile erit egregia invenire Angelicæ tutelæ documenta. In Italia Aspar filius Ardaburij, cum patrem à Joanne, qui sibi nomen Imperatoris, & dignitatem per summum scelus arrogaverat, & Ravennæ Imperij sedem fixerat, comprehensum esse rescivisset, incertus quid consilij caperet; qua tyrannum arte, consilio ve opprimeret, aditumque in occupatam ab eo urbem moliretur; illo vel inde pulso, vel interempto, excitatas turbas componeret, & optatam Italiæ pacem redderet; hærenti, & oranti Angelus Custos vel Imperij, vel Italiæ habitu pastoris apparuit; novi, & insueti itineris se ducem præbuit; per stagnantem aquis campum urbi adjacentem viam monstravit humanis nunquàm calcatam vestigijs: traductoque per exsiccatum Angelica virtute campum Aspar exercitu, per Ravennæ portas, quas invênit apertas, subitò irrumpens Tyrannum imparatum oppressit, urbem occupavit, Ardaburium patrem vinculis exemit, Italiam metu, Imperium tyrannide liberavit.

Socrates l. 7. c. 23.

Baron. to. 5. Annal. Ann. Christ. 425.

Ludov. de La Cerd. de Angel. Custodib.

Martin. de Roa in Flor. SS. Cordub. de S. Angel. Custod.

Romanæ gentis, & urbis Angelus custos gladium vaginâ condere visus est à Gregorio Magno supra Adriani molem Tyberi fluvio impositam; eoque symbolo pacis significare, placatam divini jam Numinis in Romanos iram, depulsamque luem pestiferam, quæ per urbem latè grassabatur, ut suo loco fusiùs scribemus.

Ciaconius in Gregorio Magno PP. Rom. & alij Scriptores Ecclesi.

Bonfin. de rebus Hungar. decad. 2. lib. 1.

In Germania Henricus primus Imperator non semel Angelum vidit Custodem Imperij, & Christiani exercitûs præsidem militari habitu conspicuum, & martium quendam ardorem spiratem, ut Christianis militibus animos ad pugnandum adderet, hostibus verò terrorem incuteret.

Andreas Saussai. part. 2. Martyrol. Gallic. ad diem 2. Octobr.

Gallia à multis jam seculis Angelos Tutelares festo solemni colit, quorum patrocinium antiqui Reges multis obsequij, & pietatis significationibus sibi demerere studuerunt: Sanctus Ludovicus ut Angelorum benevolentiam sibi conciliaret, Carnuti in Deiparæ Virginis templo illorum in honorem Sacellum erexit. Claromonte inter Arvernos antiquissima visuntur Angelorum Custodum altaria, ut ista devotio, inquit Saussaius, non nupera, sed vetusta satis, fluensque è sanctissimæ Religionis fontibus, qui à maioribus ad posteros emanarunt, meritò videatur.

Hispani Kalendis Martij Sancti Angeli Custodis festum agere in more habebant, à tempore, quod hominum memoriam excedit; non uno tamen, eodemque apud omnes Ecclesias die, ut ex vetustis Breviarijs, & Officijs patet; post decretum Pauli V. PP. Maximi die xxvij. Septembris, anno 1608. editum, antiquatis alijs recitandi Officij Angelorum Custodum modis, Romanum ritum à Pontifice præscriptum, omnes in Hispania Ecclesiæ jam observant. Paucis ante annis Clemens X. Romanus Pontifex Angeli Custodis festum, quod ante liberum erat, & vagum, nec uni certæ diei affixum, secundæ Octobris addixit, de præcepto, ubique terrarum: quod ab omnibus receptum est. Liceat mihi Orationem hìc apponere è Breviario pervetusto decerptam, quæ Hispanæ gentis pietatem, & Angelicæ Custodiæ dignitatem valdè commendat.

Clemens X. PP.

ORATIO.

Omnipotens, & Misericors Deus, qui Angelicam Custodiam Regnis, Provincijs, & Civitatibus Hispaniæ contulisti, concede propitius, ut nostri Regni, & Civitatum Præsul, & Custos Angelus tuus Sãctus nos, ipsas, totumque Regnum ab instantibus periculis corporis, & animæ, & futuris adversitatibus protegat, ac defendat: per Dominum nostrum, &c.

Anton. Quintanad. de SS. Hispalens. fol. 356.

Si quæras cur potiùs mense Martio, quàm alijs anni mensibus Angeli Custodis festum anteactis seculis Hispania celebraret? Respondet Antonius Quintanaduenas de Sanctis

Hispalensibus in hunc modum: *Quia scilicet in hoc mense fuit Angelorum creatio, sicut & cæterorum spirituum cælestium Hierarchiarum; ideo Custodes hisce coluntur Kalendis.*

In Lusitania antiquiorem esse S. Angeli Custodis cultum credimus, quàm existimet Tamaius in suo Martyrologio Hispanico; Alphonsus enim hoc nomine primus, Rex Portugalliæ exigua suorum manu innumerabiles Maurorum copias ad Scalabim profligavit: in medio ardore certaminis propè se vidit alatum brachium Angeli Custodis armatum gladio, cujus ope victor evasit: tanti beneficij memor Ordinem instituit militarem, cui Alam sanguinei coloris, Insigne attribuit in aurea parmula anno salutis humanæ 1167. ut jam suprà diximus in S. Michaele. Emmanuel Lusitaniæ Rex felicissimus, Indicæ navigationis, non alium quàm Sanctum Gabrielem Archágelum Præsidem, ac Tutelarem esse voluit. Itaque naves quatuor delecto milite, nautis, commeatu, tormentis æneis instrui jussit; Prætoriæ Sancti Gabrielis nomen imposuit, ut qui illâ vehebantur, Lusitani, memores essent, se per immensam illam Oceani vastitatem in remotas tendere regiones, à fidei veritate alienas, non tam ditescendi, aut proferendi Imperij, quàm Evangelij annuntiandi causâ. Ac proinde sibi in votis erat, ut illi sub tutela præsidioque laterent ejus potissimùm Archangeli, qui primus olim nuntius à Cælo missus terris attulit Evangelium.

Martyr. Lusitan. pag. 17.

Joan. Tamaius Salazar tom. 2. Martyrol. Hispan. ad diē 1. mens. Martij.

Ludov. de La Cerd. S. I. de Ang. Custod. c. 20. n. 6.

Martin. de Roa S. I. de SS. Ang. Custod.

Anton. Vascōcellius in Rege Alphonso I.

Joan. Petr Maffeius S. I. lib. 1. Rerum Indicarum.

Honoratus Nicquet de S. Gabr. Archāg. lib. 2. cap. 11.

Scriptores Lusitan.

Casimiro Monacho primùm Cluniacensi, posteà Regi Poloniæ, hujusce Regni Angelus custos itineris ducem se præbuit, eumque cælesti juvit auxilio, ut foris hostes acie superaret, domi verò turbas componeret, & pacem subditis fibi populis redderet.

Cromerus lib. 3.

C. Baron. in Annal. tom. 11. ad Annum Christi 1141. sub finem.

In Bohemia turbantibus olim Rempublicam septem Regis filijs, & sacras piorum hominum familias multis modis vexantibus, Angelus Regni Bohemici Præses illatas ijs injurias egregiè ultus est, omnibus de medio sublatis.

Ludov. de La Cerd. S. I. de Angel. c. 27. pag. 284.

S. Venceslaus ejusdē Bohemiæ dux Ducē Corinensem, hostem sævissimum, ut multorum cædibus parceretur, ad singulare certamen provocavit, divino, uti credere par est, instinctu motus: Hinc igitur Corinensis in medium prodijt, æreis instructus armis, equo feroci, ac pernici vectus; inde Venceslaus vincendi fiduciâ plenus, quam in uno Deo, & Angelo Bohemiæ custode collocaverat; jamque Corinensis

Author cit. pag. 8.

prælongam vibrabat, & ad vulnus intentabat hastam; cùm S. Ducis lateri geminos vidit adstantes Angelos armis aureis conspicuos, vultu terribili, fulgurantibus oculis sibi mortem minitantes, si Venceslaum ferire pergeret: quo territus ostento hostis, ab equo subitò desilijt; ad illius se abjecit pedes; supplex veniam petijt; dexteram ad pacis, & amicitiæ pignus obtulit, & à bello in posterùm prorsùs abstinuit.

Euseb. Nierem. S. 1. c. 27. p. 307. Martin. de Roa S. 1 in Flor. SS. Cordub. sub festo S. Gabriel. Archang.

Singularem defendendæ Hungariæ rationem habuit Angelus Custos; illius quippe Rex Eliborius ope ab imminenti vitæ periculo liberatus in bello Tartarico de communi suorum consensu solemne Angeli Custodis per Hungariam festum indixit; ipsius prætereà effigiem volantis habitu, alis expansis suprà Regiam Coronam expressit, accepti beneficij monumentum: indè profectum, ut quotiescumque de magni momenti rebus in publicis Regni comitijs agi debet, omnes Regis Consiliarij, ac viri Principes flexis genibus, capitibusque detectis Dei, Deiparæ V. ac Sancti Angeli Hungariæ Præsidis nomina priùs invocent, opemque implorent.

Robert. Monachus.

Ludov. de La Cerd. S. 1. de Ang. Custod. pag. 199.

Narrat Robertus Monachus in Historia Expeditionis Hierosolymitanæ à Principibus Christianis susceptæ, aliquãdo adversùs Saracenos vario marte pugnatum: supervenienti Corbonæ Duci cum innumeris Persarum copijs, victi succumberent Christiani, nisi à Superis auxilium multis cum lacrymis postulassent: nec incassùm fusæ preces: laborantibus, ac belli pondere penè oppressis suppetias de Cælo tulere Custodes Angeli candidissimis equis vecti, aureis hastis, gladijsque armati; qui pavore Barbaris injecto, eos in fugam verterunt: fugientium verò tergis insistentes milites Christiani magnam eorum stragem ediderunt: equitum centum millia, peditum multò plura cæsa fuisse dicuntur.

Eusebius Nieremb. cap. 27. pag. 295.

In Armenia Leo Rex pijssimus Regni sui Angelum Custodem Religiosè coluit; multa illius interventu à Deo beneficia impetravit: grati ergò animi causâ legem sancivit, ut Principes Regni hæredes Angelorum sibi nomen desumerent, eorumque virtutes imitari curarent. Alia omitto ne Lectoribus sim molestus.

Hactenùs de innumeris erga Gentes varias, Regnaque Sanctorum Angelorum Officijs, ac beneficijs fusè egimus: impressa ubique vidimus Angelici patrocinij, ac singularis tutelæ vestigia: superest modò, ut omnia quæ obeunt erga ho-

homines munia à summo rerum omnium Arbitro,& Authore sibi demandata, brevi periodo colligamus. Regnorum etenim,ac Nationum, quibus præsunt, bono, & saluti consulere sibi gloriæ ducunt; externa ab ijs bella avertunt; & si quãdo vis ingruat hostium, suos juvare milites omni ope contendunr, ut victores evadant; domi cives inter, & Christianos pacem fovere student, & communem populorum concordiam; Evangelij etiam Præcones deducere in gentes alta sepultas barbarie,& ab unius Dei cognitione alienas; hæreses extinguere, fidem propagare, puram, & nulla errorum labe inquinatam; Dæmones prætereà, sævissimos humani generis hostes, coercere, ne hominibus noceant, eorum insidias detegere, artes eludere, furorem comprimere, rabiem frænare non cessant: Fidelium preces ad Deum,& Superos fusas Deo offerre; & suas ijs addere pro Regnis, Gentibusque suo patrocinio, ac tutelæ commissis; Pontifices, Reges, ac Viros Principes, summa Orbis universi capita, juvare ad bene gubernandam Rempublicam; nihil omittere quod in Dei gloriam,& suorum bonum,& salutem cedere possit.

Tot, tantisque beneficijs obstricti mortales, quàm maximas possumus, ijs gratias agere tenemur, eosque summis honoribus afficere, præsentem ab illis opem exposcere,uti poscere solitus erat Venerabilis Pater Petrus Fabri, primus Sancti Ignatij Loiolæ socius,& eximia pietate vir: *In omni Regno*, scribit Orlandinus insignis nostræ Societatis Historicus, *ditioneque pratereunda Principatus,& Archangelos sibi, & incolis adjutores invocabat; cumque ad urbem aliquam, oppidumvè propiùs accederet, fundebat supra incolas orationem idoneam, qua Divino Numini supplicabat, ut ejus Regionis Archangelus Præses, Custosque pracipuo cum studio, curâque defenderet; ipsi præsenti auxilio adesset, ut magnos caperet animarum fructus.* Nicol. Orland. S. I. in Histor. Societ. Ludov. de La Cerd. de Ang.Cust. c. 31.

De Sancto Francisco Xaverio Indiarum Apostolo, sic loquitur Horatius Tursellinus: *Indorum conversionem auspicaturus, Deum, & Archangelum Indiæ Præsidem, ut ejus institutum ferebat, invocabat, ut Ethnicos ad Christi fidem adduceret; Neophytos, ac Lusitanos ad Christianam erudiret pietatem.* Horum Sanctorum vestigijs insistamus. Tursell. in Vita S. Francisci Xaverij lib.2. cap.2.

hominès munia à fum[illegible] A[illegible] bore sibi demandata, brevi [illegible] colligemus. [illegible] norum ee-nim.ac Nationum, qui [illegible] bono, [illegible] sibi gloriæ d[illegible] cunt; exter[illegible] felix evenit; & si quæ-dam vis ingruat [illegible] ope conten-d[illegible], ut victores evadant; [illegible] & Christianos pacem fovere studeant, & [illegible] populorum concor-diam; Evangelij etiam [illegible] deducere in gentes alta se-p[illegible]s barbaras,& ab unius Dei cognitione alienas; hæreses extinguere, fidem propagare, [illegible] & nulla [illegible] [illegible] am, Dæmones [illegible], sævissimos humani gene-ris [illegible]les, coercere, ne hominibus noceant, eorum insidias detegere, atque clades, [illegible] comprimere, tali[illegible] non cessant: Fidelium preces ad Deum,& Superos fusas Deo off[illegible]; & [illegible] addere pro Regnis, Gentibusque suo pa-trocinio, ac tutelæ commissis: Pontifices, Reges, ac Viros Principes, [illegible] Orbis universi ca[illegible], juvare ad bene gu-bernandam Rempublicam, nihil omittere quod in Dei glo-riam, & [illegible] possit.

Tot, tantaque benefi[illegible] mortales, quàm maxi-mas [illegible] hono-r[illegible] [illegible]

ALMÆ VRBIS ROMÆ,

Et Ecclesiæ Romanæ Patroni.

ROMA, Caput mundi, Christianæ Religionis Magistra, propria Summorum Pontificum Sedes, jure optimo sibi vendicat Patronos Apostolorum Principes Petrum, & Paulum ab ipsis, ni fallor, nascentis Ecclesiæ incunabulis: ab ijs enim veræ Fidei præceptionibus erudita, multis confirmata miraculis, pretioso irrigata sanguine, sacris eorum corporum ditata pignoribus, reliquas inter Urbes altiùs caput attollit gloriabunda, seque Deo, Angelis, & hominibus spectatu dignissimam reddit. Appositè in rem nostram Innocentius Pontifex hoc nomine III. inquit: *Hi duo fratres, secundum Fidem, Petrus & Paulus, qui Urbem istam spiritualiter fundaverunt, gloriosis quiescunt Basilicis tumulati: Petrus ab ea parte, ubi sepultus est Romulus, & Paulus ab illa, ubi Remus est tumulatus; ut hinc, indè locati Civitatem istam suis Patrocinijs tueantur.* Geminis itaque Roma Apostolorum, qui illam super firmissimam Christi Petram fundarunt, vallatur corporibus, ut ijs undiquè benè munita; & si tota contra eam Erebi vis insurgat, totus se Tyrannorum furor effundat, cunctis fortior, superiorque evadat; & *Innocent. III. S. 2. de SS. Ap. Petro, & Paulo.*

Per damna, per cædes ab ipso
Ducat opes, animumque ferro. *Horatius.*

Hoc corpus (ait S. Joannes Chrysostomus, loquens de Sancto Paulo) *plebem hanc munit, quod quavis turri, innumerisque manibus, ac vallis est tutius; & cum illo corpus etiam Beati Petri.* Idem planè illustrat, & confirmat Sanctus Gregorius Magnus, ex ijs, quæ ipse experimento didicerat, *S. Joan. Chrys. hom. 37 in Epist. ad Rom.* *S. Greg. l. 7. Ep. 23.*

 scri-

ſcribens ad Rufticianam Patriciam, rogans illam, ne Romam venire differat hoſtium, vel belli metu: *Si gladios*, inquit, *Italiæ, vel bella formidatis, ſolicitè debetis aſpicere, quanta Beati Petri Apoſtolorum Principis, in hac Vrbe protectio eſt, in qua ſine magnitudine populi, ſine adjutorijs militum, tot annos inter gladios illæſi, Deo authore, ſervamur.* Et Sanctus Maximus: *Horum hodie concurſu lætiſſimo excolit Roma martyrium; & quorum dudùm impia perſecuta eſt ſanguinem, eorum nunc peculiari devota patrocinio gloriatur.* Accedit Beatus Gregorius Turonenſis, de gloria Martyrum: *Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, qui illam Vrbem, hoc eſt, Romam, muniunt.* Rurſum Innocentius Papa III. de Petro Sermonem faciens, bellè in rem noſtram loquitur: *Ipſum ergo Petrum Orbis ſe gaudet habere Patrem; ſed ſpecialiter Vrbs illum ſe gloriatur habere Patronum.* Stephanus etiam Papa III. ſcribens Pipino Francorum Regi, non ſemel appellat Divum Petrum, *Almæ Vrbis, & Romani Populi Protectorem.* Multique alij Pontifices, in ſuis litteris ad Epiſcopos, & Principes Chriſtianos datis, eodem paſſim titulo Apoſtolorum Principes, maximè Petrum, afficere conſueverunt.

S.Maxim. hom.3. de SS. in natal. Beatorum Ap. Petri, & Pauli.

D. Gregor. Turon. lib.6 cap.6.

Innocent. III.

Stephan. PP. III.

Hanc ob rem murorum, qui Romam ambiunt, cuſtodiam Beato Petro, divini Numinis Providentiâ, demandatam eſſe, tradit Procopius de Bello Gothico, teſtibus Baronio, & Stengelio: *Inter hanc portam*, inquit ille, *Flaminiam, & alteram ad dexteram huic proximam portulam, Porta alia eſt, quæ* Pinciana *vocatur: huic proximi muri pars quædam luxata lapidum jam pridem compagine ſejuncta ſpectatur, non ſolùm à ſolo, ſed à medio in ſummum faſtigium ſciſſa; nec ſanè collapſa, nec aliàs reſoluta: ſed utrinque ſic inclinavit, ut cætero muro extrinſecùs partìm prominentior eſſe appareat, partìm retractior. Hanc muri partem cùm demoliri tunc primùm Beliſarius niteretur, & iteratò ædificare cæpiſſet, rèſtitere Romani, Petrum Apoſtolum indubitatò ſe comperiſſe ejus loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod utique Romanis ex voto ſucceſſit: quandoquidem nec eo die, quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata: nec per omne id tempus, quo Vrbem obſederunt Barbari, hoſtilis vis ulla ad hunc locum pervênit: nec planè unquam eodem tumultuatum. Et ſanè me admiratio ſubit nec Romanis, nec hoſtibus ipſis in ea tam diutina Vrbis obſidione in memoriam veniſſe hanc muri partem. Quæ res cum miraculi loco poſtea ſit habita, nec ſarcire quid in poſterùm quiſ-*

Procopius de Bello Goth. lib.1. Baron. to.7. Annal. ad An. Chriſt. 537. Carolus Stengelius in Cõment. Rerum geſtar. S. Petri c. 40.

quisquam, nec de integro restituere ausus est; sed ad hanc diem è regione sejunctus permanet murus. Hucusque Procopius. Visitur ad huc paries ipse divisus ab alio, & quasi jam jam casurus, deorsum inclinatus, ut qui rem nesciat, timeat illàc pertransire; extant & eidem proximæ loco amborum Apostolorum è candido marmore Statuæ Portam Flaminiam intrantium Peregrinorum oculis expositæ, tantæ rei testes, defensæque Vrbis perpetua monumenta. Pulchrè in rem cecinit Venantius Fortunatus, laudans Apostolorum Antesignanos, qui geminato ad tutelam præsidio Romam egregiè muniunt, ac tuentur: *Venant. Fortunat. lib. 8. Carminum.*

A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quos Fides turres Vrbs caput orbis habet.

Non ineptè etiam Anonymus Poëta his carminibus lusit, S. Petri in vinculis olim inscriptis: *Poëta Anonymus.*

Hæc invicta manu, vel religiosa triumpho
Mœnia non ullo penitùs quatientur ab hoste:
Claudit iter bellis, qui portam pandit in astris.

Concinit Sanctus Paulinus inter Natalis undecimi fragmenta apud Dungalum, magnarum aliquot Urbium Divos Tutelares recensens: *S. Paulinus Dungal.*

Ipse Deus proceres suffecit mœnibus altis;
Intulit, & paucas functos divisit in oras;
Quos tamen ante obitum toto dedit orbe magistros;
Indè Petrum, & Paulum Romana fixit in Vrbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat.

De tempore, quo cœpit Principum Apostolorum in Almam Urbem, & Romanam Ecclesiam Patrocinium, vix potest esse ambigendi locus: satis enim constat ab ipsorum statim martyrio cœpisse Summos Pontifices, & omnes Christi Fideles, sacras memorias illorum adire: in publicis, ac privatis calamitatibus opem ab ijs exposcere; ipsosque apud Deum Potentes adhibere Patronos. A Constantini Magni præsertim tempore, quo, sedatis jam persecutionum procellis, sereno Cælo, ac tranquillo navigabat mari Petri navicula, maiora cœpit incrementa Religio Christiana; auctus etiam mirum in modum erga Petrum, & Paulum amor, & cultus: magnusque Fidelium ad eorum lypsana & trophæa concursus fieri cœpit. Optimos se illi Romæ, & Rom. Ecclesiæ Patronos esse confirmarunt, cum Constantino ipsi ex gravi, ac *Baron. in Annalib. & alij Scriptores Eccles.*

 pe-

periculoso morbo decumbenti se conspiciendos, in somnis dederunt, augustiori, quàm pro humano habitu, specie, purissimâ circumfulsi luce; eumque monuerunt, ut Silvestrum Pontificem in monte Soracte latitantem accerseret, cujus apud Deum precibus salutem obtineret: uti re ipsâ evênit. Constantinus igitur tanti beneficij memor, susceptâ jam Christi Fide, & sacro ablutus fonte, magnificas in Vaticano monte, & Ostiensi via in honorem Apostolorum Basilicas excitavit; quò palam faceret universo Orbi, non alios se, quàm Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, habere Patronos; atque, ut Romanam Urbem, & gentem eorum clientelæ, patrocinioque committeret, Beato Petro Apostolo, ejusque in Pontificatu Successoribus Urbem ipsam donavit, ut non pauci Authores existimant; & Bytantium ipse secedens, novam ibi, vel alteram Romam posuit, quam de nomine suo *C.polim* dixit. Veterem enim Sanctorum irrigatam sanguine Apostolorum, & sacris eorum pignoribus decoratam, non alios decebat habere Patronos, quàm ipsosmet Principes Apostolorum. Constantini porrò vestigijs instiêre consequentes posteà Cæsares, & Imperatores virtute similes, pietate pares, auctâ, vel confirmatâ ipsius donatione. Ad Urbis etiam Romanæ portas Sacræ illorum Imagines, vel penicillo depictæ, vel è marmore fabricatæ idoneis basibus superstantes visuntur, ad tutelam, & securitatem publicam collocatæ: quemadmodum ad Sancti Angeli pontem Tyberi fluvio impositum binæ Apostolorum è candido marmore Statuæ ab utrâque parte illum claudere, ac munire videntur, sedente Clemente VII. ut apparet ex subjectâ inscriptione, erectæ. *D. Petro, & D. Paulo Patronis Urbis.* In quibus diutiùs immorari supervacaneum ducimus; ne in re facili, & pueris etiam abecedarijs nota, tempus futilitèr terere videamur.

C. Baron. in Annal. Eccles. ad Ann. 324. Genebr. in Chronogr. lib. 4.

Superest tamèn agendum de paternâ, quam erga Romanam Urbem Principes Apostolorû curam gerant: quàm benè respondeant suorum clientûm studio, & pietati: id verò non aliâ meliùs ratione constare poterit, quàm anteacti temporis Annales evolvendo, & rerum in ijs gestarum memoriam refricando.

Anno salutis humanæ 451. irrumpente in Italiam Attila, qui se *Dei flagellum* nominabat, innumeris instructus Hun-

C. Baron. in Annal. Eccles. Ann. Christi 452.

norum copijs, (septingenta bellatorum millia sub signis habuisse memorant;) clarissimis jam captis, aut eversis Urbibus Aquileia, Ticino, & Mediolano, cùm Romam caput Orbis peteret, ut eam vi caperet, ac diriperet, direptamque flammis traderet, occurrit furenti Barbaro Leo Papa, quà Mincius fluvius in Padum influit, liberandæ Urbis spe in uno Deo collocatâ; solaque pietate causæ armatus, Christianæ eloquentiæ vi sic Tyranni ferociam mollivit rationibus, vel animi magnitudine fregit, ut illum de sententia capiendæ Urbis desistere coegerit, & Italiâ relictâ, in Pannoniam remeâre. Fassus est Attila ipse visum à se Leonis lateri, dum loqueretur, assidentem virum canitie venerabilem, vel duos Senes (ut alij Authores volunt, quos Petrum, & Paulum Apostolos fuisse putant) humanâ specie augustiores, fulmineis armatos gladijs, & mortem sibi minitantes, ni Romano Pontifici pacem petenti morem gereret. In hunc modum Leo mitissimus, Apostolorũ tectus præsidio belluam sævissimam, humano saginatam sanguine, & Almæ Urbis divitijs inhiantem, Agnum reddidit; eumque depositâ feritate, compulit in patriam redire, Urbe intactâ, & Civibus ab imminenti excidio liberatis.

Belisarius suo satis nomine Heros celebris Romam triũphantis more invectus Anno Christi 545. auream Crucem, 100. librarum pretiosis ornatam gemmis, & suis cælatam victorijs, Beato Petro Apostolo, cui illas ferebat acceptas, supplex obtulit.

C. Baron. in Annal, tom. 7. ad Ann. Christi 545.

Pelagio II. PP. versabatur C.poli Gregorius Diaconus, qui posteà ad Pontificatûs apicem evectus Magni cognomen adeptus est; ibique Sedis Apostolicæ Apocrisarium agebat apud Imperatorem Tiberium; suadebat is Augusto, ut laboranti illo maximè tempore Longobardorum bello Italiæ, eò missis bellatorum copijs, subveniret. Voti tamen compos fieri non potuit, Tiberio gravi jam dudum, ac periculoso contrà Barbaros bello in Oriente distento. Romani igitur Cives, cum se viderent humano auxilio destitutos, opem à Superis implorarunt, & potentes apud Deum intercessores Beatos Apostolos Petrum, & Paulum adhibuerunt; nec incassùm fusæ preces; nam dùm miles quidam è Longobardis auream Sancti Petri Clavem ex ijs, quas Romani Pontifices, religionis causâ, ad Christianos Principes mittere dono solent,

S.Greg.PP. lib.6. Ep.23. cultro vellet incidere, sibimet in gutture cultrum defixit, & necem intulit, cunctis, qui aderant, terrore perculsis: cujus rei subitò conscius Autarith Rex, divini Numinis iram metuens, aliam magni pretij clavem auream substitui illius loco

Baron.ad. Ann. 755. præcepit ad Sancti Petri; multumque de barbara feritate remisit: ac in posterùm mitior factus, illatas à prædecessoribus Regibus injurias Christi Vicarijs, multis obedientiæ obsequijs compensavit.

Pipinum, Francorum Regem adversus Romanæ Ecclesiæ, ac Fidei Catholicæ hostes bella gerentem, non semel Cælesti auxilio juvit Petrus Apostolus, eumque reddidit de potentissimis hostibus victorem. Hanc ob rem Stephanus

Baron.ad Annum Christi 755. hoc nomine III. eum per litteras incitavit, ut bellum Aistulpho Longobardorum Regi inferret, qui ditionem Pontificiam per injuriam occupaverat armis, eamque per vim retinebat: recipit enim affuturum de Cælo Petrum, cunctaque Francorum victorijs prona redditurum. Quibus motus Rex pijssimus rationibus, susceptâ mox in Italiam expeditione, Duce, & auspice belli Petro, Aistulphi audaciam, & vires

Leo Ostiens. Hist. Cassin. l.1.c.7. fregit; Exarchatum Ravennæ, & quidquid à Bononia ad Apuliam, & Calabriam usque interjacet, armis victricibus

Baron. Ann.Christi 755. vindicavit: magnamque Italiæ partem in Pontificiam ditionem redegit: nec, nisi Aistulpho mortuo, in Galliam redijt, assertâ Romanæ Ecclesiæ dignitate, victo ubique hoste acerrimo, cupiditate triumphatâ.

Maior parente Carolus Magnus, ac rebus gestis clarior, acceptam ab Avis pietatem, & virtutem bellicam in Apostolorum obsequium, & Romanæ Sedis utilitatem convertit: ita ut non modó ejusdem filius amantissimus, sed Parens optimus, & Defensor egregius fuisse videatur. Beatus verò

Baron. in Ann. Ecclesiast. Ann. Christi 804. Apostolus, ne se vinci ab eo sineret beneficijs, illius se Commilitonem, & Protectorem perpetuò agere voluit. Varia certè, & periculosa bella Cæsar aggressus, Aquitanicum, Longobardicum, Hispanicum, Hunnicum, Bohemicum, Danicum, Sclavonicum, Boicum, & reliquis diuturnius, ac difficilius, Saxonicum, Petri auspicijs pugnans felicissimè confecit, hostibus non solùm domitis, sed ad Christi signa, & Religionem traductis; duplicato ad Dei laudem, & ad Cæsaris gloriam fœnore animarum. Testatur id disertis verbis Gre-

Gregor. VII. PP. l.8. Epist. ult. gorius VII. Pontifex maximus: *Carolus Magnus*, inquit, *Saxo-*

niam obtulit Divo Petro, cujus eam devicit adjutorio. Sedente etiam Hadriano I. Ticinum Urbem, ac Sedem Regiam Lõgobardorum, favente de Cælo Apostolorum Principe, deditione accepit Carolus, Anno Christi 774. illorumque Regem Desiderium captivum duxit in Galliam; inde capta ab Hadriano occasio scribendi ad Constantinum V. & Irenem Orientis Imperatores; ut sibi ante oculos Caroli exemplum, ac Religionem proponerent de pugnacissima gente victoris; ut illi eodem moti ad B. Petri tutelam patrociniumque confugerent; eâque bellandi ratione, irruentes in Imperium Barbaros profligarent, & amissam maiorum socordiâ felicitatem, restituerent Orienti.

Baron. Ann. 774.

Baron. in An. ad An. Christi 774.

Luitprandus Rex Longobardus impium cum Eutychio Ravennæ Exarcho fœdus percussit, his additis conditionibus: Vt Rex ipse Spoleti, & Beneventi Duces, Ecclesiæ Rom. fautores, & beneficiario jure obstrictos, armis invaderet; & utrumque, injecto belli terrore, sibi subjiceret: Exarchus verò Romam aggressus vi caperet, captam diriperet, & Pontificem, qui tum erat Gregorius II. in diram servitutem abduceret: his juramento firmatis, Luitprandus ingenti collecto exercitu, Duces viribus longè sibi impares armorum vi, facilè ad deditionem compulit, & in regiam fidem acceptos comitèr habuit. Deindè magnis itineribus ad Urbem properans, in Pratis Neronianis castra posuit; tumultuante interim populo, & Barbari Regis iram timente, & in Pontificia fide nutante. In his rerum angustijs Gregorius, consulto priùs per sacrificia, precesque Deo, & SS. Apostolorum auxilio implorato, Tyrannum convênit, eumque verbis pietate plenis ad clementiam flexit: quîn etiàm is ad Pontificis pedes abjectus, errati veniam petijt, arma deposuit, totusque ad Religionem compositus, Urbem pacificè ingressus, in Basilicam Vaticanam se contulit, ibique ad Sacram Apostolorum memoriam oravit, regijs exutus armis, militare etiam paludamentum, armillas, baltheum, gladium, coronam auream, cum ingenti Cruce argentea affabrèfacta, Petro, & Paulo Apostolis religiosè obtulit. Armis itaque depositis, & restincto belli incendio, Roma obsidione, Italia metu, Ecclesia periculo liberata est.

Baron. tom. 9. An. ad An. Christi 729.

Anast. Bibliothec. in Greg. II. PP. Max.

Baron. tom. 9. Annal. Ecclesi. ad Ann. Christi 729.

Anno redempti Orbis 846. Saraceni comparatâ validâ navium classe Beneventum, nobilem Neapolitani Regni Ur-

Baron. tom. 10. An. ad An. Christi 852.

bem,& amplissimi olim Ducatûs caput,vi occuparunt : inde onusti prædâ , digressi , Romæ suburbia parùm munita invadentes Basilicam Vaticanam expilarunt, & flammis injectis incenderunt : præerat tum Rom. Ecclesiæ Sergius II. Leo IV. Sanctissimus Pontifex ejus successor, eo periculo factus cautior, Leoninam Civitatem Beatorum Petri, & Pauli auspicijs , & favore condidit, eamque in eorum pervigilio solemnibus cæremonijs dicavit, & benè munivit , ne pateret in posterùm hostium injurijs , vel incursionibus Barbarorum. Saracenos verò, qui ex Africa ingenti comparata classe in Italiam ad Urbis excidium properabant, Neapolitanorum auxilijs superavit ; exorta deindè sævissima tempestate, naves, quæ supererant,dissipatæ , vel confractæ fuerunt : Barbaris ipsis, ferro , fame , naufragiove consumptis : paucis admodùm in servitutem abductis.

Baron. in An. Eccl. ad An Christi 849. *&* 862. *Baron. An.* 849.

Otto Romanus Imperator , Anno Christi 961. Joannis XII. litteris solicitatus , ut suppetias ferre vellet Rom. Ecclesiæ gravi bellorum pondere penè oppressæ ; Regem Italiæ Berengarium, ejusque filium Adalbertum, qui sexaginta armatorum millibus Elusas in Alpium jugis occupaverant fauces, magno animo aggressus , inde vi deturbavit , ac insedit montium juga; hostibus alijs aliò dilapsis , & incusso divinitùs terrore perculsis. Affuerunt præsenti numine Apostolorum Principes Imperatori Alpium angustias superanti , & fugientes hostes insequenti. Itaque sine bello , sine sanguine , Italiæ coronam adeptus, Pôtificiam ditionem à Tyrannis fractam, direptam, dissipatam statuit, collegit , restituit , turbas sedavit, Rempublicam composuit , pacatam , in Germaniam se recipiens, reliquit Italiam. Difficillimum bellum , scribit Luitprandus, magna gloria absque ullo labore confecit.

Baron. in An. Eccl. Ann. Christi 961. *Luitprand. l.* 6. *c.* 6.

Nec silentij tenebris involvenda ; sed omnium gentium præconijs , & linguis prædicanda Mathildis excelsi animi Heroina Rom. PP. & Ecclesiæ fautrix , & propugnatrix. Hæc Rhegiensem , & Parmensem in Gallia Cisalpina Episcopos , & Gandulphum Guiberti Antipapæ fautores, ac Schismatici exercitûs Duces, B. Petri ope, atque auxilio nixa ; militaribus instructa copijs , nil tale suspicantes , noctu aggressa insigni clade prostravit ; capto Heberardo Parmæ Episcopo ; multis cæsis ; reliquis in fugam actis. Partam cælesti ope victoriâ Domnizo Poeta his carminibus memoriæ cômendavit:

Domniz. l. 2. *c.* 3.

Gau-

Gaudet turba Petri, turbatur concio Regis:
Inclyta Mathildis terror fuit omnibus illis:
Eberdus Præsul Parmensis captus habetur. *Baron. Ann. 1071.*

Favebat per id tempus Henricus IV. Imperator Clementi III. Pseudo-pontifici, cui nomen anteà *Gibertus*; & magnas in Dei Ecclesia turbas excitabat, ut eum, amoto Victore III. legitimo Pontifice, in Petri Sedem per vim intruderet: cum interim Romana Ecclesia præter Mathildis potentiam, quâ maximè nitebatur; & opulentam in Etruria, quam adierat, hæreditatem, ex imbecillitate potentior, de persecutione illustrior, de tyrannide gloriosior, exilio, & vexationibus conflictata, jus suum fortissimè tueretur: & Apostolorum patrocinijs tectus Pontifex, nominisque ipsa *Victor*, de Tyranno sævissimo, de armatis hostibus triumpharet.

Nunquam tamen clariùs enituit Apostolici Principis in Romanam Ecclesiam, Almamque Urbem patrocinium, quàm cum Federicus Ænobarbus ijs, & Superis bellum movit, & Alexandrum III. Christi in terris Vicarium, multorum annorum decursu, modis omnibus vexare non destitit, & Ecclesiæ Patrimonium armis invadere, ac deripere, ipsius etiam Urbis Almæ divitijs inhiare: itaque illam magnis copijs obsedit, & summa vi oppugnavit; Pontificemque intra moradtem ad deditionem compellere non cessabat; qui cùm ab hoste acertimo opprimi se videret, & Rempublicam in extremum jam discrimen adductam, ad Superos supplex confugit; multas ad illos cum miseris Civibus preces fudit; Petri potissimùm imploravit opem; nec incassùm fusæ preces: additi quippe obsessis animi, crevere divino auxilio vires: sustinuerunt strenuè hostis impetum Cives; gravi accepta clade, Urbis obsidionem solvere coegerunt Imperatorem.

Nec semel Petrus Romæ vicisse contentus Alexandrina etiàm in Urbe Insubriæ, ejusdem Tyranni fastum contundere voluit, audaciamque frænare, ut geminatâ de superbissimo hoste victoriâ, clariora præberet sui & amoris, & patrocinij in Ecclesiam Romanam, & Pontificem documenta. In id unum Federicus omnes animi, & Imperij vires contulerat, ut Alexandrum legitimum Pontificem, de Petri Sede dejiceret, in eamque intruderet Octavianum sibi in paucis charú, sed Apostolicæ Dignitatis fastigio prorsùs indignum. Magno igitur exercitu è bellicosissimis gentibus collecto, Alexan-

Baron.tom.XII.Ann. ad An.Christ.1175
Abbas Vrsperg. in Chron.
Robertus de Monte.
Acta Alexandr.III. PP.
Ciacon.in Alexand. III.

xandriam Urbem, Pontificis nomine, & studio celebrem oppugnare ausus, quà vi, quà dolis usus ut eam caperet, divini Numinis iram expertus est: in medio oppugnationis ardore visus adesse Petrus Cælestibus radians armis, candidissimo vectus equo, gladiûque versare manu, & magnam Teutonum stragem edere: eo territus ostento Cæsar, ne contra Superos bellare videretur, ab Urbis obsidione recessit, & fugienti similis Papiam versùs, iter intendit, Schismaticorum eo tempore sedem, arcemque rebellium.

Carol. Stengel. in Com. rerum gest. S. Petri c. 56.

Gregor. IX. PP.

Federicus alter, Ænobarbo, nec impietate minor, nec ambitione inferior, Romanam etiam obsedit Urbem Germanorum stipatus copijs: sed suam tutantibus gentem Apostolis, re infectâ, inglorius in Germaniam redijt. Præerat tum Rom. Ecclesiæ Gregorius IX. insigni pietate, ac prudentiâ Pontifex.

PP. Rom. sub Joan. 10.

Luidprand. l. 2. c. 13 & 14.

Hieronym. Fabr. in mem. Ravenn. p. 1. pag. 31.

Baron. in An. Eccl. ad An. Christ. 1085 & tom. 5. An. 406. Christi.

Euseb. Nierēb. S. 1. in troph. Marian. l. 2. c. 22.

S. Paulinus.

Dungalus.

Ne sim prolixus, levi tantùm calamo, aliorum PP. nomina, & facta præstringo: Joannem X. cito Anno 915. SS. Apostolorum ope de Saracenis hostibus victorem, unà cum Alberico Adalberti Tusciæ Marchionis filio; & Victorem hujus nominis III. de Henrico III. Schismatico Imperatore, Alexandrum III. de Federico Ænobarbo acie victo in Insubria: parùm abfuit ut occumberet eo in prælio Cæsar ab equo deturbatus, & bellantium militum, equorumque pedibus pene protritus. Memorabilem etiam de Rhadagayso Gothorum Rege inter Fesulanos montes victoriam ijs multò antiquiorem Sanctus Paulinus Nolæ Episcopus Apostolorum Principibus, & Almæ Urbis Martyribus acceptam retulit: cujus ea de re carmina decem ex Natali duodecimo Sanctæ Felicis recitat Dungalus contra Claudium Taurinensem.

Carol. Stengel. in rer. gest. S. A. Petri.

Ex ijs, quæ hactenùs diximus, satis constat Apostolorum Principes Petrum, & Paulum paternam ergà Romanam Urbem, & Ecclesiam curam gerere: nec illos suo unquam, per tot eundo secula, Patronorum muneri, & officio defuisse. Petrus ab una parte, traditis sibi à Deo Clavibus, portas claudere, ne per illas in Urbem irrumpant hostes, ab altera Paulus suo armatus gladio vim inferentibus, necem intentare videntur. Nec suo Petrus etiam gladio destituitur, quem certo olim ictu vibravit in Malchum, ut Christum D. à Romanorum militum rabie, impetuque defenderet. Eo se tutos, ac benè munitos esse credunt Bambergæ Cives, vetustæ, & nobilis

bilis in Franconia Urbis Catholicæ, contra frequentium undique Hæreticorum rabiem; qui luporum instar, ovibus Christi, caulisque insidiantur: ferunt enim apud illos ad hác usque diem asservari, & magno in pretio haberi, C.poli eò translatum; in qua olim Urbe, ut scribit Chrysostomus, *ad salutarem Imperij tutelam*, intrà Cæsarei palatij templum custodiebatur. Longè maiori incremento gloriæ, non gladius Petri ferreus, sed ipsiusmet, & Pauli corpora, auro omni pretiosiora, in aurea Vaticani montis Basilica asservantur ad Romæ decus, & ornamentum, ad cõmunem Populi Romani salutem, ad Sũmorum Pontificum tutelam, ad arcendos procul à muris hostes, & insignes de ijs victorias comparandas.

Metaphrast. apud Sur. die 1 August. S. Joan. Chrys. Serm. de adorat. Caten. & Gladij S. Petri 1. Aug.

Illæ præ cæteris scitu dignæ, quas de Alarico sævissimo Gothorum Rege obtinuit Romana pietas Apostolorum nixa patrocinio; qui Urbe capta, & direpta, militibus suis edixit, ne ullam Petri, & Pauli Basilicis, ad illasve confugientibus injuriam inferrent. De Vitige Gothorum etiam Rege fortissimo Romam obsidione premente, eamque centum quinquaginta armatorum millibus totis viribus oppugnante: qui nullam passus est injuriam irrogari ijs, qui religionis studio, Urbe egressi ad Sancti Pauli Basilicam in via Ostiensi singulis diebus ita re consueverant. De Vandalis; qui occupata per vim Româ, idem pietatis officium erga fugientes ad Apostolorum Basilicas præstiterunt. De Theodora Augusta Justiniani Imperatoris uxore, Arianâ quamquàm hæresi infecta, quæ Antemio Duci Romam petenti in mandatis dedit, ut Vigilium PP. comprehenderet, & ad se vinctum mitteret C.polim; ea tamen lege, ut abstineret à tam pravo facinore patrando in Basilica Apostolorum. Terrebat quippè eximia loci Sanctitas ipsos etiam Catholicæ Religionis hostes, & feroces eorum animos divino quodam pietatis horrore percellebat. Ethnici Imperatores jurati Christiani nominis hostes, abstinuere etiam ab inferendis Sacris lipsanis injurijs, & abolendis Petri, & Pauli memorijs, à Nerone Sævissimo tyranno ad Constantinum, usque illorum seriem recto ordine deducendo: quam obrem *Apostolorum Trophæa* cõmuni sermone dici meruerunt. Stetit tot seculis firma, & inconcussa in media Cæsarum Urbe, in ipsa vanæ superstitionis, arce, & magistra Roma, tyrannis videntibus, & dolentibus, &

Card. Baron. tom. 5. Annal. Eccl. ad An. Chri. 410. & in not. ad Martyrol. Rom. die 18. Novemb. Carol. Stengel. in Cõment. rer. gest. S. Petr. c. 40. Sidon. Apollin. in Panegyr. Ariti Imperat. Baron. to. 6. Annal. Eccl. ad Ann. Christi 455. Procopi. de bello Vvand. l. 1. Evagr. l. 2. c. 7. Paul. Diacon. l. 15. Baron. in not. ad Martyrol. die 18. Novemb. Severan. de Basilica Vatican. p. 166. Paul. Orosius lib. 7. cap. 39. Baron. tom. 1. Ann. Eccl. ad An. Christi 68. & 69. Ciacon. in Anaclet. PP.

contra Christi fideles omni tormentorum genere sævientibus, *Confessio Vaticana* (id loco nomen) ab Anacleto Pontifice erecta, Principum Apostolorum reliquijs opulenta, divino defensa Numine, omnium votis, & peregrinationibus frequentata, supra firmissimam Petram fundata, famæ par, nequitiâ maior, impietate superior, quod in gentis miraculi loco haberi debet.

Non me latet Romanam Urbem, Apostolorum licet patrocinijs tectam, celebremque memorijs, non semel ab hostibus captam, & direptam esse, eorumque Basilicas à Saracenis incensas. Cæterùm hæc Urbis infortunia, in occulta Dei judicia, quæ humanũ superant captũ, vel etiam in Romanorũ vitia, quæ Divini Numinis iram ad ultionem provocarunt, referẽda esse meritò credimus. Uti Hierosolymæ florẽtissimæ quondam Urbi contigisse legimus, quam Deus Opt. Max. in gratiam Regis Davidis, & Pontificis Aaronis, suo tegebat Patrocinio, & rerum omnium affluentia ditabat. *Protegam Urbem hanc propter David servum meum, & Aaron Sanctum meum*, habet Sacer Textus. Illa tamen opibus florens, atque armis potens, & victorijs inclyta Hierosolyma de summo felicitatis apice ad imum calamitatum baratrum dejecta, amisit cum studio pietatis Divini Numinis patrocinium, tantoque destituta præsidio, hostium suorum cædibus, & rapinis mansit obnoxia; eaque ratione meritas suæ pervicaciæ pœnas dedit. In eumdem ferè modum Superi de Romana Urbe vitiorum cœno immersa supplicium sumere voluerunt. Verum divino jam placato Numine, SS. Apostolorum intercessione, pulchrior, & felicior in lucem redijt Urbis Pœnitentis imago, caputque altiùs extulit, & imperium per totius orbis universitatem protulit; quorum auspicijs, nisi Petri, & Pauli? quanta cùm Dei gloria? quanto cum fructu, & fœnore animarum, verbis exprimere non possumus, nec cogitatione complecti.

Cæterùm longè clariùs enituit Apostolici patrocinij virtus, favorque cælestis, turbantibus Orbem Hæreticis, & Schismaticis cuncta miscentibus: quorum bellandi contra Ecclesiam Romanam modus eo, quem hactenùs explicavimus, longè periculosior, & perniciosior erat: tum quia civilibus simillimum bellis, paribus utrinque doctrinatum armis, & petitis à Sacra Pagina argumentis de summa rei Catholicæ agebatur: tum quia ij mendaciorum technis, ac fraudibus tecti

periculosius bellum gerebant, tum quia illud erat magis idoneum ad capiendas simplicium mentes, ac decipiendas rudioris populi animas de industria comparatum. Firma tamen, & sibi perpetuò constans, ac pura viguit Fides Catholica nullâ hæresum labe inquinata, nullis Schismatum dissensionibus discisa, nullis persecutionum tempestatibus obruta, vel oppressa BB. Apostolorum Petri, & Pauli nixa patrociniis: victrix de hæresi, de Schismate, de perfidia triumphavit.

Sanctissima Virgo Maria.

ET si Primarij Romanæ gentis, Urbisque Patroni sint Apostolorum Principes Petrus, & Paulus; Beatissima tamen Virgo Deipara in tutelæ partem venit, suoque munit Urbem patrocinio Superis charam, hominibus venerabilem. Authores hujus sententiæ habemus Augustinum Uvichmans, Georgium Kolvenerium, Eusebium Nieremberg, & Joannem Baptistam Cancellotum Societatis JESU Presbyterum: nec ab ijs dissentire videntur, Petrus de Ribadeneira, cum inter Sanctorum flores interserit festum Sanctæ Mariæ ad Nives, die 5. Augusti; nec Andreas Fulvius, de Antiquitatibus Urbis; nec Antonius Spinellus, Societatis nostræ Theologus, in eo, quem composuit, de B. Virgine Tomo, Sacra eruditione referto. Æquum enim erat, & Religioni Catholicæ consentaneum ut ubi Sedes erat Sūmorum Pontificum collocata, ibi etiam florêret Deiparæ Virginis cultus, & patrocinium, ut indè, seu à capite, vel fonte, in reliquum orbis corpus fidei documenta cum Mariana pietate manarent: ipsaque Æternæ Sapientiæ Mater, & Apostolorum Magistra, Romanos juvaret Pontifices suis apud Filium precibus ad sanam, & puram Fidelibus doctrinam tradendam, ad tollenda ab Ecclesia Schismata, ad benè formandam, & regendam Rempublicam Christianam: id sanè confirmare videntur vetustæ Patrum imagines, opere musivo expressæ in multis Almæ Urbis Basilicis ipsa antiquitate venerabiles, vel ad latus, vel ad

August. Vvichmans in sua Braban. Mar.
Georg. Kolven. in suo Kal. Marian.
Euseb. Nieremb. S. I de Triumph. Mar.
Joan. Bapt. Cancel. S. I in Annal. Mar.
Ribadeneira.
Andr. Fulvius.
J. Anton. Spinel. S. I.

Cancellot. in Ann. Mar. p. 585.

Deiparæ pedes abjectæ, quasi supplices ab illa opem postulent, sibique, ac commisso sibi gregi patrocinium. Imò Principes ipsi Apostolorum depingi olim consueverunt, mediam tenentes Deiparam Virginem, ut videre est in antiqua Sancti Apollinaris Ædicula Germanici Collegij in Cãpo Martio, & in Basilica Sanctæ Mariæ Trans Tyberim. Prætereà Sanctæ Dei Genitricis effigies, *de Pórtich* vulgo dicta, hinc indè lateri adstantes habet eosdem Apostolos, tãquàm Romanæ Urbis Compatronos.

Apposité in rem præsentem primum in Urbe Roma Hospitium Divi Pauli, in via Lata fuisse dicitur, (ubi etiam B. Petrum ad tempus habitasse referunt, cum Martiale discipulo) quod in Basilicam Deiparæ procedente tempore, mutatum totius ad se Urbis studium cũ religione traduxit, causâ Marianæ Imaginis à Sancto Luca depictæ, quæ ibi asservatur, & à Fidelibus pijssimè colitur. Aliud Sancti Petri Apostoli Hospitũm Romæ fuit in Regione Trãs Tyberim à Callisto I. ad Templi *B. Mariæ TransTyberim* dignitatem evectum. In monte etiam Viminali Domus Pudentis Senatoris Petrum hospitio excepit, cùm primùm in Urbem venit. Proxima est Exquilino monti, in quo Sanctæ Mariæ Maioris Basilica, nivis miraculo insignis, visitur; & hospitalem Principis Apostolorum Domum econtrà respicere, & salutare videtur. Itaque tot Principum Apostolorum Hospitia vicinas sibi Deiparæ Ædes habent; nec templis, aut locorum spatijs disjungi voluerunt, ut tuendæ simul Romanæ Urbis studium, conjunctis in unum animis, & Patrociniijs declararent.

Joan. Bap. Cancel. cit.

Baron. Card. in Annal. Ecclesiastic. ad Ann. Christ. 44. n. 28.

Hujusmodi Picturis, templisque non leve authoritatis pondus addit Ecclesiæ Romanæ ritus, quo in Sacra Psalmodia, tam ad Matutinas, quàm ad Vespertinas preces, post B. MARIÆ V. quotidianam cõmemorationem, Petri, & Pauli mentionem facere consuevit: Summi etiam Pontifices, Diplomata, & Apostolicas litteras expedire in alias Catholici orbis Regiones solent, hac verborum clausulâ: *Dat. apud Sanctam Mariam Maiorem.* Cæterùm quia in Urbe Româ, tamquàm in Arce Christiani Orbis, & Fidei Christianæ Magistrâ, tractari solet de explicandis Fidei controversijs, de referendis in Sanctorum fastos viris illustribus, qui pietatis famâ, & miraculis insignes obierunt; de condendis novis Religio-

ligionibus, & earum regulis, & vivendi rationibus approbãdis, alijsque summi momẽti negotijs ad Reipublicæ Christianæ bonum pertinentibus, ad Deiparæ Virginis Patrocinium confugere soliti sunt Romani PP. lucemque ab illa petere, ut veritatem assequi, & rectam in omnibus salutis viam insistere possint.

Porrò, ut Sanctissimæ Dei Matris gratiam illi sibi conciliarẽt, plures anni currẽtis in ejus honorem dies festos instituerunt: singulis hebdomadis Sabbata illius cultui dicarunt; trinum campanarum sonum ad Salutationem Angelicam, mane, meridie, nocte appetente, vel ipsi invenerunt; vel ab alijs inventum approbarũt. Quatuor anni tempora primarijs Deiparæ Festis sacrum reddiderunt, Assumptione, Æstatem; Nativitate, Autumnum; Hyemem, Purificatione; primum Veris tempus, Annuntiatione, ut scitè notarunt Canonici Juris periti. Alia brevitatis causâ omittimus: Romæ innumera Deiparæ templa cùm Paparum munificentia, tùm Romanorum Civium pietas excitavit; ita ut nulla prorsùs videatur esse regio, platea nulla, nullus etiam vicus, qui Mariano titulo, vel nomine non ornetur. Quadringenta olim fuisse Romæ B. Virginis templa scribit Andreas Fulvius de Antiquitatibus Urbis. Sexaginta ferè hac nostra ætate numerant viri graves, & eruditi; magna ex parte structurâ ædificiorum, sacræ suppellectilis opulentiâ, & præsenti divini Numinis Maiestate visenda: præstat cæteris Sanctæ Mariæ Maioris Basilica, cujus aream Augusto mense, quo summi in Urbe Roma calores vigere solent, Augustissima Dei Mater Angelorum ministerio designavit, parte illa dumtaxat cooperta nivibus, quam ex Cæli destinatione Basilicæ structura occupare debebat: ibique in edito Exquilini montis vertice sedem fixit, quasi in speculis esse vellet, & subjectam despẽctare Urbem, quam præ oculis semper habet, ut ejus bono, ac saluti consulat: maximè postquàm Burghesio est excepta Sacello à Paulo V. PP. Maximo magnificentissimè extructo, & perornato.

Hostiens. in cap. Conquest. de ferijs.

Ioan. Azor. S. 1. part. 2. Instit. moral. lib. 1. c. 17.

Andr. Fulv. de Antiquit. Urbis.

Ire per singulas Urbis Marianæ Basilicas nimis operosum esset, & ab instituto nostro alienum: illud lectoribus inculcare sufficiat, ut de reliquis conjecturam faciant: omnes ferè Urbis Regiones (quatuordecim numerantur) & magna ex parte Parochiæ (sic vocant): omnes Religiosorum fami-

liæ dulcissimam Dei Matrem sibi cooptarunt Præsidem, ac Tutelarem. Videas ubique extructas illius Ædes innumeras, veluti Arces munitissimas, ad cõmunem Romani populi salutem, & utilitatem tuendam. Tot Sodalitates piorum hominum, in ejus honorem, & obsequium institutas: tot in ipsis viarum angulis Sacella perpetuis illustria luminibus, altariolaque ardere, ut vix eorum numerus iniri possit. In singulis etiam Urbis ædibus, & apothecis, per plateas omnes dispersis videbis cellulas affabrè excitatas, & in ijs Imagines Deiparæ Virginis expositas oculis, precibusque Fidelium perpetuis floribus, tum quos natura profert, tum quos ars imitatur, alijsque rebus, & clenodijs pretiosis ornatas, quibus venerationis obsequium deferre tenentur qui domum intrant; qui in eâdem habitant, quibus multò religiosiùs domos suas consecrant quàm suis olim Gentiles laribus; quos Tutelares Domorum Genios vocabant. Supra singulas item Romanæ Urbis portas, Sanctissimæ Virginis Mariæ effigies visuntur, ac si illarum custodia, populique Romani salus Dei Matris fidei, ac tutelæ sit concredita, vel cõmendata: ita ut omnes, qui Romam è diversis terrarum partibus confluunt Peregrini, existiment in Urbe se esse, ac versari Mariæ Virgini dicatâ: ad eum ferè modum, quo nova Roma in Oriente, seu Constantinopolis, *Vrbs Mariæ Virginis* anteactis seculis dicebatur.

Cæterùm quàm bene Summorum Pontificum, & Romanorum Civium studio, ac pietati respondeat Deipara Virgo: quàm dulcem, ac maternam de illis curam gerat, operæ pretium erit paucis exponere, nonnullos cõmemorando PP. qui præsentem illius opem in magnis, & publicis Urbis, & Romani Populi calamitatibus experti sunt; præsertim Joannes hoc nomine primus, quo Dei Ecclesiá gubernãte, Beatissimæ Virginis effigiem Angelorum manibus depictam, cælo delapsam, domi suæ excepit Galla, vidua pijssima, Symachi Consulis filia, Urbis præsidio, & ornamento futuram: Gregorius Magnus, grassante per Urbem lue pestiferâ, ad placandam divini Numinis iram, votivam supplicationem instituit, & Imaginem Deiparæ, Sancti Lucæ manu depictam, per Almæ Urbis plateas circumferre voluit, ipso Dominicæ Resurrectionis festo: restituta paulò post Civibus, Virginis ope, salus, visusque fuit cælestis Genius suprà Adriani molem Tyberi

Joseph Matrara l. 1. cap. ult.
Anton. Balinghem. S. I. in suo Kalend. 14. Martij.
Hypolyt. Marracius de Pontif. Marian.
Sigonius lib. 1. de Reg. Italiæ.
Jacob. Gresserus S. I de Imag. à S. Luca depicta.
Petr. de Ribadeneir. S. I. in vita S. Gregor. Mag.

beri fluvio impositam, gladium, quem præ manibus habebat districtum, vaginâ recondere; eoque pacis symbolo depulsam ab Urbe luem, placatamque Numinis iram mortalibus significare. Cumque S. Pontifex Romano comitatus populo, Dei laudes, ac Deiparæ, modulatis vocibus concineret, auditus est psallentium Angelorum chorus, Magnam Matrem celebri illa Antiphona salutantium:

Regina Cæli lætare, alleluia;
Quia, quem meruisti portare, alleluia;
Resurrexit, sicut dixit, alleluia.

Cui finem pulchrè imposuit Gregorius ijs verbis:

Ora pro nobis Deum, Alleluia.

Callistus III. ut rei Christianæ in Hungaria laboranti in tempore subveniret, à Superis poposcit opem, & morem salutandi Deiparam sub meridiem adinvenit, (& si alij in alia sententiâ sint): eumque in Orbem Catholicum primus induxit: voti compos, paucis post mensibus, factus est, partâ, ope divinâ, memorabili ad Belgradum de Mahomete Turcarum Imperatore victoriâ, ipsomet in prælio graviter vulnerato, & quadraginta Barbarorum millibus cæsis.

Leo X. Anno salutis humanæ 1518. die Martij 14. Religiosam per Urbis vias magis frequentes pompam duxit ad impetrandam à Deo concordiam inter Principes Christianos, frænandamque Selimi Turcarum Imperatoris audaciam, & potentiam reprimendam, qui, occupatâ paulò ante armorum vi Syriâ, & Ægypto, Europæ, ac Italiæ armis victricibus imminebat. Circumlatæ hanc obrem per Urbem Sanctissimæ Mariæ Maioris, & Sanctæ Mariæ de Porticu sacræ effigies, ipso Pontifice cum Cardinalibus, & Romano populo subsequentibus; cujus tandem apud Deum precibus effectum est, ut Selimus in medio victoriarũ cursu lethali morbo correptus, ac pestifero quodam cancro consumptus miserrimè obierit.

Paulus III. validam Turcarum classem Romæ, ac Italiæ exitium minitantem, Mariæ Sanctissimæ auxilio implorato, aliò avertit, Anno à Christo nato 1537.

Pius V. clarissimam de ijsdem Barbaris victoriam, mari partam, ad Echinadas Insulas Magnæ Matris precibus acceptam retulit; ad memoriam verò tanti beneficij æternandam festum solemne instituit, sub *Rosarij* titulo in Orbe Catholico celebrandum. Alios omitto Pontifices, ne lectoribus

Scriptor. PP. Rom.

Platina in Callist. III.
Ciacon. in Callisto III.
Maced. in sua Lusitan. Insulata, & Purpurata sub Joann. XXI. PP.
Andr. du Chesne in hist. PP. pag. 331.
Angelus Rocca in lib. de Cãpanis c. 18.
Spondan. in Auctario ad Ann. 1456.

Gregor. Kolvener. part. 2. Kalend. Marian. die 17. Julij.

Anton. Spinell. S. J. tract. de Exempl. B. V. pag. 664.
Genebr. in Chronog.
Joan. Anton. in vita Pij V. l. 5. c. 6.
Joan. Anton. Gratian. de Bello Cyprio.
Ciacon. in Pio V. PP. Max.
Kolven. in Kalend. Marian. Dominica 1. Octob.

ſim moleſtus. Unum dumtaxat præterire non poſſum Alexandrum hoc nomine VII. qui, ſæviente dirum in modum per Urbem contagione peſtiferâ Anno Chriſti 1656. ad Sanctiſſimæ Virginis patrociniũ ſe recepit, multisque apud illam precibus inſtitit, ut JESV filij in Romanos placaret iram, peſtemque ab Urbe depelleret; factusque paulò poſt voti ſui compos, in gratiarum actionem, ſupplicationem indixit ad Sanctam Mariam de Porticu, in qua Pontifex ipſe cum R.E. Cardinalibus pedes ivit, vultu, & habitu ad pietatem compoſito. Templum ingreſſus, atque in genua ante Virginis Aram provolutus, accepti beneficij grates egit, tanquàm Urbis Patronæ, ac Tutelari.

Alexand. VII. PP.

Senatus etiam, Populusque Romanus, (quod ad rem nobis propoſitam maximè facit) erecto ſupra Capitolium templo Deiparæ de *Aracæli*, & Minoritis Fratribus attributo, firmiſſimum ſibi eo in loco, Jovi quondàm, & alijs Erebi monſtris vanâ ſuperſtitione dicato, veræ Religionis propugnaculum extruxit: auguſtiſſimamque ibi Prætorij ſedem fixit; ut univerſo Orbi Catholico, ſub Magnæ Matris patrocinio ſe eſſe, ac Rempublicam gubernare, palàm faceret. Ex ijs, quæ hactenùs diximus ſatis conſtat, B. V. Mariam Romæ Patronam meritò dici poſſe, ac Tutelarem.

S. Sebaſtianus.

Sanctum prætereà Sebaſtianum, contagionis tempore, Romani Patronum habent: ducto hujus ſacri tituli, morisq; initio ab Agathone Pontifice: is enim fundente ſe ſe latiùs per Urbem lue mortiferâ, atque omnes illius regiones, non ſine magnâ Civium ſtrage, pervadente, divino monitus oraculo, Aram Sebaſtiano Martyri erexit: ceſſavit ſtatim lues, ſalusque Urbi reſtituta in cauſa fuit, ut Romani illum ſibi in poſterùm, contagionis tempore, Patronum deligerent. Inde, veluti à capite, in reliquum Catholici Orbis corpus, ſingularis erga Sebaſtianum Martyrem amor derivatus; mosque deductus colendi potiſſimùm ipſius memoriam, & patrocinium tempore luis peſtiferæ poſtulandi. Excellit inter omnes Europæ Nationes, (ſi fas eſt dicere) Luſitana, ab eo maximè tempore, quo regnavit Sebaſtianus, ipſo Martyris invicti die Ulyſſipone natus. Urbem nullam invenies in Luſitania, oppidum nullum, in quo vel templum, vel ſacellum, vel ædicula non videatur Sebaſtiani titulo non prænotata. Idem viget amor, idem cultus in Regionibus, ac Provincijs Lu-

C. Baron. in Annal. ad Ann. 680.

Paulus Diacon. l. 6. c. 3.
Sigebert in Chron.
Ciacon. in Agathon. PP.
Carolus Stengelius de reb. geſt. S. Petri Ap. c. 6.
Bollad. & Henſchen S. I. in Actis SS. ad diem 20. Januar.
Floravant. Martinal. in ſua Roma Ricercata.
Georg. Cardoſ. to. I. Agiolog. Luſitan. ad diē 20. Januar.

Lusitanorum Imperio subjectis. Nec semel, illius opem experti fuerunt pestiferæ contagionis tempore. Aucta mirum in modum inter nostros in Sebastianum pietas occasione sagittæ, qua sacrū illius corpus confixum fuit, à Gregorio XIII. PP. Max. ad eundem Sebastianum Regem dono missæ.

Visitur in Cæmeterio Callisti, Via Apia, vetusta, & nobilis Sancti Sebastiani Basilica, à Scipione Cardinali Burghepio magnificè instaurata, & ad formam augustiorem reducta, in qua sacrum illius corpus asservatur, (& si Galli id apud se habere putent Suessione in Ecclesia Sancti Medardi:) estque una è septem Basilicis, multis Sūmorum PP. privilegijs instructa; multis Fidelium votis, & peregrinationibus frequētata. Ejus reliquias Suessione in Gallia, idest, partem corporis asservari pro certo habendum. *Scriptores Romani.* *Andreas Saussains part. 2. Martyr. Gallic. ad diem 19. Decembr.*

Nec solo contagionis, sed etiam belli tempore, Romana Ecclesia S. Sebastianum Patronum habere consuevit, unà cum SS. MM. Mauritio, & Georgio: ad bellum scilicet inferendum Fidei, aut Religionis hostibus, eorumque opem in bellicis congressibus implorandam, ut piè præscribitur in ordine Romano de Divinis Officijs, hujus tenoris oratione ad instiruendum, & armandum Ecclesiæ Romanæ militem cōpositā. *Ordo Romanus.*

Domine Deus, qui conteris bella, & adjutor, & protector es omnium in te sperantium, respice propitiùs invocationem nostram, & per merita Sanctorum Martyrum tuorum, & militum Mauritij, Sebastiani, & Georgij, præsta huic viro victoriam de hostibus suis; & salva eum tuo gratuito munere, qui dignatus es hominem redimere. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

NO-

NOVA
ROMA,
SEU
CONSTANTINOPOLIS.

OLIM Byzantium, Imperij in Oriente Caput, Patriarcharum, & Imperatorum Sedes à Constantino Magno aucta, ornataque, ab eodem nomen accepit; *Nova Roma, Sacratissima Civitas, Christianissima, Gloriosa, Augustissima* vocari solita in legibus, & sanctionibus Imperatorum. A Niceta Choniate his extollitur encomijs: *Regina Urbium, Urbs Augustissima, Urbs magni Regis, Tabernaculum Altissimi, Deliciæ hospitum, Imperantium Urbium imperatrix, Canticum Canticorum, & rebus valdè raris spectaculum rarius.* Sanctus Gregorius Nazianzenus in suis Carminibus canit: *Constantinopolim tantùm præcellere alijs orbis Urbibus pulchritudine, & magnificentiâ, quantũ Cælũ terræ præstat.* Sic ille Poetarũ more rem exaggerat. Hæc tamen Urbium Princeps, & Regina mundi à Mahomete secundo vi capta anno salutis humanæ 1453. occiso Constantino XI. ultimo Imperatorum, postquàm stetisset centum supra mille annos, Imperio, divitijs, & triumphis clara, meritò suæ pervicaciæ, & schismatis pœnas dedit; ac diram ad hanc usque diem sub Turcarum jugo, & tyrannide servitutem servire cogitur. Illius dedicationem à Constantino magno solemnibus cæremonijs peractam esse, multisque votis, ac precibus Sanctissimæ Virgini Mariæ consecratam, referunt cùm Græci, tùm Latini Scriptores. Unius, aut alterius testimonium adducere volumus, ut dictis fidem adstruamus. Zonaras sic scribit tomo tertio suorum Annalium: *Constantinus Urbem studiosè condit; à se Constantinopolim vocat,* &

Socrates lib. 1. Hist. Eccles. c. 12.

Nicetas de C poli.

Petr. Gillius in Topograph. C. polis.
Aubertus Miræus in notit. Episcopat. orbis Christiani.
Spondan. in Auctario ad annũ Christi 1453.

Socrat. l. 1. c. 12.
Michael Glyces to. 4 Annalium.
Cedren. in Cõpendio.
Kolu in Kal. Mar.

& Dei Matri consecrat. Nicephorus verò sic loquitur: *Encænia, & consecrationis festum diem celebrant; incruento sacrificio operantur; precibus, votisque Vrbem abundè prosequuntur, & firmant; eandemque Dei genitrici dedicant, Novam Romam, Imperantemque Constantinopolim cognominantes, Alexandro tum Bizantij Ecclesiam regente.* Dies verò Dedicationis publicis tabulis consignatus, & commendatus invenitur: anniversaria etiam festivitate natalis novæ Romæ, sicut & Veteris, celebrari jussus. Extat ea de re statuta Lex in Codice Theodosiano lib.2. de ferijs in hunc modum: *His adjicimus dies natalitios Vrbium maximarum Romæ, atque Constantinopolis, quibus debent jura deferre, quia & ab ipsis quoque nata sunt.* Ingens Episcoporum numerus ad Encænia tantæ Civitatis confluxit, tum ut Imperatori de re Christiana optimè merito morem gererent; tum ut illo pietatis obsequio Beatissimæ Virgini Mariæ, cui Civitas dicabatur, gratiam, & patrocinium sibi conciliarent. De anno, ac die, quibus facta est Dedicatio, magna est inter Authores discordia, cùm alij aliter sentiant: nobis illa sententia magis probatur, quæ assignat Annum Christi 330.: Imperij Constantini vicesimum quintum, diem verò mensis Maij undecimam; etsi non pauci, nec ignobiles Scriptores decimam nobis diem ejusdem mensis inculcet. Nec mea multùm interest unius diei examinare discrimen, cum uterque ad institutum nostrum maximè faciat. De re ipsa constat, nempe Constantinopolim Deiparæ Virginis patrocinio, ac tutelæ fuisse cōmissam: quam ob rem Authores passim illam appellant *MARIÆ Virginis Vrbem*, præsertim Theodoretus, & Græcorum Menologium. Recentioris item ævi Historici Theodoreti, & Menologij vestigijs insistentes, eo decoris, ac gloriæ pleno titulo Constantinopolim afficiunt, inter quos numerantur Baronius, Canisius, Spinellus, Kolvenerius, Balinghem, Pontanus, Nierembergius, Gretserus, Scaliger, Morinus, Samperius, Stradetus, Uvichmans, Lezana, Cancellotus, Contius, Gordonus, Pancirola, Marnavitius, Gaulterius, Marracius, Rainucius, A Cruce, Gumppembergius, & alij, quos omitto. Nec parum utilitatis, & ornamenti Constantinopoli accrevit MARIÆ nomine insignitæ, patrocinioque defensæ; nam multis illa procedente tempore, & magnis concussa bellorum motibus stetit firma, constansque, non minùs opibus, quàm armis potens,

Gregor. Presbyter. in Orat. de Patribus Concil. Niceni.

Eutropius lib. 10.

Jacob. Pontan. in Annotat. ad Histor. Mauritij Imper.

Codinus Curopalata in Origin. C.pol.

Inchofer. in Chron. previo Annal. Hungaria.

Baron. in An. Eccl. ad Annum Christi 330. tom. 3.

Spondan. ad eund. Ann.

Nieremb. de Troph. Marian. l. 1. c. 8.

Morin. part. 2. Hist. Constant. c. 6.

Ma-

Mariæ scilicet ope nixa, præsidioq; munita: staretque, ni fallor, hactenùs imperantis habitu, fastuque retentis, nisi frequentibus quondam schismatibus infecta, & inconstans à Romanæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis obedientia descivisset, ac eo nomine ultricem divini Numinis iram in se provocasset.

Cancellot. in Annal. Mar. S. 2.
Marrac. in Imper. Mar.
Ramnuc. de princip. Sačtis sub Constāt. Imper.
Marnavit. in Vita Constantini.

Insignia Constantinopolitani Imperij *Crux erat aurea* cũ adscripto *eidem quater* Græco elemento B. in quatuor Crucis angulis: sensus verò illius Latinè est *Rex Regum, regnans super regnantes.* Traditam à Constantino Magno singularem in Deiparam pietatem hauserunt illius in Imperio Successores, & Urbem magnæ Dei Matris tutelæ creditam, sacris passim extructis Ædibus decorarunt, & magnificis cinxerunt Basilicis, ut Cælestis Patronæ suæ memoriam æternarent, ipsamque Constantinopolim, virginis ope, hostium furori, ac oppugnationibus inexpugnabilem redderent. Ut hujusce rei veritas magis appareat, non-nullos Orientis Imperatores in medium producemus, qui summa Deiparam Virginem fide, & pietate coluerunt, Urbemque, & Imperium ejus tutelæ, & patrocinio commendarunt. Theodosius nomine, & rebus præclarè gestis *Maior*, Beatissimæ Virginis auxilio fretus tumultuantes ab Urbe expulit Arianos, eorumq; fastum contudit, & audaciam refrænavit. Nec minor Theodosius, Arcadij Imperatoris filius, Maiori cessit studio in Deiparam, & observantiâ. Ijs tamen clarior enituit heroicarum splendore virtutum Virgo Pulcheria Theodosij Minoris Soror, Marciani Augusti Conjux, quæ divino instinctu mota, tres in Deiparæ honorem Basilicas Constantinopoli ædificari curavit locis dispares, magnificentiâ pares, quibus seu firmissimis propugnaculis non minus Urbem ipsam munivit, quàm ornavit: harum præcipua in Blachernis erat (id loco nomen) in suburbana regione, *digna ipsa Dei Matre*, scribit Nicephorus, in qua sacram illius vestem deposuit. Addit Curopalata *Die solemni Depositionis Vestis Deiparæ Blachernas, tendit Imperator, religionis causa.* Aliam in Chalcoprateo, seu foro fabrorum, ejusdem magnæ matris Zonâ ibi depositâ, valdè celebrem extruxit. Tertiam, quæ à *Via Ducis* nomen traxit, *Hodegetrion*, idest *Via Ductricis*, vel *Monstratricis*, illamque insignem reddebant Sanctæ Mariæ effigies Lucæ Evangelistæ manu depicta, & Infantis Jesu fasciæ ibi depositæ, ut

Sozomenus l. 7. c. 5.
Locrius in Maria Augusta l. 2. c. 6.
Euseb. Nierēb. S. I. de Troph. Mar. l. 2. c. 20.
Baron. in An. Eccl. t. 6. ad An. Christi 453.
Nicephor. l. 14. c. 2.
Curopal. de Offic. Aul. & Eccl. C. pol. c. 15.
Bosquet in Vitis Innoc. I. III. Epist. lib. 1. Reg. 13. pag. 21.
S. German. Serm. de Zona B. V. & Fascijs Pueri Jesu.

Niceph. l. 14. c. 2. Spinel. tr. de Fest. & Templ. Mar. p. 724.

ſcribit Sanctus Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus; quam picturam ferre ſolebant Imperatores, ut narrat Curopalata, in Aulam regiam à prima ipſius vigilia; ibique manebat decenti loco repoſita uſque ad magnam Dominicam Paſchæ.

Locrius in Maria Auguſta l. 5. c. 26. Petrus Creſpet. in Summ. Eccleſ. ſub titulo Maria. Curopalata de Offic. Eccleſ. & Aula C.pol. c. 12. Gretſer. tr. de Imag. à S. Luca depictis c. 18. Vincent. Bellov. in Spec. Hiſt. lib. 23. c. 147. Ant. Balinghemius in Ephem. Mar. p. 229. Placidus Saperius l. 2. Iconol. Mar. c. 6.

Eâdem Pulcheria Imperante ferunt initium habuiſſe Feſtum Hodegetriæ, quod olim Conſtantinopoli celebrari conſuevit: originem duxiſſe credimus à Sacra Virginis effigie Sancti Lucæ penicillo depicta, quam Pulcheria, ut ſupra diximus, collocari præcepit in Baſilica à ſe extructâ, cui nomen *Conductrix*: Inſtituit namque ut tertio quoque hebdomadæ die, vel ut tradit Vincentius Bellovacenſis, ſingulis quibuſque diebus martis, illa ipſa Imago Virginis ſolemni ſupplicatione per Urbem circumferretur; Civesque Conſtátinopolitani, ſeu fidiſſimi ipſius clientes, ad eam ſempet confugerent in publicis, ac privatis calamitatibus, ut præſentem à magna Dei matre opem expoſcerent, & divinum numen illius precibus ſibi propitium redderent. Ad hanc potiſſimùm Deiparæ Baſilicam magnus confluebat Civium numerus; ipſi etiam Imperatores Auguſti eò frequenter ire ſoliti erant orandi cauſâ, & dulciſſimam Jeſu Matrem ſuſcepti à ſe Urbis patrocinij, & tutelaris officij admonendi; maximè, cum graviùs premebantur morbis, vel lue peſtifera; vel belli moles à Barbaris illati omnium capitibus imminebat, ut illa pietatis memor Marianæ Vrbi laboranti, ac tanto bellorum pondere penè oppreſſæ ſubvenire vellet, ac in tempore ſuis clientibus opem ferre. Et votorum ſuorum Conſtantinopolitani Cives compotes paſsim fiebant, vel impetrata ſanitate, vel depulſa contagione peſtifera, vel debellatis divina virtute hoſtibus, & pace parta, rebusque ex animi ſententia benè compoſitis.

Cedren. in Compēd. ſub Heraclio Imper.

Niceph. l. 15. Hiſt. c. 25. Caniſ. lib. 5. Mar. c. 23. Spinell. pag. 725.

Leo I. cognomento Magnus, qui humanæ ſalutis Anno 457. imperare Conſtantinopoli cæpit; magno pietatis ſenſu Deiparam coluit, cujus precibus Imperatoriam dignitatem ferebat acceptam, eamque regiæ Vrbis Patronam, & Imperij Tutelarem agnovit: illuſtria ſuæ in illam obſervantiæ, & clientelæ monumenta reliquit; Baſilicas duas, quibus nihil in Oriente auguſtiùs, nihil magnificentius, nihil ſacratius ſpectari poterat; illaſque prope muros Vrbis condidit tanquam firmiſſima adverſus Barbaros propugnacula. Baronius Car-

Kolv. in Kal. Mar. part. 2. ad diem 2. Julij.

Cardinalis Nicephorum ducem secutus hasce duas Basilicas collocat juxta fontem, ubi insigne contigit miraculum paulò antè quàm Leo ipse iniret Imperium. Cantacuzenus illas extra Vrbem ponit, Ferreolus Locrius juxta Portam Auream, ubi ferales magno numero assurgebant cupressi: Cantacuzeni sententiæ adhæret noster Gretserus: alij verò Authores unam à Leone in Blachernis ædificatam fuisse memorant structurâ, ornatuque Pulcherianæ simillimam, in qua sacram Deiparæ vestem ille recondidit ab Hierosolymis nuper allatam, quam etiam miraculis illustrem Constantinopolitani Cives in summa veneratione habebant. Alteram ad *fontem* vulgò nominatam, de qua Procopius meminit libro de Ædificijs Justiniani, affirmatque reliqua Vrbis templa magnificentiâ, & elegantiâ superasse.

C.Baron. in Annal. Eccles. tom. 6. ad Ann. Christi 451.

Curopalata lib. 3. Comment. c. 16.

Aug. Vuichmans in Brabant mar. l. 6. c. 1.

Metaphrast. ad diē 15. m. Augusti.

Procop. de Ædificijs Justin. Imper.

Justinianus hoc item nomine I. Sanctissimam Dei Matrem Constantinopolis, ac totius Imperij Patronam coluit, & Tutelarem: illius patrocinio fretus concussam bellorum terrore Vrbem, & hostium impetu undique ingruentium nutantem Imperij molem sustinuit, & firmavit; seque ipsum multis obstrictum à Deipara beneficijs ejus servitio piè devovit, quod his verbis testatum reliquit lib. 1. Codic. de officio Prætoris: *Hoc etiam deprecantes exoramus Sanctissimæ, & Gloriosæ semper Virginis, & Dei Genitricis Mariæ precibus, ut quidquid minus est Reipublicæ nostræ per nos ultimos servos suos provisum, restituat in suo nomine Deus, & dignos nos faciat servitium ejus adimplere.* Tantoque in Deiparam Sanctissimam studio, & amore ferebatur, tantum illius fidebat patrocinio, ut non solam Constantinopolim, Sedem, & Caput Imperij, sed plures alias, easque Principes diversarum gentium Vrbes Romanorum ditioni subjectas ejus tutelæ, & protectioni commiserit; Hierosolymam videlicet in Judæa, Sebastem in Armenia, Pergen in Pamphilia, Antiochiam in Syria, in Africa Carthaginem, (ut alias non ita clari nominis omittamus) in quibus sacras in memoriam Deiparæ Virginis Ædes excitari jussit impensis Imperatorijs. Apud Absagos etiam confines Caucaso monti populos templum *Mariæ* titulo erexit, ut eos religionis Marianæ studio captos, & Christianæ benevolentiæ obsequijs delinitos ad pietatem suaviùs attraheret, & in officio faciliùs contineret. Deiparæ auxilio, & potentiâ confisus Vvandalos in Africa, Gothos in Italia, Persas in Oriente,

Baron. to. 6. Annal. ad An. Christi 474.

Locrius in Maria Augusta l. 4. c. 10.

Euseb. Nieremb. in Troph. Mar. l. 3. c. 5.

Ant. Balinghem. S. I ad diem 13. Novēb.

C. Baron. in Annal. ad An. Christi 544.

Evagrius l. 4. c. 23. Niceph. l. 17. c. 13.

Spinell. tr. de Fest. ac Templ. B. Virg. p. 727.

Abſagos, Tzanos, & Samaritas juratos Imperij hoſtes debellavit per clariſſimos illius ætatis duces Beliſarium, Narſetem, Joannem, & Salomonem: nec niſi implorato priùs Sanctiſſimæ Virginis auxilio, bella adverſus hoſtes gerere conſuevit. Graſſante etiam per regiam Vrbem contagione ſic dira ut vel uno die triginta occumberent capitum millia; Patronæ Virginis apud Deum precibus ceſſavit lues, & integra Civibus ſalus eſt reſtituta ipſo Marianæ Purificationis die feſto: cujus beneficij memor Juſtinianus editâ confeſtim Sanctione mandavit, ut is in poſterùm dies, qui in deſuetudinem abierat, Conſtantinopoli, & in alijs Imperij Vrbibus ſacer, & feſtivus haberetur; eaque ſancita lege pietatis, & obſequij plenâ, ſatis declaravit, quantum ſibi cordi eſſet Beatiſſimæ Virginis memoria, honorque, quantum ipſe ejus nomini, patrocinioque deferret. Alios prætereo, tum quia ex ijs, quos in medio produximus Imperatoribus, facile erit de reliquis conjecturam facere, tum quia properat calamus ad ea beneficia deſcribenda, quæ Patronæ ſuæ precibus, & meritis apud Deum Conſtantinopolis, & Orientis Imperatores, vel ſæviente bello, vel graſſante per Vrbem lue peſtifera, impetrarunt.

C.Baron. to. 7. Annal. p. 331.

Nicephor. l. 7. c. 28.

Kolven. in Kalend. Mar. p. 1. ad diem 11. Februar.

Nunquam certè illuſtriora dedit Regina Cæli materni in Romanos amoris, ac patrocinij documenta, quam imperante Heraclio, & contra potentiſſimos hoſtes bella gerente, dixiſſe fertur:

Andr. Victorel. de B.V. Mar. p. 2. c. 25.

Veni ego, vidi ego, viciſti tu Maxima Virgo:
Tu noſtri ſemper pectoris agis eras.

Ex Africa, ubi primùm inauguratus eſt Imperator, ſolvit in Orientem multarum navium claſſe inſtructus Caſtellorum ſpeciem referentium, in quibus Deiparæ Virginis effigies omnium oculis conſpicua eminebat: ad Heracleæ portum felici navigatione pervenit, ubi Stephanus Cyzici Epiſcopus deſcendenti in littus occurrit manibus præferens Sacrum Mariæ Virginis Stemma, ut ſub eo victoriæ ſymbolo Phocæ Tyranno magno animo bellum inferret, illoque, Deo favente, devicto, oppreſſam gravi Tyrannidis jugo, Rempublicam relevaret, & priſtinæ dignitati, ac ſplendori reſtitueret; uti re ipſa, paucis poſt menſibus evenit, occiſo Phoca, & urbe in libertatem aſſerta. Cum ſupplicio de Tyranno ſumpto Imperio, & Mauritio defuncto parentaſſet Heraclius, egregium ſe

Cedren. in Cõpendio.

Leoncius in Vita S. Joan. Eleemoſinarij. Caniſius l. 5. c. 22. Baron. in Annal. Eccleſ. ad Ann. Chriſti 626. Bozius de ſignis Eccleſ. l. 9. c. 10.

præstitit Constantinopolis, & Catholicæ Religionis defensorem, animosè suscepto, fortitèr gesto, & felicitèr confecto bello Persico, Patronæ Virginis ope. Razatem namque Persarum Ducem fortissimum propria manu occidit, & spolia opima retulit: Servatoris nostri Jesu Christi Crucem, humanæ salutis pignus, à Chosroe Persarum Rege, partis de Phoca victorijs nimis elato, Ctesiphontem abductam, non sine gravi Christiani nominis infamia, Hierosolymam reduxit Imperatorijs humeris, quasi triumphali ferculo, vectam: multiplices, & illustres de hostibus victorias pax aurea, & summa rerum tranquillitas consecuta est: repulsis, interim dum bello Persico destinetur Cæsar, ab Urbis obsidione, non sine Beatissimæ Virginis auxilio, Barbaris; in fugam actis illorum copijs militaribus, & classe multarum navium fæda tẽpestate jactatâ priùs, & posteà submersâ. Pari ferè eventu, & felicitate pugnatum à Theodoro Heraclij fratre contra Saim Chosrois ducem, innumeris hostium trucidatis.

Sigibertus in Chron. Ann.631. Kolv. in Kal. Mar. ad diẽ 19. Aprilis. Raynerus in diar. Hist. Petav. in Breviar. Hist. S. Niceph. P. C.politan.

Illud tum temporis Constantinopoli festum Deiparæ Tutelaris celebrari cæpit singulis Sabbatis quintæ hebdomadæ in Quadragesima, quod *Acathiston* Græci vocarunt: habetur illius origo in eorum Rituali, cujus hæc summa est. Profectò in Persidem Heraclio, Chaganus, seu Caianus Avarum Rex (Mysonem, vel Scytharum ducem appellant alij) rupto, quod antè inierat cum Romanis, pacis fædere, ab Occidentis partibus cum validissimis movit copijs Constantinopolim versus, obvia quæque ferro, flammisque devastans. Eodem ferè tempore Sarbarus missus à Chosroe cum ingenti exercitu, Orientis Provincias latè populatus, & ipse ex altera parte Constantinopolim circumsedit, locatisque circa illam castris, conjunctis inter se animis, ac viribus Urbem acerrimè oppugnabant. Rebus jam in ultimum discrimen adductis, Sergius Patriarcha consternatos metu Cives ad fiduciam erigit, eosque bono animo esse jubet; de victoria nihil dubitare, Sanctissimæ Dei Matris, & Patronæ Urbis ope, quam suis affuturam clientibus certò credebat: nec irrita spes Sergij, nec populi Constantinopolitani fuit; brevi quippè temeritatis suæ pœnas uterque dedit exercitus, terrestribus Barbarorum copijs ad internecionem usque deletis; & navium classe, sævâ de repente exortâ procellâ è maris sinu *Ceratis* dicto, ubi stabat in anchoris, ad substructiones Basilicæ Marianæ in

Curopalata de offic. & official. Aulæ Regiæ, & Eccl. C.polit. lib.3.

Gretser. ibi c.22. Et de Imagin. non manu fact. c.15.

Costant. Manass. in Annal. sub Heracl. Imperat. Baron. in Ann. Eccl. ad An. Christi 625.

Euseb. Nieremb. S.I. in Troph. Mar. l. 3. c. 8. Petavius in notis Chron. Ann.626. Kolven. p.1. & 2.

littore ad Blachernas erectæ, magno allisâ impetu, penitùsque confracta. Tanto accepto beneficio Constantinopolitanus populus sequentem noctem in vigilijs, & gratiarum actionibus, & Marianis laudibus concinendis piè consumpsit, & in posterùm, grati animi causâ id ipsum à se præstitum iri singulis annis vovit. Id hujusmodi festo initium fuit; quod longè celebrius, procedente tempore, reddidit duplex aliud beneficium Deiparæ interventu acceptum; nam cum anno quinto Imperij Constantini Pogonati innumerabiles Saracenorum copiæ Constantinopolim toto trienio (septennium dicunt alij) obsedissent, magnæ Dei Matris, suo faventis populo auxilio effectum est, ut qui in hybernis erant hostes Cyzici, ij ad unum omnes varijs adversæ fortunæ casibus perierint; alij qui in mari erant suis conclusi navibus panico quodam terrore correpti, cùm vela fecissent in patriam, immissâ divinitùs tempestate fœdissimâ, ad Scyllæum Promontorium facto naufragio, pelagi furentis fluctibus hausti fuerint. Ijdem Saraceni secundo rerum cursu, eventuque nimis elati, Persarum quippè regnum armis subegerant, Ægyptum, Africam, & Æthiopiam victorijs magis, quàm passibus peragraverant; in Hispaniam usque armorum terrorem cum nominis sui famâ intulerant; Leone Isaurico imperante, mille octingentis navibus instructi Constantinopolim obsidione cinxerunt, Masalma eorum Principe, Duceque. In summis rerum angustijs, multis Civium fatigata precibus affuit de Cælo Virgo Deipara, & salutarem afflictis rebus opem tulit; ac primùm cæsa sunt à Bulgaris suprà viginti millia Barbarorum; deinde pars magna classis maris fluctibus propè Sosthenium absorta perijt; reliqua solutis anchoris, per Ægeum mare fugiens immissa de Cælo ardenti grandine, conflagravit: tres solummodò naves tantæ cladis nuntiæ in patriam reverterunt: *Experimento didicerunt*, inquit Theophanes gravis Author Græcus, *Saraceni quia Deus, & Sanctissima Virgo Maria Dei Mater hanc muniunt Urbem.* Gregorius II. Romanus PP. de admiranda hujus obsidionis solutione agens in Epistola ad Sanctum Germanum C.p. tum temporis Patriarcham, significat Deiparæ Virginis effigiem per Vrbis muros circumlatam à civibus fuisse, ejusque apud Deum precibus Constantinopolim ab imminenti periculo liberatam. Hanc ob rem diem illum Græci communi omnium gaudio, & gratitudine celebrare consueverat, eum-

Vincent. Bellovac. in Specul. l. 23. c. 27.

Cedren. in Cōpend.

Niceph. Patriarch. C.p. in Breviar. Hist. p. 161.

Spinell. de B. M. V. tr. de Templ. & mirac. p. 656.

Greg. II. PP. Rom.

Petr. Possinus S. I. in observat. ad Histor. Georgij Pachim. l. 1. glossar. pag. 365. & 366.

Jacob. Gretser. S. I. lib. 3. cōment. in Curopal. de offic. & official. Aulæ C.p. c. 7.

eumque sacros inter, & maximè solemnes habere: *Acathistos* verò quasi carens sessione, dictus est, quod populus tota nocte stando B. Virginis Hymnum concinebat; cùmque in alijs templis ex more sedere permitteretur Fidelibus, in ista Deiparæ solemnitate erecti omnes, & stantes, reverentiæ causâ, ejusdem laudes modis musicis decantabant. Visebantur olim Constantinopoli suprà murorum portas Deiparæ Effigies relatæ de Barbaris victoriæ monumenta.

Baron. in An. Eccl. ad An. Christi 717. Balinghem in Ephe. Mar. ad diem 15. August.

Joannes Zemisces Anno à Christo nato 969 Imperij possessioné adijt gravi bellorũ pódere oppressi: quod tamen Reginæ Angelorũ precibus, & præsidio nixus ad pristinam felicitatem, & splendorem evexit, ingentem Bulgarorum hostium exercitum acie superavit; victoriâ usus, eorum Urbes defensoribus vacuas occupavit, incolis in servitutem abductis. Apparuit in medio ardore certaminis Theodorus Martyr, egregius Christi miles, ut Græcis pugnantibus opem ferret, à Deipara missus. Visus à multis fuit equo feroci, ac pernici vectus, galeâ, & thorace instructus nunc hasta intenta, nunc evaginato gladio in hostes irruere, magnamque illorum stragem edere, totam aciem impellere, loco movere, & in fugam agere terrore perculsam, insequentibus magno clamore Græcis, & fugientium terga cædentibus. Fassi sunt confecto prælio Barbari, divinâ se virtute, non humanâ, victos fuisse. Tam insigni partâ victoriâ Imperator, ut se gratum præstaret Superis, quorum ope victor evaserat, magnificum Theodoro Martyri templum posuit: currum præterea, quem candidissimi trahebant equi, pretiosis Bulgarorum spolijs ornari præcepit, eique super imponi Dei Matris Imaginem Constantinopolis, & Imperij Orientalis Patronæ; ipse equo generoso insidens, totus ad religionem, & maiestatem compositus, præeuntem currum sequebatur: ea pompæ triumphalis specie per undantes populo circos, & plateas ductâ testatum omnibus faciebat se B. V. Mariæ acceptam ferre de potentissimis hostibus victoriam.

Triodion Græcorũ. Concil. Nicænum 2. actione 4.

Cedren. in Cõpend.

Serarius l. 4. c. 5. de Processionib. Kolv in Kal. part. 1. ad diem 8. Junij.

Joannes Comnenus nec bellica virtute, nec Christiana pietate Zemisce inferior, eandem effigiem Marianam, seu victoriæ pignus, secum detulit adversus Barbaros Thraciam, & confines Imperio Provincias crebris excursionibus infestantes; illius auxilio fretus insignes victorias obtinuit, amissas aliorum socordiâ arces recuperavit, Urbes servitute, Græ-

Nicetas Coniates in Joan. Comneno.

Triodion Græcorũ. C. Baron. ad Ann. Christi 1123. Canis. in Mar. lib. 5. c. 13.

Placid. Samperius Iconol. Mar. l.2.c.6. Kolv. in Kal. Mar. ad diem 7. Martij. Ant. Balinghem. in Ephem. Mar. ad diem 1. Aprilis. Serarius de Processione. l.1. c.5.

ciam bello, Constantinopolim metu liberavit: atque ut erat eximiè pius, & B. Virginis Mariæ studiosus, sacram illius effigiem curru sublimi, auro intermicante vectam, ut ab omnibus videri, & adorari commodè posset, in Urbem triumphátis more invexit. Ipse Augustus Crucem auream manu præferens pedes currum virgineum præcedebat imperatorio paludamento, & maiestate conspicuus, primarijs ab utroque latere comitantibus Aulæ dynastis, & innumera populi multitudine circumfusâ. Hoc habitu pervagatus Urbem, ad Sáctæ Sophiæ templum pervénit opere, situ, & ornatu augustum, ibique gratijs ob comparatas de Scythis victorias Deo, ac Deiparæ actis, in Aulam regiam se recepit. Ad alendam verò rerum à se benè gestarum memoriam festum solemne instituit, quod *Pazzinacarum*, vel *Pannicatorum*, ut mihi Romæ suggessit Illustrissimus Joseph Suares Episcopus Vasionésis in Gallia, hoc est *Omnium victoriarum* nomen haberet. Hanc Dei Matris effigiem, quam *Nicopæam* cum alijs Authoribus vocat Jacobus Gretserus, vir eruditissimus nostræ Societatis, Sancti Lucæ manu depictam, & inter Græcos valdè celebrem, & miraculis illustrem, Dandalus Venetorum Dux, victo Alexio Duca, qui illam apud se habebat in Castris, Venetias asportari curavit, & in Ducali Capella tandiù reponi, donec extructo Sancti Marci templo magnificentissimo, in id solemni pompâ translata est, & cum B. Evangelista Venetæ quodammodò gentis Patrona, & Tutelaris delecta.

Joseph. Suar. Episc. Vasion. in Gallia.

Balingh. cit. p. 173. Gulielm. Gumpperberg. S.I. in Atlante Marian.

Manuel Comnenus Joannem Patrem imitatus, Pannonibus acie superatis, pari triumphali apparatu Deiparæ effigiem curru splendidissimo in Urbem intulit, eamque ad Sáctæ Sophiæ templum, seu Romanum Capitolium, gloriæ plenus adduxit rara ipsius modestia, & pietate: quid enim honorificentius, quàm Mariæ ductu, auspicijsque pugnare, & auxilio vincere de Cælo præstito; nec non Patronam habere, quam ambiunt superi Reginam.

Idcircò gravissimus Author Cardinalis, Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum Christi 625. recensens per singulos annos facta Heraclij Imperatoris, in rem nostram sic scribit: *Vigebat tum quidem Constantinopoli post Omnipotentis Dei primarium honorem, B. Virginis cultus, cui ab ipsis Constantini temporibus eadem Vrbs dedicata, ejusque nomine appellata est* Civitas Virginis. *Quam ob rem & Constantinopolitani*

Cives omnes ipsam Dei genitricem enixiùs invocare soliti erant, sicut & Heraclium fecisse apparet; ejusque ope tam grandia confecisse: atque hoc eodem anno à Theodoro superatū robustissimum Persarum exercitum, pariterque à tot leonum faucibus Urbem ereptam: ex quibus discant Duces exercitûs, quibus debeant niti à Superis petitis auxilijs, & pollere viribus; nimirùm conciliare sibi obtinentem cuncta semper à Deo precibus suis Dei genitricem Mariam. Cæterùm quæ Baronius tribuit uni maximè Heraclio, omnibus Græcorum Imperatoribus communia fuisse significat, cùm res ab Alexio Duca præclarè gestas his disertis verbis describit: *Dei genitricis Imagô*, inquit, *quam Romanorum Imperatores belli sociam adsciscunt.* Idem repetit in Monulpho Imperatore, & suo testimonio illustrat Gretserus. Sic etiam Isaacus Angelus, Brana duce Constantinopolim obsidente, Deiparæ effigiem, quæ ab Hodegio Cænobio *Hodegetriæ* nomen traxit, in Urbis mænia, qua parte vehementiùs oppugnabatur à Barbaris, adduxit, eaque ratione eorum conatus elusit, & ipsam Urbem inexpugnabilem reddidit.

Jacob. Gretser. S. I. lib.3. Cōment. cap.6. Georgij Codini Curopalatæ.

Greg. Nicomed. cit ab Euseb. Nier. lib.1. de Troph. Marian. cap.9.

Nicetas lib.1. de rebus gestis Isaaci Angeli.

Itaque in more positum erat apud Orientis Imperatores, ut cùm de inferendo hostibus bello, vel de illato ab ijs propulsando cogitabant, Constantinopolim Beatissimæ Virginis tutelæ, patrocinioque committerent, secumque in prælia ferrent sacram illius effigiem, quam Nicopæam, idest *Victricem* appellabant, ob insignes victorias de hostibus ejus auxilio, auspicijsque adeptas: hanc singulari pietate colebant; hanc in ipsius Aulæ Sacrario, ad tempus saltem, religiosè asservabant, seu Palladium Cælo delapsum, qua publica Urbis salus, & Imperij felicitas nitebatur: Illius nomen cives in Urbibus, milites in castris invocare solebant, idque loco symboli, seu belli tesseræ militaribus copijs assignare Cæsares in prima adversus hostes impressione; nec quicquam magni momenti, seu domi, seu foris agere nisi illius nomine priùs invocato. Hanc ante oculos sibi proponebat Constantinus XI. ultimus Græcorum Imperatorum à Mahomete II. intra Urbem Constantinopolim arcta pressus obsidione, & Principū Christianorum auxilijs destitutus, in oratione, quam habuit ad Milites Christianos, ut ipsos hortaretur ad sustinendam magnis animis Turcarum obsidionem, Vrbemque summis viribus defendendam Mariæ Virginis nomine insignitam, & patrocinio consecratam: *Vrbem hanc* (dicebat) *quam ter*

Gulielm. Gumpemberg. S.I. in suo Atlante Mar. lib.2. sub Imag. Virg. Nicopææ.

Anton. Balinghem. S.I in Ephem. Mar. pag.173.

Jacob. Pontanus in Annot. ad vitam, & gesta Maurity Imperatoris.

Constantin. Imper. Cp.

Beatissimus, & Magnus Constantinus Imperator condidit, & purissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, ac semper Virgini Mariæ consecravit, eique donavit, ut Domina, Auxiliatrix, ac Protectrix patriæ nostræ foret, pro viribus propugnate. Uno verbo cuncta cōplector: Justinianus fatetur Gothos in Italia, & Vvandalos in Africa B. Virginis Mariæ auxilio fuisse devictos, & belli flammam, quæ florentissimas Orientis Vrbes, ac Provincias corripuerat, ac deformaverat, illius apud Deum precibus restinctam esse. Id ipsum suis confirmant testimonijs, & exemplis Constantinus Prophyrogenitus, Basilius Macedo, Basilius alter, Constantinus Ducas, Alexius Comnenus, Isaacius Angelus, Michael Palæologus, Andronicus Senior, alijque Imperatores, ac Duces, partis de potentissimis hostibus victorijs, quas per suos digerunt annos, diesque nonnulli Scriptores Græci, ac Latini.

Cæterùm non solùm belli tempore foris, sed domi etiam grassante per Urbem lue pestifera sensere Cives præsentem Mariæ Virginis opem, Justino potissimùm, & Tiberio Imperatoribus: itaque in omnibus tum publicis, tum privatis calamitatibus unicum fuit Constantinopolitanis remedium, ad Deiparæ tutelam, præsidiumque confugere. Illa in summa annonæ penuria, rerum omnium abundantiam in Urbem invehere solita: illa sæviētem per omnes ejusdem Urbis regiones contagionem, & magnam Civium stragem edentem non semel depellere visa est; illa imminentes Imperio Barbaros, immisso divinitus pavore animis, in fugam conjicere, vel fatalibus sæpè cladibus afficere, & Cives servare incolumes, quos sub suam receperat clientelam: illa demùm nullo unquam tempore destitit Urbem protegere superis charam, & de suo nomine nuncupatam. Nec Patronæ officio unquam defuit innumeris in Græcos collatis tum belli, tum pacis tēpore beneficijs; defuere Græci, qui iteratis sæpè schismatibus Reipublicæ Christianæ pacem turbarunt, & à Romani Pontificis obedientiâ desciverunt superbiæ, & ambitionis aurâ inflati; eaque ratione divini in se Numinis iram provocarunt, & indignos se Mariæ Sanctissimæ patrocinio reddiderunt, ac viam ad nobilissimæ Urbis excidium munierūt: hæc enim à Mahomete Turcarum Imperatore armorum vi capta, & dirissimæ Turcarum tyrannidi subjecta, sedeq; Imperij Othomanorum Principum in ipsa, à tribus jam & amplius

plius seculis constitutâ infamem servitûtem servire cogitur, non sine gravissimo Christianæ genris damno, ac dedecore.

S. Michael Archangelus.

Præter Sanctissimam Dei Genitricem Mariam Virginem Patronam primariam, alios etiam Constantinopolis Divos habuit tutelares: Michaelem præsertim Angelorum Principem, & militiæ Cælestis Ducem, quem magnus Constantinus Urbi suæ Protectorem designavit, occasione capta à Genij cujusdam simulacro apud Sosthenium, idest, *Salutis locum* invento, quod S. Michaelem ad vivum referre videbatur: tam felici omine motus pijssimus Imperator eo ipso in loco magnificum ejus nomine templum extrui mandavit, seque, filios, ac Urbem Imperij totius Principem Angelorum Principis tutelæ, & patrocinio aptè commendavit, eumque deinceps singulari pietatis studio colere decrevit. Tradit Nicephorus apparuisse illum Constantino, dixisseque: *Ego sum Michael Archidux Domini Sabaoth Christianorum Fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos bella gerenti, fideli & germano illius ministro auxiliaria arma contuli.* Idem significare videtur his verbis Pantaleo Diaconus: *Romanorum*, inquit, *Rempublicam Michael custodit; Christianorum Imperatorem armat adversus Barbaros; Christianos reddit victores; damonum impetus propulsat.*

C. Baron. to. 3. Ann. Eccles. Ann. Christi 330.
Cedren. in Basil. Imper.
Ludov. de La Cerd. lib. de Ang. Custod. pag. 521.
Sozomen. lib. 2. c. 2.
Serarius in Josue l. 4. c. 5. q. 44.
Niceph. l. 7. c. 5. & l. 8. c. 4.
Pantal. Diacon. de S. Michaele.

Constantini Magni vestigijs insistere alij Imperatores religione similes, dignitate pares: inter illos valdè excelluit Justinianus I. qui multas Michaelis titulo Basilicas, Ædesque ædificari curavit. Primam Byzantij, scribit Procopius, per-amplam, & nobilem; deinde alias duas Cæsarea Maiestate, & magnificentia dignas, sibique adversas, hinc indè freto imminentes; quarum altera erat in Anaplo; in opposito littore maris altera: postrema in alio maris littore, quod *Mochadion* communi vocabulo dicebant, nulli earum, de quibus modò meminimus, dignitate, & structurâ inferior. Author præterea Græcus apud Combefis, Gallum interpretem, sic loquitur in descriptione Ædis Marianæ intra Palatium Imperatorum à Basilio Macedone extructæ: *Eo ipso tempore pulcherrimum, & celeberrimum templum extruebatur, quod novam Ecclesiam,* Basilicam *appellamus; in honorem Salvatoris nostri, & Angelorum Principis Michaelis, & Eliæ Thesbitæ.* Ex quibus satis constat summo in honore habitum fuisse Angelorum Principem Constantinopolitanis, ejusque tutelæ, ac pa-

Procop. de Ædific. Just. l. 1. c. 3.

patrocinio commissam Aulam regiam, & Urbem Constantinopolim.

Primævæ olim Ecclesiæ Fideles Ethnicorum templa Marti Deo, bellorum Præsidi dicata, in Sancti Michaelis militiæ Cælestis Præfecti, Ecclesias mutare solebant, eumque *Archistrategon*, hoc est, *militiæ Præpositum* Græco vocabulo appellare: hujus enim auspicijs, ductuque bella gerere Imperatores, & de victis hostibus triumphare gloriæ vertebant. In primo certè vexillo, seu flammulo ante Imperatorem præferri solito, Divi Michaelis imago visebatur expressa, ut Curopalata testatur, ejusque Commentator egregius Jacobus Gretserus. Emmanuel Imperator, Authore Niceta, præclaram de Tyranno Isaaco res Orientis seditionibus turbante victoriam obtinuit Sancti Michaelis auxilio implorato, ut alios omittamus, qui illius patrocinio freti Barbaros Romano Imperio, & Urbi Constantinopolitanæ imminentes, & excidium minitantes, aut aliò averterunt, aut commisso cum ijs prælio profligarunt; innumeris ab illo affecti beneficijs perpetuæ clientelæ obsequium, seu Patrono clementissimo, detulerunt, quam multis nominibus peculiari servitutis jure confirmarunt, tot Græci Imperatores, qui Michaelis nomen sibi desumpserunt, Michael scilicet Curopalates, Michael Balbus, Michael Porphirogenitus, Michael Paplhago, Michael Calephates, Michael Stratioticus, Michael Parapinaceus, Michael Palæologus, ut innumeros alios minoris notæ Principes, ac Dynastas omittamus Michaelis nomine insignitos.

Sanctum Michaelem Triumphantis Ecclesiæ Principem, Militantis Ecclesiæ Principes Petrus, & Paulus consequuntur: hos enim Constantinus magnus Urbis à se conditæ, vel instauratæ, Patronos esse voluit: illud namque sibi ante oculos proposuit Imperator, ut Novam Romam ad Veteris formam, speciemque componeret; nec ulla in re Novam Veteri cedere pateretur. Decrevit igitur, ut quemadmodum Petrus, & Paulus Veteris Romæ Patroni erant, ita & Novæ, quam ad summam amplitudinem, splendoremque evexerat, Patroni existerent, ut Sanctus Paulinus, Nolæ in Campania Episcopus, his versiculis cecinit:

S. Paulinus. *Geminis ita turribus extat*
Constantinopolis, magnæ caput æmula Romæ.

Eo tamen nomine Nova Roma Veterem præcellebat, quòd Constan-

Constantinus ipse, & consequentes Imperatores in Atrio Basilicæ Apostolorum, non intra ipsam Basilicam, reverentiæ causâ, sepeliri voluerunt, ut cum alijs advertit Sanctus Joannes Chrysostomus: *Constantinopoli*, inquit, *Reges nostri magnam gratiam putant, non si propè Apostolos, sed si vel extrà eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque Piscatorum ostiarij Reges: neque hinc in morte confunduntur, sed honestantur, & ipsi, & eorum nepotes, & pronepotes.* Iterum homilia 26. in Epist. 2. D. Pauli ad Corinthios loquens de Constantio Constantinum Patrem sepeliente in vestibulo ejusdem Basilicæ: *Apostoli veluti Domini interiores loci partes obtinent; hi autem veluti accolæ, ac vicini præclara secum agi putarunt, si vestibuli Janua ipsis assignaretur.* In eâdem autem Apostolorum Basilica Constantinopolitanos etiam Patriarchas sepeliri mos erat, ut Sozomenus his verbis tradit: *Ab eo igitur, tanquam ejus Authore, consuetudine ductâ Imperatores Christiani ibi sepeliuntur, atque Episcopi etiam; quippe cùm dignitas Sacerdotalis Imperij dignitati par sit.* Ut quos illi Patronos sibi delegerant dum in vivis erant, eos post mortem apud Deum Advocatos, & Intercessores haberent. Hanc igitur Basilicam in omnium Apostolorum memoriam, maxime Petri, & Pauli, & Andreæ Constantinus ædificavit, atque in ea sepulturam sibi delegit, quam benè describit Eusebius Cæsariensis in ejus vita: *Apostolorum*, inquit, *templum in Urbe sui cognomine ædificare cæpit, Cappas illic duodecim, quasi sacras quasdam columnas ad Apostolici Collegij honorem, memoriamque attollens, medium inter ipsas conditorium suum locabat, quod utrinque seni claudebant Apostoli, atque Ecclesiam Apostolis dedicavit.* Quam Patriarchali sede decoratam fuisse, & Sancto Andreæ Apostolo dicatam multis probare rationibus contendit Andreas Sausaius Author Gallus, post illius reliquias Constãtinopolim ex Achaia translatas, nimio in Divum Andream, cujus nomen habebat, studio, & amore ductus: Princeps enim, seu Patriarchalis Ecclesia Constantinopolis, erat *Sanctæ Sophiæ nomine* d cta à Justiniani maximè tempore, qui veterem à Constantino Magno ædificatã funditùs evertit, & novam extruxit omnium quotquot erant in toto terrarum orbe magnificentissimam, de qua Justinianum ipsum dixisse memorant, extensis in Cælum manibus: *Gloria Deo, cujus dignatione tantum opus perfeci: vici te Salomon.*

S. Joan. Chrysost. adversus Gentil. quod Christus sit Deus, tomo 5.

Chrysost. hom. 26. in Epist. 2. ad Corinth. tom. 4.

Sozomenus.

Evagrius Scholast. l. 4. Hist. Eccl. c. 30. C. Baron. to. 3. Ann. Eccles. Ann. Christi 336.

Euseb. Cæsariens. in vita Constãt. Imper.

Petr. Gillius lib. 4. Topograph. Constãt. cap. 2.

Andr. Sausai. Gall. de glor. S. Andreæ.

Fr. Franc. Comb. de tẽplo S. Joseph. pag. 262.

Niceph. l. 7. c. 49.

Jacob. Gretser. S. I. lib. 3. Comment. in Curopal. pag. 292.

Joan. Long. in notis ad Nicephor.

Constantinus certè priùs ædificavit Sanctæ Sophiæ templum, quàm Justinianus (ut hanc obiter controversiam levi calamo præstingamus) teste Nicephoro: *Constantinus*, ait, *tria maxima templa Constantinopoli constructa dedicavit; Sanctæ Sophiæ, Sanctæ Pacis, & Sanctæ Potentiæ.* In Christi honorem exponit Gretserus noster, quia Christus est Sapientia, Pax, & Potentia, seu Virtus nostra. Consentit Joannes Longus in notis ad citatum caput Nicephori, & Petrus Gallesinus ad diem 6. Januarij his verbis: *Sanctorum trium Magorum corpora Constantinopolim è Persia jam pridem translata, & in Basilicam Sanctæ Sophiæ augustissimo apparatu collocata; inde ab Eustorgio I. Episcopo Mediolanum translata.* Floruit Eustorgius I. sub Constantino Magno. Item Menologium Græcorum ad diem Januarij decimam meminit de Sancto Marciano Presbytero, & Æconomo magnæ Ecclesiæ, id est Sanctæ Sophiæ: vixit is Marciano imperante, & Pulcheria Justiniano antiquioribus. Atticus præterea Constãtinopolitanus Episcopus Ædem Augustissimam Sanctæ Sophiæ, quæ Chrysostomo in exilium deportato, igne conflagraverat, restauravit, quod opus Anno Christi C.DXV. perfectum fuisse scribit Marcellinus Comes indictione 15. Honorio X. & Theodosio VI. CC. *Ecclesia*, inquit, *Constantinopolitana igne cremata his consulibus restaurata, dedicata est Attico Episcopo eamdem regente Ecclesiam.* His rationibus non leve pondus addit Author Chronici Alexandrini in hunc modum: *Eodem anno dedicata est Ecclesia magna Constantinopoli mense Gorgico 6. Idus Octobris die Dominica.* Idque verum esse confirmant Romani Breviarij Lectiones in festo Sancti Joannis Chrisostomi die 27. Januarij, in quibus habetur illum in exilium ejectum esse; quòd ad argenteam Eudoxiæ statuam in foro Sanctæ Sophiæ ludos fieri prohibuisset. Id ipsum testatur his verbis Socrates: *Statua Eudoxiæ in edita basi, neque valdè prope Ecclesiam, quæ* Sapientia *dicitur; neque longè admodùm collocata, sed inter Ecclesiam, & Statuam plateæ solùm media interjecta fuit.* Et Simeon Metaphrastes in vita Sancti Joannis Chrysostomi die supra assignata; & Leo Imperator in oratione Encomiastica, hoc est de laudibus ejusdem Sancti Joannis, fori, ac templi Sanctæ Sophiæ meminerunt: ex quibus satis constat Sanctæ Sophiæ templum Justiniano antiquius esse, utpote à Constantino Magno ædificatum: quo, deinde, cursu, & injuria temporum, vel immisso de

Menolog. Græcorũ.

Bollandus, & Fridericus in Actis SS. M. Januarij tom. I. ad diem 10. f. 610.

Leo Allatius de tribus Simeonibus.

Marcellin. Comes.

Author. Chronic. Alex.

Breviar. Roman.

Socrates l. 6. c. 16.

Metaphrast. 27. Januar.

Leo Imperator in orat. Encom. de laudibus S. Joan. Chrysost.

de Cælo igne, semiconsumpto, vel deformato : aliud ejus loco Justinianus longè elegantius, & magnificentius extrui jussit, cui, divino monitus oraculo, *Sanctæ Sophiæ* nomen imposuit, ut multis expendit Author Græcus, ejusque Interpres Fr. Franciscus Combefis ex Sacto Ordine Prædicatorum, tractatu de Ecclesia Sanctæ Sophiæ. *Fr. Franc. Combefij deTeplo S.Soph.C.p.*

Quod attinet ad Ecclesiam Cathedralem Constantinopolis, illa nobis sententia magis probatur, quæ asserit ante Justinianum Sanctorum Apostolotum Basilicam Cathedra Episcopali decoratam fuisse; Nicephorus enim supra citatus de Constantini Magni tempore loquens, celebetrimam illam Constantinopolis Basilicam appellat, quasi inter omnes alias primariam. Theodorus etiam Lector, litteris prodidit corpus Sancti Joannis Chrysostomi imperante Theodosio Juniore translatum fuisse ad suam Sedem Episcopalem ad tẽplum Apostolorum. In eo præterea sepeliri consueverunt Imperatotes, & Episcopi tanquam in nobilissima Urbis regiæ Basilica, ut tradunt Sozomenus, & Evagrius. Quam Cathedralis dignitatem instaurare voluit Mahometes Turcarũ Imperator, armorum vi capta Constantinopoli Anno Christi 1453. creato Gennadio Patriarcha, & Cathedra Episcopali in templo Sanctorum Apostolorum collocata, ut refert Gretserus in Commentarijs Curopalatæ ex Historia politica Turcogræca. Cæterùm Justiniani I. tempore Patriarchalem sedem in Sanctæ Sophiæ templo fixam fuisse putamus, tum ut illi morem gererent Patriarchæ, ac eà ratione ipsius Imperatoris gratiam sibi conciliarent: tum quia Imperatores, & Patriarchæ in eo coronari solebant, aliaque obire munia pietatis, & religionis in præcipuis anni solẽnitatibus, quæ principem Basilicæ Patriarchalis prærogativam ostendunt, ut videre est apud Curopalatam, ejusque Commentatorem Gretserum: quibus pondus rationis addit testimonio suo Sanctus Joannes Damascenus apud Cardinalem Baronium tom.9. Annal. Eccles. ad Annum Christi 714. sic scribens de Sãcto Germano electo Patriarcha C.p.: *Cùm eximius vir Germanus in Patriarchicum thronum ascensurus esset, plebs ingenti frequentia ad maximum Sanctæ Sophiæ templum ipsius videndi cupiditatẽ concurrebat.* In illud præterea, devictis hostibus triumphos agere soliti erant Imperatores, Joannes videlicet Zemisces; Joannes Comnenus, Emmanuel Comnenus, Michael Palæolo- *Gretser. in Cõment. Curop.* *Curop. de offic. & official. Aulæ, & Eccl. cap. 17.* *Procopius de Ædeific. Justin.* *Nicetas Choniates in Joan. Commen.* *Curop. de offic. & official. Aulæ, & Eccles. C.p. c. 17.*

logus, ut alios brevitatis causa omittamus. *Magna etiam Ecclesia* passim dicta, hoc est Cathedralis à Græcis , & Latinis scriptoribus: *Nova Sion*; *Cælum in terris, & omnium decus Ecclesiarum*: in qua Justinianus supra quingentos Clericos, ut sacris operarētur, constituit, & ad nongentos usque excrevisse aliquandò eorum numerum narrat Pius II. PP. Romanus. Procedente tempore, capta à Latinis Principibus Constantinopoli, novum hi Imperatorem Alexium Isaacij filium ad Sanctæ Sophiæ templum solemni pompa, & regio apparatu deductum, coronarunt, eaque de re ad Summum PP. Innocentium III. litteras dederunt, ut scribit Franciscus Boschetus J. C. Narbonensis. Balduinus item Comes Flandriæ, & Hanoniæ renuntiatus Imperator C.p. Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, seu primariam, & Patriarchalem, in pactis Venetos inter, & Francos initis, Imperatoribus reservavit. Itaque Latini Græcorum morem secuti Sãctæ Sophiæ Basilicam Patriarchalem habuerunt: Mahometes verò, alijque Othomani Principes Sanctorum Apostolorum templo Græcis Christianis, & eorum Patriarchæ assignato, digniorem S. Sophiæ Basilicam, *suis impuris cæremonijs* peragendis sibi usurparunt. In S. igitur Sophiæ Basilicã transferri fecit Justinianus Cathedrã Episcopalẽ, quam ad Patriarchalẽ evexit post annum salutis humanæ quingentesimum, cum tandem ejusdem Imperatoris operâ, & Romanorum Pontificum permissu, ac decretis Conciliorum Constantinopolitani, & Chalcedonensis, illius Urbis Episcopi in Patriarcharum numerum fuere recepti.

Novell. Just. Imperat.

Pius Epist. 155.

Franc. Boschet. in Regest. Innoc. III. Epistol. à pag. 36. & fol. 93.

Auber. Miræus in notit. Episcop. l. 1. c. 1.

Cardin. Bellarmin. de Roman. Pōtifice.

Ex ijs quæ diximus satis constare videtur Apostolorum Basilicam Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, ac eorum Socijs fuisse dicatam, eosque seu Patronos Constantinopolis, habitos, cultosque. Maior accessit illorum templo reverentia, & firmius Urbi propugnaculum ex quo in illam translata fuerunt corpora Sanctorum Andreæ Apostoli, Lucæ Evangelistæ, ac Timothei B. Pauli discipuli, Episcopi Ephesini, quorum præsentiâ, patrocinioque Cives confisi tutos se fore, ac defensos à Barbarorum impetu, armisque putabant: *Translatum est* (sic habent Acta S. Timothei) *ejus corpus in regiam Urbem Constantinopolim, & positum in Sanctissimo Apostolio.* Consentit Theodorus Lector in Collectaneis: *Sub Constantino, seu Constantio filio, Constantinopolim venerunt Reliquiæ Sanctorum Apostolorum, Timothei viij. Kal. Julij, Andreæ, & Lucæ V. nonas Maij, collocataque sunt in consecrato magno Sanctorum Apo-*

Petrus Gillius in Topogr. C.polis.

Procop. de Ædific. Justinian. Imperat.

Apostolorum templo. Idem continet Chronicon Alexandrinū; & Sanctus Hieronymus meminit in Vigilantium. De tempore hujus Translationis gravis est inter Scriptores discordia, cum alij imperante Constantino Magno; alij Constantio ejus filio factam fuisse contendant, de qua fusè, & eruditè Saussaius in opere quod composuit de gloria Sancti Andreæ Apostoli; Cardinalis Baronius, Hermannus Chrombaac Societatis nostræ Sacerdos, & alij non obscuri nominis Scriptores: quod lentiùs examinare nostri instituti non est. Horum igitur Sanctorum Corporibus intra Urbis sinum receptis, & decenti loco repositis, crevit erga eos cultus, & pietas cùm Civium, tùm Imperatorum, ut Sanctus Paulinus his versibus cecinit novam Romam Constantinopolim cum Veteri Roma componens Apostolorum Corporibus, patrocinijsque munitam:

Chronic. Alexand.
S.Hieron. in Chron.
Metaphrast. die 18. April.
Andr. Saussai. de glor. S. Andr. l.3.c.4. art.1.
C.Baron. in notat. ad Martyr. Roman. die 9. Mai.
Herman. Chromb. S. 1. tom. III. de tribus Magis l.2.c.5.
S.Paulin. Episcopus.

His quoque Romuleam sequeretur dotibus Vrbem,
Vt sua Apostolicis muniret mœnia lætus
Corporibus.

Sancti Andreæ præsertim, quia antiqui Byzantij primus fuit Episcopus, & Apostolus, ut nonnulli Authores existimant, Nicephorus videlicet Episcopus C.p. Nicephorus Callistus, & Andreas Saussaius nobilis Scriptor Gallus, qui nominis sui memor multis ejusmodi argumentum, levis tamen momenti rationibus, prosequitur: Agapitus enim Pontifex Romanus affirmat non ab Andrea, sed à Petro, Stachim datum fuisse primum Byzantinis Episcopum: & Gelasius Pontifex testatur Ecclesiam Byzantinam, nec Sedem Apostolicam, nec Metropolim fuisse, sed Parochiam tantùm Ecclesiæ Heracliensis. (Et si in Martyrologio Romano legatur Stachim fuisse ordinatum primum Constantinopolis Episcopum à Sancto Andrea Apostolo.) His accedit Innocentius III. rescribens in hunc modum Patriarchæ Constantinopolitano, captâ jam à Latinis Urbe: *Sane cùm eadem Ecclesia, quæ tunc Byzantina, nunc Constantinopolitana vocatur, nec nomen, nec locum inter sedes Patriarchales haberet, Apostolica Sedes ei nomen grande, & ipsam quasi de pulvere suscitatam usque adeò sublimavit, ut eam tam Ecclesiæ Alexandrinæ, quàm Antiochenæ, & Hierosolymitanæ dignitatis privilegio anteferret, atque præ cæteris exaltaret.* Iterum Epistola 89. declarat Ecclesiam C.p. Parochiam Heracleæ fuisse, idque ipsum suis confirmant scriptis Cedrenus,

Baron. in Ann. Eccl. to. 4. ad An. Christi 314.
Agapit. PP. in Epist. ad Constant.
Gelasius Papa in Epist. ad Episc. Sard.
Martyr. Roman. 31. Octobr.
Innoc. III. in privil. concess. P. C. C.politano apud Franc. Boschet. tom.2. gest. Innoc.
Joan. Tomeus Marnau in lib. Reg. SS. Illirican. in vita S. Metrophan. Episcopi Bizantini.
Innoc. III, PP. epist. 80. Reg. lib. 2.

& Curopalatâ: hanc ob rem coronari, seu inaugurari solebat Patriarcha C.p. ab Episcopo Heracleæ in templo Sanctæ Sophiæ, quia scilicet Byzantium ad illius olim Diœcesim pertinebat. Cæterùm quia Patris, Urbe Achaiæ, Sanctus Andreas martyrium passus est, Græciæ, & Byzantio Urbi, quam postea Constantinopolim dixerunt, præsidere videbatur, ut Sanctus Paulinus cecinit his versibus:

Jacob. Gretser. in Coment. Curopalat.

Sic Deus, & reliquis tribuens pia munera terris
Sparsit ubique loci magnas sua membra per Vrbes;
Sic dedit Andream Patris, Ephesoque Joannem,
Vt simul Europam, atque Asiam curaret in illis,
Discuteretque graves per lumina tanta tenebras.

S.Paulin. Episcopus.

Eò dementiæ venerunt Patriarchæ C.p. ut Primatis dignitatem, & Oecumenici titulum superbiæ, & fastûs plenum sibi atrogarent propter Andream primò vocatum à Christo ad Apostolatum, Byzantinæ Ecclesiæ, ut illi putabant, Patronum, & Fundatorem: & quia Constantinopoli sedem fixerunt Romani Imperatores; hanc ob rem novum etiam, & insolentem usurpare cœperunt in scribendo morem in litteris suis, ac sententijs contrà flagitiosos homines latis, in hunc modum: *Indignationem Dei Omnipotentis, & Beatorum ejus Apostolorum Andreæ, & Joannis se noverit incursurum.* Ut ea ratione Pontifices Romanos imitarentur legitimos in terris Christi Vicarios, quibus familiare erat hujusmodi clausulâ sua munire diplomata, & litteras Apostolicas: *Indignationem Dei Omnipotentis, & Beatorum ejus Apostolorum Petri, & Pauli se noverit incursurum.* Et quia Patriarcharum C.p. superbia ascendebat semper, & maiora in singulos dies incrementa capiebat, sumptis in Papam, Dei Vicarium, schismaticæ religionis armis rebellarunt, seque ab ejus obedientia subtraxerunt; ansamque Andreæ Apostolo dederunt, ut Græcos desereret, & ad Latinos se conferret, ut eos suo muniret patrocinio, & capite sacro ornaret, Romam, à Pio secundo Pontifice maximo, in Urbem translato, quò Schismaticis constaret Ecclesiæ Catholicæ Caput Romæ, non Constantinopoli, residere.

Sanssai. pag. 500.

Sanctum Georgium Martyrem Constantinopolitanæ Urbis, ac Imperij in Oriente Patronum fuisse, belli præsertim tempore, jure credimus; nam Græci illum summo in honore ha-

S. Georgius Martyr.

habebant, & *magnum Martyrem* passim vocabant in eorum Ritualibus, & menologijs: ac eodem *Magni* cognomento, honoris causa, semper affici à Patriarchis, & Episcopis illius gentis solere Petrus Galesinus advertit, quibus etiam alios Latinæ Ecclesiæ Patres, & Scriptores adjungere posset, qui eum magnis laudibus extollunt. Constantinus Magnus, ut scribunt Authores idonei, cum in Occidentis Provincijs versaretur, Equestrem Sancti Georgij Ordinem instituit, symbolo Crucis, seu stemmate distinctum, quem Sanctus Silvester Papa sua authoritate confirmavit, & *Militiam Constantinianam* dixit. Equitum insignia (si his Authoribus credimus) erant Torques aureus, aurea Cruce, & Icuncula ejusdem Martyris equo insidentis ornati. Illum sibi retinuit Patronum Constantinus cum sedem Imperij, relicta Summis Pontificibus Roma Veteri, Byzantium transtulit, ibique aliam Romam, seu Constantinopolim condidit. Ijs fidem facere videtur, inquit Laurentius, tabella marmorea apud vetustum Romæ Ærarium prope turrim de *Conte* vulgò dictam, in qua hujusmodi insignia visuntur: Bellicum ejusdem militaris ordinis vexillum in altera parte Deiparæ Virginis Effigiem, & Sancti Georgij equo vecti, & draconem subjectum pedibus lanceâ transfigentis imaginem præferebat; in altera bicipitem Aquilam coronatam. Gaspar Escolanus, Hispanus Author, in Historia Valentina scribit multas à Georgianis militibus Sancti Georgij ope, partas fuisse de Arianis hostibus victorias: de quibus tamen, ni fallor, non meminerunt Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores. Argote de Molina refert inventa fuisse numismata Maiorani Imperatoris signo Crucis insignita, hac epigraphe adjuncta *Gloria Cæsarum Augustorum Georgianorum*: quæ in rem nostram maximè faciunt, cùm ex ijs liquidò appareat Imperatores Augustos Sancti Georgij fuisse clientes, sibique gloriæ duxisse sub illius auspicijs, & patrocinijs bella gerere adversus Reipublicæ, & Religionis hostes. Emmanuel Comnenus his conceptis verbis magni Martyris festū celebrari præcepit: *Feriatus est dies vigesimus tertius Aprilis, quia tunc magnificus martyr Georgius honoratur.* Eo igitur die Constantinopolitani Imperatores singulis annis ire consueverant in Basilicam Georgianam in loco *Mangana* dicto erectam, ibique solemni ritu, & cōmuni Civium gaudio illius festum, & memoriam celebrare. Nocte etiam na-

Laurent. Finch. in libro de gloria S. Georg.

Joseph. Michael Marquez in Thesauro militiæ Equestris à fol. 1. & alij ab Andrea Mendo S. I. citati Authores lib. de Ordin. militar. initio, pag. 5 ubi sic: Septuaginta duo Imperatores Græci, ac Latini illius extitere magistri: Fides sit penes Authorem.

Gasp. Escolan. lib. 1. Hist. Valent. lib. 1. dec. 2. fol. 1050. & lib. 9. cap. 15.

Argot. de Molin. de nobilit. Vvandal. lib. 2.

Baron. Card. tom. 10 Annal. Eccl. p. 822.

Serarius in quæst. Theolog. moral. l. 2.

Curop. de offic. & official. Aulæ, & Eccles. C. p. c. 15.

ralem Jesu Pueri diem præcedente, votiva omnibus annis *[Curopal. cit. c. 15.]* supplicatio per Urbem fiebat, in qua duodecim Sanctorum *[Gretser. pag. 46.]* Statuæ decentèr ornatæ portari mos erat, unà cum Sancti Georgij martyris Equestri imagine Cataphractâ. Ipsa vero *[Authores cit. c. 17.]* die, qua solemnibus de more cæremonijs inaugurabatur Imperatores, ij propè Statuam Martyris sedem suam collocari jubebant, indeque lætitiæ, & maiestatis pleni aureum numorum imbrem in circunstantes proceres, & pueros honorarios effundebant, quò gratior cunctis, & utilior novi Principis esset electio: eâque adeundi Imperij ratione significabant, magni se Martyris clientes esse, eumque Patroni, & Tutelaris loco habere. Prætereà in festo Nativitatis Christi, inquit *[Curopal. cit. c. 6. p. 46. Finschia. de glor. S. Georg. Martyr.]* Georgius Codinus Curopalata, inter alia signa, seu flammulas, vexillum Sancti Georgij imagine insigne ante Imperatorem præferri consuevit. Neapoli etiam, clarissima Urbe Campaniæ, Constantinus Imperator templum Sācto Georgio po- *[Cesar de Eugenio in Neapoli sacra fol. 1. & 42.]* suit Græci olim Episcopi Sede inclytum; Civibus enim Latinis, & Græcis eo tempore constabat Neapolis; quibus proinde *[Carolus de Lallis part. 2. Neapolis sacra.]* Sancti Georgij illorum Patroni hujusmodi templum assignatum fuit. A Constantino Magno reliqui in Imperio successores, tanquam à fonte, singularem in magnum Martyrem *[Procop. de Ædific. Justin. lib. 1.]* hauserunt pietatem, Justinianus præsertim, qui Liddæ in illius honorem Basilicam extrui mandavit Fidelium concursu, & miraculorum famâ celebrem.

Causa eligendi Patronum Sanctum Georgium fuerunt ipsius in Oriente natales; eximia pietas, invicta animi fortitudo, & constantia in cruciatibus perferendis. Accessere innumera beneficia Constantinopolitanis, ipsius intercessione apud Deum, collata, quorum unum, aut alterum referre operæ pretium erit ad Georgiani Patrocinij titulum illustrādum, & Constantinopolitanorum pietatem asserendam.

Domitius, Imperante Phoca, militum præfectus, adversus Chosroem Persarum Regem bellum gerens, ab hostibus circumventus, & iniquo conclusus loco, Georgij opem imploravit; & præsentem expertus est; è medijs quippe locorum an- *[C. Baron. in not. Martyrol. ad diem 23. April.]* gustijs, miro quodam modo, unà cum exercitu liber, & expeditus Constantinopolim redijt. Nicephorus Imperator insi- *[Kolven. part. 1. Kal. Mar. ad diem 8. Mart.]* gnem de Barbaris gentibus victoriam obtinuit, Georgio belli Duce, auspiceque. Aliam non minùs illustrem Joannes Ze- *[Cedren. in Joan. Zemisce.]* misces de Rossis, ac Bulgaris vigesima tertia Aprilis, die in-

victo

victo Christi Martyri sacra, reportavit. Capta jam Constantinopoli, Turcæ, Christianorum convictu familiari edocti, quàm faveat suis clientibus Georgius in bellicis cõgressibus, illius Patrocinium demereri, & gratiam (si fas est dicere) sibi conciliare voluerunt: eum igitur magni facere, memoriam colere, diem illi sacrum, omnibus quibus possunt modis, celebrare, ipsius etiam auspicijs bella gerere, & navales maximè expeditiones suscipere studuerunt. Itaque die potissimum 23. Aprilis ipsi dicata, solvere consuevit è portu Constantinopolis Turcarum classis ad maria infestanda, ad bellum Ottomanici nominis hostibus inferendum; illum enim diem faustum, sibique felicem ducunt; ac omnia prosperè sibi eventura confidunt. Joannes certè Cottovicus in suo Itinerario Hierosolymæ, & Syriæ, scribit vigere apud Turcas summam in Beatum Georgium observantiam, & certum quoddam clientelæ genus.

Finichian. de glor. S. Georg. p. 274.

Laurent. Finich. S. 1 de glor. S. Georg. fol. 234

Nec verò Constantinopoli tantùm, & vicinæ Græciæ finibus se tenuit Georgij fama nominis, & Patrocinij, sed illius fines egressa pervasit in Asiam, Armeniam, Syriam, Cyprum Insulam, Russiam, Moscoviam, aliasque tum ad Orientem, tum ad Septentrionem regiones, in quibus magno incolarum sensu, & pietate colitur, ut testatur Christophorus Castelli, Minorita, vir gravis, & eruditus, suæ Religionis in ijs per Orientem Regionibus Vicarius Generalis. Georgiani præsertim Asiæ maioris populi, Persis, Medis, Assyrijsque cõtermini, & mari Caspio, Pontoque Euxino conclusi, Divum Georgium, à quo nomen sibi desumpserunt, piè colunt, eumque sibi tutelarem, & patronum cooptarunt: Equestrem illius effigiem in signis militaribus expressam præferre solent, & *Sanctum Georgium* in prima contra hostes impressione magnis vocibus inclamare, ut sibi præliantibus opem ferat. Tam suis olim clientibus Beatus Georgius favere consueverat, ut ipsius etiam hinnitus equi Constantinopolitanis non semel fuerit salutaris; eos namque de imminentibus Urbi cladibus præmonebat, ut in tempore sibi consulerent, & irati Numinis iram per sacrificia, precesque placare curarent, ut in suis tum sacris, tum politicis Annalibus nonnulli Scriptores adnotarunt. Hanc de Beato Georgio elucubratiunculam his versibus claudamus: leguntur hi characteribus Gothicis insculpti

Fr. Christoph. Castelli in Relat. Orient. Region.

Henric. Spõdan. ad An. Christ. 1321.

Finichian. S. 1. de glor. S. Georgij.

culpti sub pictura Sancti Georgij in Paradiso Ecclesiæ Avenionensis:

Apud Author. Gallum Laberinthi Regij, Avenione, Cavarum Urbe, ad Rhodanum fluviũ.

Miles in arma ferox bello captare triumphum,
Et solitus vastas pilo transfigere fauces.
Serpentis tetrum spirantis pectore fumum;
Occultas extingue faces in bella Georgi;
Quisquis & hic orat divino ardescat amore.

NEA-

NEAPOLIS

REGNI florentissimi nominis ejusdem caput, inter Urbes Italiæ maxima, idoneo sita loco, aere salubri, agro feraci, portu commodo, civium frequentiâ, splendore Principum, ædium elegantiâ, Hispanici Proregis sede nobilis: templorum magnificentiâ, & structurâ, sacrarum multitudine Religionum, & optimarum artium studijs inclyta: Lucanis, Brutijs, Hirpinis, Campanis, Daunijs, Calabris, Salentinis, Samnitibus, Vestinis, Capuanis, Ferentinis latè dominatur. Aeris subtilitas incolarum acuit ingenia ad studia litterarum; ijs ritè excolendis florentissimam instituit Academiam Fridericus II. Imperator, quam posteà mirificè illustravit, auxitque studiosorum Collegijs, & magni nominis Magistris Rex Robertus. Alphonsus demùm Aragonius bellorum turbine valdè concussam, ac temporum injurijs penè collapsam erexit, & pristino splendori restituit. Bellicarum tamèn artium famâ superioribus seculis lõgè illustrior, quàm omnium disciplinarum studijs extitit: Reges quippè, ac Duces protulit rei militaris scientissimos, & multarum palmarum laude clarissimos, quos enumerare officij nostri non est.

Ferdinād. Vghellus tom. 6. Italiæ Sacræ sub Archiep. Neapolis.

Octav. Beltran. in descript. Regn. Neap.

Pro Insignibus habet aurea lilia, in areola coloris cærulei, à Carolo Andegavensi tradita, qui debellato Manfredo, Neapolitanũ invasit, & occupavit Regnum. Silvester Petrasancta Societatis nostræ Sacerdos sic describit Neapolitani Regni Insignia: *Par Sirenum scutum sustinet regni Parthenopæi decem lilijs conspersum.* Author anonymus à me de hac re consultus, dum Romæ versarer, lilijs addidit ferream portam denticulis quatuor rubri coloris armatam. Cæterùm lilia totius Regni Insignia esse, Equum verò proprium ipsius Urbis, ac justum stẽma existere meritò credimus; & ad id probandum Equum æreum in medium producimus, qui anteactis secu-

Silv. Petrasanct. S. I. in tesseris gentil. fol. 626.

Author Anonymus S. I.

seculis in Circo maximo Basilicæ Cathedralis spectabatur; à Virgilio Poetarum Principe, ut fama refert, magicis artibus, & arcano artificio conflatus, quem cùm vidisset infrænem Conradus Imperator, & Neapolitanorum fastum, superbiamque vellet compescere, frænum illi imponi jussit, hoc adjecto disticho Leonino:

Hactenùs effrænis, Domini nunc paret habenis:
Rex domat hunc æquus Parthenopensis equum.

Illum, procedente tempore, indè amoveri jussit Bertholdus Ursinus anno Christi 1322. religione ductus, ne multorum serviret diabolicis artibus, & superstitionibus magicis.

Anton. Beuter l. 2. Hist. Hisp. & Val. c. 38.

Antonius Beuter, Scriptor nobilis, existimat, Equum esse arma Neapolis, quòd ipsius Urbis potentiam, & Civium ferociam aptè significet. Eumdem in monetis exprimere, cudereque solebant Neapolitani, dum patrijs olìm institutis, ac legibus viverent, reipublicæ more, ac jure liberi, impressa ex altera parte Crucis effigie, incisis circùm litteris *Civitas*: ex altera verò Equi imagine, addito *Neapolis* nomine, quèmadmodùm Celtæ quondàm populi numos equo signare soliti erant, ut advertit Joannes Jacobus Chiffletius part. 1. suæ Vezontionis: Hunc ipsum sub Regibus Neapolitanis morem viguisse constat ex numis cupreis Equo signatis, quos proptereà vocabant *Cavallos*. A nobis hactenùs traditis certam fidem astruere videtur equus marmoreus paucis antè annis inventus in fundamentis Domûs Prætoriæ, seu Vicariæ Urbanæ, qui totam ad spectandum Urbem excivit, & traditam à nobis sententiam confirmavit. Accedit quòd Neapolis geminos fratres Castorem, & Pollucem, equorum præsides olìm summa religione coluit, ac divos habuit tutelares: idcircò Equum posteà, abjectâ licèt vanâ Deorum superstitione, retinuit. Vel etiam quia equos gignit præstantissimos, equum sibi in stéma desumpsit: nisi velis cum Antonio Caracciolo affirmare Equum à Chalcidensibus vetustæ Parthenopes códitoribus pro Insigni habitum, à Neapolitanis etiam acceptum esse.

Carac. l. 1. c. 3. de sacris Eccl. Neapol. monumentis.

Cæterùm illâ potissimùm prærogativâ inter alias Europæ Urbes Neapolis excellit, quòd omnium prima traditam à Sácto Petro Apostolorum Principe Christi legem suscepit, eamq; solleéni, & publico cultu professa fuit, ut magni nominis Auctores scribunt. Aram Deo dicatam ipso in littore maris

Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 44.
Anton. Carac. sect. 3 c. 1.

Apostolus excitavit, & Missæ sacrificium ritè peregit, eaque ratione feliciorem reddidit Urbem illam, & Superis chariorem, ut constat ex vetusta, & constanti apud cives traditione, ex antiquis codicibus m. ss. ex hujusmodi etiam inscriptione, quæ antiquitate ipsa fidem, ac venerationem conciliat:

Anton. Sumontius 1. p. Hist. Neapol. pag. 301.
Cæsar de Engen. in Neapoli sacra, pag. 419.
Chronicon S. Petri ad Aram.

Quòd prima in Latio Christo pia colla subegi
Parthenope, hæc Petri præstitit ara fidem.

Indè creato primò ejusdem Urbis Episcopo Aspreno, viro sanctissimo, Romam se contulit prædicandi Evangelij causâ. Beatum etiam Paulum Apostolum eò venisse memorant, cùm navis, quâ vehebatur, ad Puteolanum portum appulisset; idque suo confirmat testimonio Lorinus excellens Societatis nostræ Theologus, & peritissimus Sacrarum Litterarum interpres: & alij viri docti verosimile esse existimant. Cecinit his carminibus Sapphicis Matthæus Cariophylus Iconij Archiepiscopus:

Villanus in Chronico Neap.
Lorinus in Acta Apostol. c. 28.

Principes terræ, fidei parentes,
Gentium sacris spolijs onusti
Dum petunt Urbem, petiere primam
Parthenopæam.
Primus hic Petrus dedit incruentum
Munus, Asprenum dedit & Sacrorum
Præsulem, sancto comitante cætu
Discipulorum.
Capit hinc primus populis salutem
Italis Paulus resonare JESUM,
Pérque campanos jacere novales
Semina verbi.

Hanc ob rem illam sibi laudem optimo jure vendicare possent Neapolitani, quam sibi vendicant Romani, non sine aliarum gentium, urbiumque invidiâ: *Petrus, & Paulus, ipsi nos docuerunt legem tuam, Dominè.* Neapolitanæ tamen urbis Patronos esse negamus, & si primi fuerint initio nascentis Ecclesiæ Apostoli, & Magistri.

Petr. Stephan. de locis sacris Neap.

Primum igitur inter Neapolitanæ gentis Patronos locum obtinet Beatissima Virgo Maria, quam viri docti, ac pij à me per litteras consulti primariam quondàm Urbis Patronam fuisse monuerunt; etsi hac ætate nulla supersit peculiaris solemnitas, quæ vetustum indicet patrocinium: id tamen satis

Chronic. S. Mariæ à Principio.
Marracius de PP. Mar. sub Silvestr. I.
Cæsar de Engenio in Neapol. sacra, p. 11. & 218.
Summontius l. 1. p. 1.
Georgius Vazari in Vitis Pictor. & Sculptor. illustr. sub Petro Perusino.
Bartholom. Cioc. in Catal. Antist. Neapolit. An. 1294

probare videtur Sanctæ Mariæ sacellum à *Principio* dictum, à B. Alpreno erectum in templo Sanctæ Restitutæ, & à Sancto Silvestro Pontifice Romano consecratum, imposito nomine de *Principio*, quòd ibi Mariani cultûs initium fuerit in Italia. Ipsa Deiparæ effigies à Sancto Luca depicta dicitur, quam noster Spinellus ab antiquitate, & religione valdè commendat: cursu temporis, & hominum incuria deformatam renovari jussit, & pristino splendori restitui Sancta Helena Imperatrix, quæ eò se conferre solebat, dum Neapoli moraretur cum filio Constantino. Agitur peculiare de illa festum die octava Januarij, vacaturque à publicis negotijs, & forensibus causis. In rem nostram non parùm facere videtur Ecclesia Cathedralis à Carolo I. Andegavensi inchoata, & à Carolo II. ejus filio perfecta, Assumptæ in Cælum Virgini Mariæ dicata. (Bartholomæus Ciocarellus in Catalogo Antist. Neapolitan. anno 1294. sic de illa scribit: *Regnante Carolo II. & Ecclesiam Neapolitanam regente Archiepiscopo Philippo Minutolo, cœpit ædificari nova Ecclesia Cathedralis sub titulo S. Mariæ Virginis in Cælum Assumptæ.*) Sui ergà Neapolitanos patrocinij non semel Virgo Deipara præclarum dedit specimen: dum enim Fortunatus Episcopus B. Agnelli funus procuraret, & sacris operaretur, visæ fuerunt imminere templo Irides septem, aliæ alijs pulchriores, justis, ac idoneis veluti gradibus, spatijsque disjunctæ: summam coronabat Virgo Sanctissima facie mirum in modum radiante, cum B. Agnello Abbate, apertis brachijs, & supra Urbem extensis, protegentis illam more, & matris amore amplexantis; & pacem Deũ inter, & cives, per Iridem significatam, spondentis. Eamdem proximo nobis seculo Urbem lue pestifera laborantem suo relevavit patrocinio, & pristinæ sanitati restituit: extat Deiparæ de Constantinopoli templum à Neapolitanis erectum, accepti beneficij monumentum.

Sæviente iterùm per vicinas urbes, oppidaque contagione anno Christi 1575. implorata magnæ Dei Matris ope, imminens sibi periculum vitavit Neapolis. Anno demùm 1656. tabe pestiferâ magna Civium stragem edente; præsenti Virginis ope Urbs servata fuit, luesque depulsa, mox solemni decreto sancitum, ut in posterum Festum Virgineæ Conceptionis Immaculatæ ritu publico ageretur, quod sequentibus deinde annis summâ populi celebritate peragitur, adstanti-

bus

bus pro dignitate Missæ sacrificio in Sancti Laurentij templo urbanis Magistratibus die octavâ Decembris Conceptioni Virgineæ dicatâ. Itaque Deipara Sanctissima sub illo gratiæ pleno titulo Neapolitanæ Urbis Patrona electa est: quapropter hujusmodi titulo, & honore illam afficiunt in suis Commentarijs Cæsar de Engenio, & Antonius Caraccioli, viri pij, & eruditi.

Quòd si Deiparam Virginem excipiamus, septem olim Divos tutelares numerabat Neapolis: (alij quidem aliter numerant) Sancto tamen Januario communi omnes consensu primum inter Patronos locum attribuunt: hoc ordine recensentur in Actis publica authoritate conscriptis, quibus Sancta Patritia Neapolis *Patrona* creata est anno Christi 1625. Januarius, Asprenus, Agrippinus, Athanasius, Euphebius, Severus, Agnellus. Clemens VIII. aliò procedit ordine in diplomate pontificio, quo Neapolitanis concessit, ut Urbis suæ Patronum S. Thomam Aquinatem deligeret; alio Paulus V. in decreto translationis brahij ejusdem Sancti Doctoris; alio etiam sacra Rituum Congregatio in officio de Sanctis Patronis Neapolis, Romæ approbato die 15. Septembris anno 1670.

Julius Cæsar Capacius in Paneg. S. Thomæ Aquin.

Francisc. Porcellus de S. Patritia Patrona.

Recentiori ævo septem alij, vel decem additi fuerunt antiquis Divi Tutelares: hi sunt S. Thomas Aquinas, S. Patritia, B. Andreas Avellinus, B. Jacobus de Marchia, S. Franciscus de Paula, S. Dominicus, S. Antonius de Padua, S. Franciscus Xaverius, S. Teresia Virgo, S. Philippus Nerius. Nonnulli, pauciores numerant, excludunt enim à numero Patronorum Antonium, & Philippum, de quibus suo loco agemus. Verosimilius est duo tantùm superioribus seculis fuisse Neapolitanæ Urbis Patronos, Januarium, & Agrippinum: ut deducitur ex Petro Diacono ad annum 890. Anno verò 1333. quatuor nominantur, videlicet Januarius, Asprenus, Agrippinus, & Athanasius, in quorum natalitijs soliti erant Neapolitani Præsules sacrum solemne pontificio more facere: consulat curiosus Lector Matthæum de Afflicto, & Petrum Gravinam in Officio Septem Patronorũ, quod olim Neapolitana Ecclesia retinebat, prodijtque impressum anno 1615.

Matth. de Afflicto de ferijs, & salarijs.

Illud certum, & indubitatum videtur S. Januarium primum inter Patronos Neapolis habere locum, ut suprà diximus; nam vix martyrij palmam adeptus est, cùm Neapolitano cuidam civi noctu apparuit cælesti circumfusus luce, illiq;

C. Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 305. & in Notis ad Martyr. Roman. die 19. Septemb.

Paulus Regius in gestis S. Januarij.

commendavit, ut ipsius corpus decenti loco sepeliri curaret: quod si præstaret officium pietatis, promisit patriam illius urbem suo patrocinio in posterùm defenſurum; idque Patronatûs Januarij initium fuisse perhibent. Nec multùm ab ijs discrepat Breviarium Romanum Lectione VI. Officij Ecclesiastici in hunc modum: *Horum scilicet Martyrum corpora finitimæ urbes pro suo quæque studio certum sibi Patronum ex ijs apud Deum adoptandi, sepelienda curarunt; Januarij corpus divino admonitu Neapolitani extulere.* Concinit his in hymno vetusto Poeta anonymus: *Salve defensor patriæ.* Januario etiam tribuunt Patroni nomen, & honorem Constitutiones Gasparis Archiepiscopi Neapolitani his disertis verbis: *Primus Neapolitanæ Vrbis Patronus; Civium suorum defensor, almusque protector.* Eisdem ferè titulis afficitur in antiquis Officijs Ecclesiæ Neapolitanæ; Non ita pridem inventi fuerunt ærei numi Januarij effigie ex una parte ornati, ex altera S. Crucis signo muniti; alij ejusdem Sancti Martyris faciem, ac Neapolim Urbem referebant expressas.

Causæ eligendi Patronum S. Januarium præter rationes à nobis suprà adductas, fuerunt eximia illius pietas; illustre pro Christi Fide martyrium; & innumera in suos clientes beneficia; quorum nonnulla hinc, indè, veluti carpendo collecta, referre non est ab instituto nostro alienum. Non semèl erumpentes è summo Vesuvij montis vertice flammarum globos, & vastitatem vicinis circùm oppidis, urbibusque minantes, auxilio de Cælo præstito repressit, incendiumque restinxit, initio hujus favoris, ni fallor, ducto ab anno 471. quod decurrentibus deinde seculis beneficium frequentissimè Neapolis experta est. Prodijt nupèr in lucem de Vesuvij incendijs opus egregium authore Salvatore Varona Societatis JESU Theologo, in quo multa scitu digna traduntur, quæ Januarij pietatem, & in suos clientes amorem abundè testantur.

Mombritius tom. 2. Cæsar de Engenio pag. 639.

Salvator Varona S. I. de Vesuvij incendijs.

Joan. Baptist. Masculi S. I.

Illud tamen omnem superat admirationem, perenne scilicet ejus sanguinis prodigium, qui crystallina in ampulla cōtentus rubescere, liquefieri, & ebullire visitur, quotiescumque ex consuetudine perantiqua tèr in anno ex adverso capitis ponitur, ex quo reciso olim effluxit; nempè primo Sabbato Maij, quo ejusdem Martyris translatio contigit; decima nona Septembris, qua fuit capite truncatus; & decima sexta Decembris, qua evênit non multis ante annis à Vesuvij in-

cen-

cendio Neapolis liberatio. Ter igitur singulis annis Neapolitani Cives memoriam Januarij, festumque celebrant: sed primo Maij Sabbato solemnem supplicationem instituunt, eamque ducunt per nobiliores urbis plateas, in qua sacrum illius caput, & sanguis ampullâ contentus circumferri consuevit cum Sanctorum Tutelarium imaginibus bellissimè ornatis: lustratâque Urbis parte, ne labor continuetur, in unâ aliquâ nobilium Curiarum (Seggi vulgò dicuntur) arâ magnificè instructâ caput deponi solet: post modicam quietem, instauratâ supplicatione, sua in adyta reportatur: sanguisque concretus, ut paulò antè diximus, quoties ex adverso capitis ponitur, aut gravis imminet Neapoli clades, solet colliquefieri, & ebullire, eòque mirabili ostento B. Martyr paternam, quam de suis clientibus habet curam, satis declarat: idque tàm notum, & certum est, quàm quod certissimum. Non ita pridèm ultimum Vesuvij incendium, quod Neapoli, & viciniis oppidis fatalem cladem minabatur, præsagijt: sacri quippe illius cruoris custodes, etsi solitatiè habitum, non semel repererunt liquidum, & solutum: Toto etiam eo tempore, quo Dux Albanus Prorex Neapolitanus, adversùs Paulum IV. Pôtificem Max. gessit bellum, idem sanguis sponte liquidus, & fluidus apparuit, idque Canonicus illius Custos observavit, ut Proreginæ morem gereret, quæ sola tanti prodigij conscia erat: quo autem die concrescere rursùs, & constringi ex inopinato visus est, eo ipso die, ut ex tabellarijs certò constitit, pax coaluit Pontificem inter, & Proregem.

Silvester Petrasancta Societat. JESV tom. 3. Thaumasia c. 12.

In profligandis etiam, delendisque Neapolitanæ gentis hostibus S. Januarij virtus, & patrocinium valdè enituit: anno quippe Christianæ salutis 920. (alij alium assignant annum) Saracenos Neapolim obsidentes, injectâ divinitùs formidine, perculsos ab illius obsidione repulit: & ab ijs furto ablata Ecclesijs vasa aurea, & argentea Christianis restituere coegit. Obsidenti iterùm Neapolim, eamque summis viribus oppugnanti Capuæ Principi, in somnis apparuit Januarius, cum alijs ejusdem Urbis Patronis, eumque seriò admonuit, ut obsidionem, nullâ interpositâ morâ, solveret; nec vellet divini numinis iram experiri: sed cùm ille in incepto persisteret, & obsidionem urgêret acriùs, meritas paulò post suæ pertinaciæ pœnas dedit, pestifera febri correptus, & brevi extinctus. Anno præterea 1558, visus liquefieri S. Januarij

Ferdin. Vghellus tom. 6. Italiæ sacra sub Archiep. Neap.

ſanguis, clademque portendere, quam paucis poſt diebus intulere Turcæ Surrento, & Maſſæ, nec non Sancti Lucidi, & Paulæ oppidis, hoſtium vi captis, ac direptis, & incolis in ſervitutem abductis. In hunc ferè modum Januarius ſuos de futuris calamitatibus clientes præmonere ſolet, eaque ratione paternam, quam de ipſis habet, curam oſtendere.

His, & alijs moti rationibus Neapolitani Sanctum Januarium primarium ſibi Patronum delegerunt. Sacroſanctũ illius corpus ſub ara maxima Cathedralis Eccleſiæ quieſcit. Gregorius XIV. conceſſit ut officio duplici coleretur; ejusque diem feſtum de præcepto haberi, & ſervari juſſit.

S. Agrippinus.

C.Baron. in not. ad Martyr Roman. 9. Novembr.

Ex vetuſtis monumentis deducitur Sanctos Januarium, & Agrippinum Neapolitanæ Urbis jam tum fuiſſe Patronos, ut videre eſt in Lectionario S. Gaudioſi Epiſcopi Salernitani, & in alijs antiquis codicibus: hanc ob rem Sanctum Agrippinum à Sancto Januario ſecundum Neapolis Patronum dicimus. Vixit is ſub Antonino Pio Imperatore: obijt circa annum 180. quinto Idus Novembris, vel ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo, ut habetur in officio novo de Sanctis Neapolitanæ Urbis Patronis. Sacræ illius reliquiæ ſub arã Cathedralis Eccleſiæ principe aſſervantur, unà cum Sanctorum Martyrum Euthychetis, & Acatij pignoribus. De tempore, vel anno, quo fuit electus Vrbis Patronus, certò nobis conſtare non potuit: meritò ſuſpicamur id contigiſſe anno Chriſti 920. quo, Saracenis hoſtibus Neapolim obſidentibus, Cælo delapſus apparuit, vultu ad ſeveritatem compoſito, unà cum S. Januario, ijsque tantum terroris injecit, ut obſidionem ſolvere coegerit, & in Africam, unde venerant, remeare; quod nos conjectando magis, quàm affirmando ſcribimus. Ad hæc fortaſsè alluſit Sergius Archiepiſcopus, cùm Patronorum titulis affecit in ſuis Conſtitutionibus SS. Januarium, & Agrippinum: *quorum patrocinijs communimur.* Et Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis: *Beati illius Agrippini, qui quintus à Sancto Aſpreno ordinatus eſt Epiſcopus; quique & Patronus, & defenſor eſt Neapolitanæ Civitatis.* Illud à viris pijs, & doctis pro certo habetur fuiſſe Sanctum Januarium, & Agrippinum primos, & antiquiſſimos Neapolitanæ gentis Patronos.

Ciccarell. de Epiſc. Neapolit.
Petr. Caſſin. Monachus in Vitâ S. Agrippini Epiſc.

Paul. Reg. de SS. Neapolit.
Officium de SS. Patron. Neap.
Vghell. tom. 6. Ital. ſacra.

S. Aſprenus.

Sanctus Aſprenus natus Neapoli, tactu baculi Sancti Petri Apoſtoli, à gravi, quo laborabat, morbo ſanatus eſt; ad

Chri-

Christi Fidem conversus, & primus ejusdem Urbis Episcopus institutus. Aspreni nomen mitissimis moribus emendavit, & cælestem quodammodò vitam in terris egit. Primum Neapoli templum uni, ac vero Deo posuit eo ipso in loco, quo Petrus Missæ sacrificium celebravit. Secundum Virgini Deiparæ sacellum erexit, in quo sepeliri voluit: virtutibus, & miraculis clarus ad Superos migravit die 3. Augusti, anno Christi 79. (alij alium assignant annum:) indè procedente tēpore, sacrum illius corpus translatum fuit in Ecclesiam Cathedralem, addita sepulchro hujus tenoris inscriptione:

Albericus in Vita S. Aspreni. *Antonius Caracciolo de sacris Eccles. Neap. monumentis.*

Hic jacet corpus Sancti Aspreni Episcopi
Neapolitanæ Civitatis, & Confessoris.

A multis jam seculis Neapolitanæ Urbis Patronum esse credimus; in Chronico enim Sedilis Montani, Rogerij Papansonij industriâ, & diligentiâ concinnato ad annum Christi 1408. ita legitur: *Asprenus Neapolis Patronus.* Invenitur expressa septem Patronorū memoria apud Matthæum de Afflicto, de ferijs, & Salarijs. Idoneum etiam habemus dē illius patrocinio testimonium in Constitutionibus Joannis Episcopi anno 1333. Hæc de Sancto Aspreno Episcopo, & Patrono.

Paulus Regius de SS. Neap. sub Aspreno. *Philippus Ferrar. in Catal. SS. Ital. die 3. Augusti.*

Quartum inter Divos Tutelares Neapolis locum obtinet B. Severus ejusdem Urbis Episcopus, & Confessor: vixit imperantibus Valentiniano Juniore, & Theodosio Seniore: Liberio, & Damaso Pontificibus Romanis in paucis charus, nec non Ambrosio Mediolanensium Præsuli: mortuum quemdam fusis ad Deum precibus, ad vitam revocavit, ut contra injustum creditorem justum pro viduâ, & filijs pauperibus testimonium ferret; inde magnam famæ celebritatem adeptus, & *mortuorum suscitator* est appellatus. Visitur in ipsius Sepulchro hujusmodi inscriptio: ***Sepulchrum ubi Sanctus Severus amicum, cujus filios, uxoremque falsò, ac ære indebito balneator in jus vocaverat, ut rei veritatem aperiret, ad vitam revocavit.*** Paulus Tassus J. V. D. Canonicus Neapolitanus, ne tanti miraculi periret memoria, eam piè restitui curavit anno Christi 1573. Affuêre Severo morienti Sancti Januarius, & Agrippinus Cælo delapsi habitu, quàm pro humanâ specie, augustiore: obijt die 30. Aprilis. Sacrum illius corpus extra muros Urbis sepultum fuit in Ecclesia sui nominis: temporis decursu d templum Sancti Georgij translatum, ibidem magnâ Civium Religione colitur; appositâ sepulchro hu-

S. Severus.

Baron. in Martyr. Roman. *Regest Caroli I. Regis Neapolis.* *Paul. Regius de SS. Neapol.* *Ferrarius in Catal. ad diē 30. Aprilis.* *Ughellus to. 6. Ital. sacra, pag. 46.*

hujus tenoris inscriptione:

Hic jacet corpus S. Severi Episcopi Neapolitani, & Cõfessoris. A multis jam seculis Neapolitanæ Urbis Patronus habetur: satis constat apparuisse illum cum alijs simul Divis Tutelaribus Calabriæ Principi Neapolim obsidenti vultu terrifico, & oculis ignem spirantibus, ut terrorem illi incuteret, cogeretque ab obsidione recedere; quod cùm is facere neglexisset; brevi suæ temeritatis, & inobedientiæ pœnas dedit; quo liquidò apparuit B. Severum communi Reipub. bono, & saluti consulere. In quadam Constitutione Joannis Episcopi Neapolitani fit mentio de natali die S. Severi, & indicitur, ut omnes die illa à servilibus operibus prorsùs abstineant.

S. Athanasius Episcopus, & Confessor.

Martyr. Rom. die 15. m. Julij.

Ferrar. in Catalog. SS. Ital. die 15. Julij.

C. Baron. in Mart. Roman. 15. Julij, & in Annal. Anno Christi 872.

Sanctus Athanasius Sanctum Severum recto ordine subsequitur: Romæ à B. Leone Pontifice hujus nominis IV. ad altare S. Gregorij Episcopus consecratus est: Latinis simul, & Græcis, qui tunc habitabant Neapoli, ob eximiam morum Sanctimoniam non modò charus, sed etiam venerabilis fuit. Dum verò Sanctissimi pastoris munus in suas oves ritè exercet, astu, & fraude Sergij nepotis sui ab Episcopali sede deturbatus, & in exilium actus est: fato concessit in Oratorio S. Quirici duodecim ferè milliarijs à Mõte Cassino dissjuncto, Idib. Julij, anno Christi 872. Corpus in eumdem montem delatum, ac sepultum in Ecclesiâ S. Petri ab Arachisio Longobardorum Rege extructâ, inde procedente die, in Neapolis Cathedralem translatum, ibidem quiescit, addito sepulturæ Epitaphio:

Hic jacet corpus S. Athanasij Cõfessoris, & Episcopi Neapolitani.

Veruli obiisse scribit C. Baron. in not. ad Martyr. Roman. die 15. Julij.

In Constitutionibus Joannis Episcopi, de quo non semel meminimus, anno 1337. fit mentio de Sãctis Aspreno, & Athanasio, tanquàm de Neapolitanæ Urbis Episcopis, & Patronis.

S. Euphebius Episcopus, & Confessor.

Baron. in Martyr. Rom. die 23. Maij obiisse affirmat anno Christi 713.

Ferrar. in Catal. SS. Ital.

Cæsar de Engenio in sua Neapoli sacra.

Sanctus Euphebius (alij aliter nominant) Episcopus, & Confessor sexto loco inter Divos Neapolis Tutelares numeratur: vixisse creditur inter seculum tercentesimum, & quadringentesimum. Ferrarius in suo Catalogo Sanctorum Italiæ, floruisse scribit imperante Anastasio; in eâdem est sententiâ Cæsar de Engenio: Antonius Caracioli antiquiorem esse existimat: utcumque sit, inter antiquos, & illustres illius Ecclesiæ Præsules recensetur, rebus mirè gestis clarus: cujusdam potissimùm magnitudine, & novitate miraculi Neapolitani Cives ducti, illum sibi Patronum delegerunt: ità se res ha-

habuit. Saraceni inito pacis fœdere cum Docibili Caietæ Duce, Gariliani arce armorum vi occupatâ, & valido militum præsidio munitâ, indè in proximam Campaniam crebras excursiones faciebant, eamque ferro, ac flammis latè vastabant: contigit aliquando, ut quidam Sacerdos pius sacri faciendi causâ, Sancti Euphebij templum extra muros Urbis situm peteret, insertâ baculo sportâ, quæ sacras continebat vestes ad celebrandum necessarias, eaque in humeros rejectâ cæpto pergebat itinere. Sed auditâ Barbarorum adventantium famâ territus, in vestigio hæsit consilij dubius, & incertus: ubi se tamen à timore collegit, templum, quod in proximo erat, fidenter ingressus, sic ab Euphebio auxilium imploravit:

Paulus Regius de SS. Episc. Neapolit. Martyr. Rom. die 23. mensis Maij. D. de Vico in Vitâ S. Euphebij. Offic. de SS. Neapol. editum anno 1670.

Præsul amande, tui sim tutus numine templi,
En tibi devotus solitas paro dicere laudes.

Quibus dictis, addito sibi divinâ ope animo, Missæ sacrificium inchoavit, circumfusis interim templo Saracenis, & cōtra celebrantem dirè frementibus: sed oculis repentè capti, nec templi fores, ut vi in illud irrumperent, invenire, nec presbyterum videre poterant: ut facientem sagittis cōfigerent per fenestellas emissis. Peracto jam Missæ sacrificio, dubius hærebat Sacerdos, secumque agitabat animo quid consilij caperet in illis rerum, temporumque angustijs? Diutiùs morari in templo ab hostibus circumsepto, periculosum: templo exire, urbemque repetere, res discriminis plena videbatur, cùm omnes circumcircà aditus, exitusque viarum Barbari præclusissent, nec ullus superesset evadendi locus. Humanâ igitur destitutus ope, ad divinà provocavit; & Euphebij auxilium multis cum lachrymis postulavit: vocem de Cælo missam protinùs audivit, quâ monebatur, ne desponderet animum, sed fiduciam in uno Deo, & Euphebio collocaret; celso animo viam arriperet, gravi, ac nodoso, quem præ manibus habebat, baculo armatus: qui cælestibus obtemperans monitis, itineri se cōmisit; ac baculum, seu gladium summa dexteritate versans inter confertos hostium cuneos, facilem sibi, & expeditam viam reddidit, multis illorum cæsis, plurimis vulneratis; in hunc modum periculo explicatus, in Urbem victor, & incolumis redijt. Ergò cives tanti miraculi novitate moti, Euphebij nomen, & famam celebrarunt, eumque impensè in posterùm coluerunt, & Patronum suæ Urbis

 coopta-

cooptarunt. Secundum inter Divos Tutelares locum illi deberi multis contendit probare rationibus Dominus de Vico, si temporis antiquitatem consideremus. Joannes Episcopus in suis Constitutionibus meminit de Sanctis Patronis Severo, Euphebio, & Agnello, ac dies ipsis dicatos festos,& solemnes de præcepto decernit. Corpus B. Euphebij inventum fuit anno 1589. Sisto V. PP.Max. ligneâ capsâ inclusum annulis ferreis permunitâ, quod à loco humili, in quo jacebat, marmoreâ tumbâ conditum in locum digniorem translatum fuit, unà cum SS. Fortunati, & Maximi reliquijs, Nuntio per id tempus Pontificio Alexandro Glorierio, qui translationi interfuit: caput in thesauro Ecclesiæ Cathedralis asservatur.

S. Agnellus.

Abrah. Bzovius ad Annum 890.

Baron. in notat. ad Martyr. Roman. die 14. Decemb.

Petrus Hypodian. in Vit. S. Agnelli.

Vghellus tom. 6. Italiæ sacra.

Sanctus Agnellus natus Neapoli, inter antiquiores Patronos septimus numeratur. Trithemius, Paulus Regius, & Abrahamus Bzovius Monachum Benedictinũ fuisse existimant; Canonicum Regularem Pennotus; Sancti Basilij Monachum Caraccioli, & Ughellus: Sanctissimam illius vitam sancta mors excepit 19. Kalendas Januarij. Claruit temporibus Gregorij PP. & Mauritij Imperatoris. In Ecclesia sui nominis sepultus apud Canonicos Regulares Sancti Salvatoris: demortui corpus suavissimum exhalabat odorem, qui per totius templi aream fusus cælestem apud Deum viventis gloriam propalabat. Joannes Episcopus in suis Constitutionibus meminit de Sancto Agnello Neapolitanorum Patrono, & alij Authores eodem illum honoris titulo afficiunt. Celebrem ipsius memoriam fecerunt clarissimæ de Saracenis hostibus victoriæ à Neapolitanis relatæ, maximè anno Christi 788. quas significare videntur tabulæ Neapolitanæ Ecclesiæ his verbis: *Obsessam urbem sæpè visus est Crucis vexillo ab hostibus liberare.* Officium recens impressum de Sanctis Neapolitanæ Urbis Patronis, Romæ approbatum à Sacrâ Rituum Congregatione anno 1670. hujusmodi Orationem adducit:

Deus qui nos per B. Agnellũ salutifero Crucis vexillo à Barbarorum incursibus liberasti, te humiliter deprecamur, ut ejusdem præsidio ab omnibus invisibilium hostium insidijs eruamur. Per Dominum nostrum, &c.

Miranda in Vit. S. Agnelli pag. 158. & pag. 162.

Menolog. Bened. die 14. Decembr.

Dum funus Agnelli procuraret Fortunatus Episcopus, septem in nubibus Irides apparuerũt, aliæ alijs altiores: ut locis eminebant, sic specie, & coloribus varijs excellebant. In summo Deipara Virgo Maria Solis instar radijs in orbem fusis micare

vi-

videbatur, & brachium dextrum, pijssimæ Matris more, ad Neapolim protegendam extendere: JESUM filium sinu exceptum non habebat; quòd ejus loco Agnellum suffecerat Deo charum, superis gratiosum. Visus aliquando fuit accensam manu facem præferre, & muros obsessæ Urbis circumire, ut hostibus terrorem incuteret, eosque injecto divinitùs pavore, fugaret. Plura curiosus Lector inveniet apud Scriptores Neapolitanos.

David Romæus de SS. Patronis Neap.

Cæsar de Engenio in Neapoli sacra, pag. 118.

Hactenùs de Sanctis antiquioribus Neapolitanæ Urbis Patronis eâ, quâ potuimus, sinceritate egimus; quorum memoriam Ecclesia Metropolitana officijs proprijs celebrabat anno 1525. hoc est Sanctorum Januarij, Agrippini, Asprenì, Severi, Athanasij, Euphebij, & Agnelli; superest, ut de alijs recentioris ævi Patronis Sermonem faciamus, quorum primus S. Thomas Aquinas, *Doctor Angelicus* per antonomasiam dictus, die 7. Januarij anno 1605. à Neapolitanis electus est: Archiepiscopo tum temporis Octavio Aquaviva, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale. In hunc ferè modum res peracta fuit: Deputati Urbis Neapolitanæ, accepto Clementis VIII. Summi PP. eâ de re decreto, S. Thomam Aquinatem inter Patronos suos numerarunt: illius statuam, thecâ argenteâ inclusam in thesaurum, hoc est Basilicæ principis sacellum asservandis cæterorum Patronorum reliquijs dicatum, solemnibus cæremonijs intulerunt, Protege Neapolis per id tempus Joanne Alphonso Pimentelio, Comite de Benavente, cujus potissimùm authoritas, & industria apud Clementem valuit, ut D. Thomam Patroni titulo, & honore decoraret. Causas electionis ipsi Deputati nobis hisce verbis exponunt: *Hujus optandi Patroni*, inquiunt, *præter causas, quæ cum alijs possunt esse communes, illæ etiam accesserunt, quòd ex hac ipsâ Urbe nobilissima Aquinorum familia originem trahat; quòd hic primùm disciplinis eruditus; quòd bonam vitæ partem in hâc urbe, & sacrâ Æde traduxerit, quo tempore Cives omnes singulari studio complexus est, eosque publicè Sacras Litteras docuit; quòd hic etiam divinum illud oraculum*, Benè scripsisti de me Thoma *audire meruerit. His addere possent, quòd ejusdem sancti brachium argento, & purissimâ crystallo inclusum habeant in Reliquiarum thesauro.*

S. Thomas Aquinas.

Fr. Alphons. Ribera in Histor. sacra de Sanctissimo Sacramento, tract. ultim. §. 5.

Sancta Patritia Constantis Imperatoris filia, Magni Constantini neptis, (alij Constantis Monothelitæ, filij Heraclij, S. Patritia.

sed

C. Baron. sic scribit in Martyr. Rom. die 25. Aug. Claruit temporibus Constantini Imperatoris: Constantinopoli in Italiam veniens Neapoli diem clausit extremum.

Paulus Regius in Vit. S. Patritiæ.

Joan. Baptist. Mans. Offic. Monialium S. Patritij.

Cleontius Furbius in Vit. S. Patritiæ.

Martyr. Rom. die 25. August.

Silvest. Petrasancta S. 1. part. 3. sua Thaumas.

Fr. Francisc. Porcellus in Vit. S. Petri.

sed perperàm, filiam fuisse memorant.) In officiò nuper edito de Sanctis Neapolitanæ urbis Patronis dicitur vixisse tempore Constantij Imperatoris, Romæque virginitatis votum à Liberio PP. emisisse; id probare videtur Leo Monachus, qui vitam, & gesta Sanctæ Patritiæ descripsit ad annum Christi 400. à quo multa didicit Joannes Mansus in vita ejusdē Virginis, nuper typis editâ: cælestem in terris vitam egit, quam sancta mors excepit die 25. Augusti. Sacrum illius corpusculum in Ecclesiâ sui nominis sepultum fuit; & inventum anno 1551. die 9. Septembris totam excivit urbem ad illud piè venerandum. Visuntur duæ in eodem templo ampullæ è crystallo plenæ B. Virginis sanguine, qui ex dente ipsi avulso, seu fonte, copiosè manavit centum post illius obitum annis. Et quoties sanguis cum ipso dente committitur, vel juxtà ponitur, ebullire statim cernitur, & liquefieri. Item feriâ sextâ cujusvis hebdomadæ; & quando de Sanctâ Patritiâ, voti causâ, Missa celebratur, semper liquescit in guttulas; & fit purpureus, quasi ex venâ ipsâ recens mitteretur: quod insigne miraculum, ut ferunt, ad hæc usque tēpora perseverat. Anno 1625. die Octobris 28. Deputati publico urbis nomine S. Patritiam Tutelarem sibi, ac Patronam consueto more delegerunt: extat hac de re litterarum apographum apud Franciscum Porcellum Ordinis Prædicatorum Alumnum, quod certam, & indubitatam fidem facit de Sanctæ Patritiæ patrocinio, necnon de singulari ergà illam Neapolitanæ gentis studio, & pietate. Etsi non desint viri docti, qui putent magis fuisse hanc juris antiqui, & vetusti patrocinij renovationem, quàm novam electionem, vel declarationem Patronæ: Paulus quippè Regius, author gravis, & in rebus Neapolitanis bene versatus, scribit ab ipso statim obitûs Patritiæ tempore fuisse, de consensu Episcopi, electam Neapolitanæ Urbis Patronam, & Advocatam.

B. Andreas Avellinus.

Paul. Regius part. 1. de SS. Neapol.

Ferrar. in Catalogo SS. Ital. die 25. August.

Beatus Andreas Avellinus in Castro novo, Lucaniæ oppido natus, Religione Theatinus, pietate illustris, clarus miraculis, Neapoli fato concessit. De Summi Pontificis consensu electus est ejusdem urbis Patronus die 29. Septembris, anno Christi 1625. In tēplo Sancti Pauli (eo nomine Theatinorum Ecclesia appellatur Neapoli) sacra illius effigies idoneo de more loco inter cæteros Urbis Patronos collocata fuit, Archiepiscopo tùm temporis Cardinale Caraffa, Albæ

Du-

Duce Neapolitani Regni Prorege. Causam electioni dederunt eximia B. Andreæ Religio, illustria miracula, innumera in suos clientes beneficia, inter quæ valdè enituerunt mortui duo ad vitam revocati.

B. Jacobus de Marchia, Religione Minorita, concionator egregius, & miraculorum patrator insignis, vitâ pijssimè exactâ, obijt Neapoli anno 1476. De mortui vultus adeò lætus, hilarisque mansit, ut species ipsa corporis animi Deo jam fruentis beatitatem indicaret. In templo Sanctissimæ Trinitatis primùm sepultus, indè anno vix elapso, Sisti IV. PP. (cui multis antè annis Summum Pontificatum prædixerat) decreto in digniorem ex purissima crystallo tumbam ad Sanctæ Mariæ Ecclesiam translatus est, appositâ hujus tenoris inscriptione: B. Jacobus de Marchia. *Petrus Rodulph. Tossinus.* *Uvadingus in Annal. Minorum to. 7. Ann. 1476.* *Paul. Regius de SS. Neapol.*

Hic requiescit venerabile corpus B. Jacobi à Monte Brandano de Marchiâ, Prædicatoris Apostolici, Ordinis Minorum regularis observantiæ, qui obijt nonagenarius vigesima octava Novembris die Jovis, anno 1476.

Corpus ab uno ferè, & altero seculo, inquit noster Silvester Petrasancta, jacet incorruptum, & si loco humescenti situm primò fuerit: spectatur verò intra urnam crystallinam grandiorem, tùm in paschate, tum in ejus die anniversario, tractarique, & amiciri solet, ut à dormiente, & quiescente nihil differre videatur. Sub Clemente VIII. & Paulo V. tractatum fuit de Jacobo Sanctorum fastis adscribendo, sed effectu res caruit. Urbanus VIII. concessit anno 1624. ut officio Ecclesiastico coli posset. De anno, ac die, quibus Patroni nomen, & munus obtinuit, mihi certò constare non potuit in remotâ Hispaniæ regione moranti. Illius officium, tanquàm urbis Neapolitanæ Patroni, approbatum non fuit à Sacrâ Rituum Congregatione mense Septẽbri, anno 1670.: nec admissum cum alijs SS. Patronorum officijs, eam, ni fallor, ob causam, quòd sine Apostolicæ Sedis consensu Neapolitani cives illi *Patroni* titulum detulerunt. *Silvester Petrasancta S. 1. p. 3. Thaumasia c. 12.*

Sanctus Franciscus de Paula primam Neapoli suis fratribus domum posuit, ibique multa edidit tùm in publicam, tùm in privatam utilitatem miracula eam ob rem à Neapolitanis Patronus fuit electus die 20. Maij, anno 1629. instituta ad id peragendum omnium Ordinum supplicatione solemni, à Minimorum fratrum Convẽtu ad Ecclesiam Cathedralem, S. Franciscus de Paula.

in quâ ipsius Francisci Reliquiæ ferculo ornatissimo portabantur, Archiepiscopo per id tempus Francisco Cardinale Boncampagno, Prorege Duce Albano.

S. Dominicus. Sanctus Dominicus Sacri Ordinis Prædicatorum Author, & parens inter Patronos Neapolis locum tenet, procurantibus diligentèr filijs, ut is honoris titulus Sanctissimo Parenti deferretur apud Ramirum Philippum de Gusman, Methymnæ Sidoniæ Ducem, Regni Proregem, qui Beatum Dominicum sanguinis vinculo, & necessitudine contingebat. Accessit ejusdem Patriarchæ Imago miraculis clarissima in Oppido Soriano, ad quam, pietatis causa, innumeri ex omni sexu, atque ætate mortales itare solent; eamque votis, ac peregrinationibus frequentare: hæc Neapolitanos cives in id jam antè propensos impulit, ut eum sibi Tutelarem cooptarent anno 1538.

S. Franciscus Xaverius. Grassante per Neapolim pestiferâ lue anno 1656. ij, ad quos salutis publicæ cura pertinebat, à Sancto Francisco Xaverio Indiarum Apostolo multis cum lachrymis postularũt, ut laboranti eo maximè tempore urbi præsenti auxilio subvenire vellet, pestemque depellere, quæ per omnes vicos, & plateas dirissimè sæviebat: voti sui cõpotes facti, Xaverium, grati animi causâ, Sanctis Neapolis Tutelaribus addiderunt; & sacram illius imaginem supra urbis portas collocarunt: *Ediderat*, scribit Philippus Brietus Societatis nostræ Historicus, *tam multa miracula Xaverius, quibus Neapolim exemit peste, ut cives se ingratos putarent, nisi hunc urbis suæ Patronis accenserent: id præstitere tantâ pompâ, & magnificentiâ anno 1658. ut vix quidquam simile Neapolis viderit; neque unquàm editum sit in hac Civitate spectaculum, quod plùs simul oculos, animumque refecerit.* Hæc idonea Patronatûs Xaveriani causa fuit, ut patet ex decreto illustrissimæ Deputationis. Cæterùm justo, ac legitimo ritu de Summi PP. Alexandri VII. licentiâ, duobus post annis Patronus creatus est die 2. Decẽbris, in quam olìm ipsius festum incidebat. Adde quòd ipsius Sancti Xaverij imago in templo Domûs Professæ Societatis JESU omnium oculis exposita, anno superiore visa fuerat, non sine omnium stupore, crebro oculorum motu, & horrifico vultûs pallore impendentem urbi contagionem portendere, atque eo modo cives suos, ut sibi præcaverent, & precibus divinum placarent Numen ad iracundiam pronũ in tẽpore admonere.

San-

S. Teresia Virgo.

Sancta Teresia, Hispana Virgo Sanctissima, discalceatæ Familiæ Carmelitanæ Mater, & decus, electa fuit Patrona Neapolis die 15. Novembris, anno Christi 1665. egregiam in id operam dante Comite de Peñaranda, Prorege, Sãctæ Virginis valdè studioso: in ejus honoris confirmationem decretum obtinuit à Sacrâ Rituum Congregatione. Communi civium gaudio, & festâ totius urbis gratulatione electio excepta est.

S. Antonius de Padua.

Sanctum Antonium de Padua Ulyssipone Regia Lusitaniæ Urbe natum, suo satìs nomine, ac famâ celebrem, Neapolitani præcipuâ quadam religione colunt; & innumera ipsius precibus à Deo beneficia impetrarunt, hanc ob rem sibi Patronũm adsciverunt. Sacra illius effigies ferculo nitidissimè ornato imposita, & per sedilia nobilitatis circumlata, sui de more Patronatûs possessionem adijt. Visitur Antonij effigies in templo Minoritarum Sancto Laurentio Martyri dicato, fidelium votis, & concursu frequentata.

S. Philippus Nerius.

Sanctus Philippus Nerius, Congregationis Oratorij Fundator, & parens electus est Patronus à Clero Neapolis anno 1626. Extant eâ de re litteræ Apostolicæ Urbani VIII. quibus electionem confirmat. Anno posteà 1646. missis Neapolim ab Urbe Româ Philippi Reliquijs, aucta mirum in modum fuit Civium pietas, & in illum religio per urbem amplissimam propagata: eâ occasione sacer, & politicus Magistratus in eo sibi Patrono cooptando convenerunt, eò alacriùs, ac libentiùs, quòd rem Philippo Regi suo Catholico gratissimam fore judicabant, ut potè qui *Philippi* nomine diceretur: nondùm tamèn hujusmodi electio à Sacrâ Rituum Congregatione peculiari aliquo decreto vel probata est Romæ, vel confirmata. Hi Neapolitanæ Urbis Patroni.

FLORENTIA

VRBIUM Flos, & magni Etruriæ ducatûs caput, non minùs opibus, quàm armis potens, olim pro Armis habuit lilium rubrum, in areola candidâ: cursu temporis, bellorum cōcussa motibus, civilibusq; attrita discordijs in Mediceorum tandem Principum ditionem, sinumque concessit; quorum Dux primus Alexander Caroli V. Imperatoris gener per summum nefas, occisus à Laurentio propinquo, & amico suo, Ducatum Florentiæ Cosmo, & successoribus meliori, quàm sibi, forte reliquit: quibus heroicarum virtutum famâ præstantibus, & de Romana Ecclesia benemeritis Pius V. Sāctissimus PP. *Magnorum Etruriæ Ducum* titulum donavit. Anno 1569. die 10. Novembris. Horum Insignia sunt tessearia liba sex, quinque punicea, & sextum summo loco cyaneum, auratis ternis lilijs inustum, in parmula auro constrata.

Florentini Deiparam Virginem religiosè colunt, eamque à multis jam seculis Patronam habent, ut constat ex vetusto Ordinationum libro, in quo Reipublicæ Leges continentur, in eo ita legitur, ad Annum Christi 1292. materna lingua: *A honor, e laude, e riverenza di nostro Signore Jesu Christo, è della Beatissima Vergine Maria sua Madre, e di San Gio Battista*, e di *Santa Reparata, & di San Zenobio: soto il nome, e la defensione de le quali la Città di Firenza, è Governata.* Primum igitur inter Divos Tutelares Florentiæ locum tenet Sanctissima Virgo Maria; tùm quia cæteris pietate maior, & dignitate superior existit; tum quia pluribus Florentinam gentem beneficijs afficere nullo unquàm tempore destitit. Hæc igitur, ut se illi gratam, memoremque præstaret, Basilicam magnificentissimam Sanctæ Mariæ de Floribus, (sic vocant) extruxit, Arnulpho Lapo, insigni tanti operis Architecto. Primum in fun-

Nicol. Machiav. de rebus Florentiæ.
Leonard. Aretinus.
Jacobus Poggius.
Borghinius,
Vghell. de Archiep. Florentinis.
Cicarellus.
Genebr. in Chronog. p.464.
Illescas sub Clemēte VII.
Miræus in notitia Episcop. v. Etruria.
Silvest. Petrasancta S.I. de tesseris gentilitijs.
Paulus Jovius.
Scipio Amiratus.
Borghinius.
Ferdin. Vghell. sub Archiep. Florent.
Silvest. Petrasancta S.I. de tesseris Gentil. p.239.
Kolven. in Kalend. Mar. part.1 die 11. Maij.
Laurent. Scraderus l. 2. monum. Ital.
Aug. Vvichmans in Sabbat. Marian. c. 8.

fundamenta lapidem jecit Sedis Apostolicæ Cardinalis Legatus, qui per id tempus Florentiæ morabatur, ipso natali Deiparæ Virginis die; Archiepiscopo tum ejusdem Urbis Francisco Monaldesco, ut ex his versibus in tabella marmorea insculptis apparet:

Annis millenis centum bis octo novenis
Venit Legatus Roma bonitate donatus,
Qui lapidem fixit fundo simul, & benedixit,
Præsule Francisco gestante Pontificatum,
Istud ab Arnulpho templum fuit ædificatum.
Hoc opus insigne decorans Florentia digne
Reginæ Cæli construxit mente fideli.
Quam tu Virgo pia semper defende Maria.

Anno verò Christi 1294. Franciscus Brunelleschus, celebris eâ tempestate Architectus, vastam, eamque præaltam hæmisphærij molem superstruxit, & Eugenius IV. Romanus Pontifex, quo maior Basilicæ maiestas cum pietate accederet, eam ipsam solemnibus cæremonijs consecravit die 25. mensis Martij Anno 1436. Annuntiatæ Virginis titulo, ut ex subjectâ inscriptione constat.

Ob insignem magnificentiam Civitatis, & Templi
Eugenius Papa IV. omni solemnitate adhibitâ
dedicavit
Die vigesima quinta Martij M.CCCC.XXXVI.
Cujus dedicationis gratia ligneus
Pons insigni magnificentia, & ornatu
factus est
Ab Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Novellæ,
Ubi Papa inhabitabat usque ad hanc Ecclesiam,
Per quem veniens Pontifex cum Cardinalibus,
Et Episcopis, cæterisque Proceribus.
Pontificali habitu
ad dedicationem accessit; tanta
enim multitudo
ad spectandum convenerat, ut præ nimia
turba vias obsidente, nisi
per pontem commodè transire Pontifex
non potuisset.

Traditione item constat à maioribus acceptâ, Beatissimam Virginem Mariam cùm adhuc in vivis esset, hujus tenoris

 Epi-

Epistolam, pietatis, & amoris plenam ad Florentinos dedisse (ne soli Mamertini in Sicilia datis ad se Deiparæ litteris glorientur): *Florentia Deo, ac Domino Jesu Christo filio meo, & mihi dilecta: Tene fidem; insta orationibus, roborare pietate; his enim sempiternam salutem apud Deum, & apud homines gloriam consequeris.* De cujus Epistolæ fide, ac veritate dubitant viri pij, & docti: nec immeritò, cum Florentia primam Evangelicæ doctrinæ veritatem didicerit à Paulino, & Frontino Sancti Petri Apostoli discipulis, anno salutis humanæ quinquagesimo sexto, ut ex vetustis Annalibus, & maiorum traditione constat. Mihi est animus rem in medio suspensam relinquere; nec aliquid certò definire, tum quia ab instituto nostro aliena; tum quia multis, & gravibus difficultatibus est obnoxia. Illud certum: Florentinam gentem, magnæ Dei Matris cultui impensè deditam esse, eamque filiorum amore prosequi, & quasi Dominam, & Patronam colere. Illius ductu, auspicijsque foris adversus hostes fortissimè bellavit; domi Rempublicam sanctissimis legibus, & moribus laudatissimis stabilivit, imperium terrâ, marique protulit, & ad summum felicitatis apicem evexit, quod nostrâ etiam ætate videmus, Magnorum Ducum potentiâ, & virtute nixum, maiora indies incrementa capere, ingenti, vel felicitatis, vel sapientiæ fama, & cum magnis Urbibus, nobilissimisque Europæ regnis de militari gloria, de opum affluentia; &, quod caput est, de singulari erga Deiparam Virginem observantiâ, & pietate contendere.

Fr. Hieron. Savarola in serm. habito Florent. An. 1495. die 25. Octobr. Castr. in Hist. Deipara cap. 23. Joan. Bapt. Cancellotus Societatis Jesu in Annal. Mar. ad annū V. & 56. Ughellus to. 3. Ital. sacra sub Archiep. Florent.

S. Joannes Baptista.

Secundus à B. Virgine Mariâ Florentinæ Urbis Patronus est Sanctus Joannes Baptista, ut ex supra citato Ordinationū libro apparet, & ex multorum scriptorum testimonijs. Ille Florentinæ gentis personam gerere, & partes agere videtur; ipsius nomine administrari Respublica, sanciri leges, creari magistratus, indici contra hostes bella, & de justis pacis conditionibus deliberari, in more positum est: cum pugnam ineunt milites, ut sibi animos faciant, & terrorem hostibus incutiant, in prima, quæ vehementior esse solet, impressione, magnis vocibus inclamant *Sanctum Joannem Baptistam, Sanctum Joannem Baptistam*: hostium etiam Urbes, & expugnatæ à Florentinis arces non alij, quàm Beato Joanni Baptistæ deditionem facere compelluntur. Et quemadmodum Veneri cuncta Reipublicæ munia, & magni momenti negotia Sancti Mar-

Codex m. s. ordin. Florent.

Laurent. Borghin. de Reb. Florent.

Ughell. tom. 3. Ital. sacræ sub Archiep. Florentin.

Marci nomine, & authoritate facere, statuereque dicuntur; sic Florentini Sancti Præcursoris nomine, & auspicijs cuncta gerere, ac decernere consueverunt. Sacræ illius memoriæ vetustum Martis templum in summâ apud Ethnicos religione habitum, Christianis cæremonijs expiatum dedicarunt, & Basilicam Urbis principem reddiderunt. Inde profectum, ut Florentiæ Episcopi non semel in Concilijs, Synodis, & donationibus pietatis causâ factis, se inscripserint *Episcopos Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ*. Procedente tempore, Sedes Episcopalis ad Sanctæ Reparatæ (modò Sanctæ Mariæ de Floribus) quòd capacius, & augustius esset templum, translata est. Baptistæ etiam nomine, & effigie monetam cudere soliti erant veteres Florentini, eaque in ipsum amoris significatione cliētum obsequium, & servorum observantiam testari: quem postea morem Serenissimi Etruriæ Duces retinere voluerunt, latâ ad posteros lege, ut in alterâ monetæ facie Sanctissimi Præcursoris imago, in altera vetustæ Florentiæ Insignia inciderentur. Itaque Gens Florentina quibuscumque potest modis magni Baptistæ nomen, & gloriam illustrare non desinit: nec ille à suis se vinci clientibus patietur, sed religionis obsequia, & officia ergà ipsum pietatis exhibita, beneficijs de Cælo præstitis compensabit, & nomina Tutelaris, ac Patroni Urbis Florentinæ factis implebit.

Sancta Reparata V. & M.

Reparata, Virgo Sanctissima imperante Decio, sævissimo Christiani nominis hoste, Cæsareæ in Palestina martyrij palmam obtinuit; quam Florentini eo nomine sibi Patronam delegerunt, quòd anno reparatæ salutis humanæ 406. illius ope, & interventu, Rhadagaisum Gothorum Regem, non sine magnâ Barbarorum strage, acie superarunt. Irruperat in Italiam Barbarus ducentis armatorum millibus stipatus, & continentis incendij more, obvia quæque ferro, flammisque latè vastaverat; Romam, orbis Caput, & Christianæ Religionis arcem aggredi, ac diripere agitabat animo: morabatur victoriarum cursum Florentia in medio Italiæ sinu furētibus Barbaris objecta, & valido bellatorum præsidio munita: illam tyrannus obsidione dirâ premere decrevit; machinis primùm bellicis quatere, crebris assultibus tentare; muros actis sub terra cuniculis subruere; turres demoliri, modisque omnibus oppugnare institit, donec cognito Stiliconis, Ducis egregij, adventu, qui suppetias obsessæ Urbi ferebat, obsidio-nem

Codex. m. s. in Tabul. Urbis Florent.
Baonius tom. 5. Annal. Eccles. ad Ann. 416.
Spond. eodem Anno.
Paul. Oros. lib. 7. cap. 37.
Scriptor. Impp. sub Arcadio, & Honor.
S. August. lib. de Civitate Dei.

nem solvere coactus est; ac inde discedens in Campo Mugnonio Castra locavit, ubi milites Florentini, conjunctis cum Stilicone viribus, magno animo Barbaros aggressi, eos immani clade prostrarunt die octava mensis Octobris, quâ Sanctæ Reparatæ V. & M. festum Catholica celebrat Ecclesia. Visa fuit Virgo Reparata in medio ardore certaminis multis Angelorum millibus comitata, aureis armis instructa super Florentinas primùm acies volitare; totum deinde Gothorum exercitum impellere, loco movere, & in fugam agere, & magnâ clade afficere, & Mugnonium late campum fuso hostium cruore inundare: fassi sunt hostes ipsi, divinâ se magis virtute, quàm humanâ victos fuisse: tanti beneficij memores Florentini, grati animi causa, Basilicam magnificentissimam *Sanctæ Reparatæ* titulo posuerunt, quam postea mutato nomine *Sanctæ Mariæ de Floribus* appellarunt; admirandi fornicis, seu testudinis altissimæ structura, hemisphærij in modum fastigiatam, (cupulam vocant Itali) vix, credibilem ei, qui oculos solùm judices tantæ altitudinis, & magnificentiæ habeat; qua nihil augustius, nihil ingeniosius, nihil elegantius in universa Europa visitur. Hanc ob rem Florentini Cives Reparatam V. & M. Urbis suæ Patronam delegerunt; eamq; *Patronam* vocat manuscriptus codex Ordinationum, de quo suprà meminimus, Reipublicæ Florentinæ, qui ipsa vetustate fidem, & authoritatem à nobis dictis conciliat.

Paulus Minius lib. de nobilit. Florent.

Vghell. tom. 3. Ital. sacr. sub Archiep. Florent.

Sanctus Zenobius Episcopus, & Confessor priscâ, & nobili Hieronymorum Familiâ natus Florētiæ, virtutibus quàm parentibus illustrior, Ecclesiam Florentinam sibi cōmissam laudabiliter gubernavit ab anno Christi 390. ad Annum 407. uno semper, & æquali vitæ innocentis tenore. Sanctis Hieronymo, Damaso, Ambrosio, Augustino, & Paulino; quantis viris? non inferior, vel divinarum scripturarum peritia, vel excellentium professione virtutum; mortuos duos, dum in vivis esset, fusis ad Deum precibus, ad vitam revocavit. Senio confectus, ac meritis plenus, cæloque maturus migravit ad Superos die 25. Maij Anno Christi 407. ut scribit Vghellus; sepultus in Ecclesia Ambrosiana, nunc *Sancti Laurentij* nominata: multis post mortem claruit miraculis; inde ad primarium Urbis templum solemni pompa translatus, insigni prodigio cælestem suam virtutem prodidit, & plausum affluentis undique populi excivit: nam cùm feretrum, quo por-

S. Zenobius.

Mombrit. de SS. Petrus de Natal. Joan. Tortel. Aretin.

Ferdin. Vghell. to. 3. Ital. sacr. sub Archiep. Florent. Simplician. Mediolan. Archiep. in Vit. Zenobij. Laurent. Amalphit. in ejus Vita.

Clemens Mazza. Vgolinus Vvarin. Silvanus Razzius de SS. Florent. Borghinus de Antiquit. Florent. Ferrar.in Catalog. SS. Ital. die 25. m. Maij.

portabatur defuncti corpus, obviam in via ulmum aridam, & mortuam leviter attigisset, subitò ista revixit, & vestita frondibus flores protulit, non sine adstantium admiratione. Eo ipso in loco ad alendam tanti prodigij memoriam, columna marmorea cum hujusmodi inscriptione erecta est:

Anno ab Incarnatione Domini CCCCVIII.
Die xxvi. Januarij tempore Imperatorum
Arcadij, & Honorij, anno xi. feria quinta,
Dum de Basilica S. Laurentij ad maiorem Ecclesiam
Florentinam corpus S. Zenobij Florentinorum
Episcopi, feretro portaretur, erat hoc in loco ulmus
arida tunc existens, quam cùm feretrum sancti
Corporis tetigisset, subitò frondes, & flores miraculosè
produxit: in cujus miraculi memoriam Christiani,
Civesque Florentini in loco sublatæ arboris
Hanc columnam cum cruce in signo notabili
Erexerunt.

Urbem patriam Zenobius à multis jam sæculis *Patroni* titulo protegit, ac tutatur, ut in supra citato Ordinationum Codice habetur: *Florentinæ Civitatis*, inquit Ughellus, *Protector est, ejusque festum solemni ritu celebratur die 25. Maij; qua etiam Vrbis ejusdem Senatores, habitu ad dignitatem, & religionem composito, ad aram se sistere, & inter Missarum solemnia Archiepiscopo sacrum facienti dona offerre antiquo de more solent pietatis, & obsequij argumento, ut Zenobij Sanctissimi sui Præsulis, ac Patroni precibus salutem sibi, ac Reipublicæ felicitatem à Deo obtinere possint.* Baronius Cardinalis tomo secundo Annalium Ecclesiast. ad Annum Christi 274. non immeritò suspicatur, Zenobium à Zenobia Odenati conjuge, Palmyrenorum Regina, excelsi animi Heroina, quam Imperator Aurelianus armis victam in triumphum Romam duxit, nomen, & originem traxisse: Ughellus hanc Baronij suspicionem multis improbat rationibus, ut pote sola nominis affinitate constátem. Eusebius certè, & Eutropius narrant, illam in Urbe senio cōfectam obijsse, ac filios sibi superstites reliquisse de Matris nomine Zenobios appellatos. De Sancto Zenobio Vatinus non ignobilis Poeta Florentinus ita cecinit libro 7. Epigrammatum ad Matthiam Pannoniæ Regem:

Ferdin. Vghellus.

C. Baron. tom. 2. Annal. Eccl.

Vghellus citatus.

Euseb. Cæsariens. Eutropius.

Varinus Poeta.

He-

Hetruscæ Antistes colitur Zenobius Urbis.
Ista Florentinis est celebranda dies.
Hic Augustini comes, Ambrosijque sodalis
Ingenio clarus, clarus & eloquio.
Legatum hunc Damasus Byzanti misit ad Arcem
Cùm Getico arderent Dardana tecta rogo.
Arrius Ausoniâ cùm tanquàm pestis in Urbe
Serperet, Ecclesiæ dira venena vomens.
Ast opere, & sermone potens Zenobius omnem
Pestem exturbavit finibus Italiæ.
Non aliter cælo nubes Aquilone sereno
Pelluntur, mundo fulget & axe dies.
Sic tunc alma fides Christi candore nivali
Enituit nullis commaculata notis.
Felix ô nimium Florentia Præsule tanto:
Pastoris mores nunc imitare tui.
Undecies centum orator Zenobius annos
Mitigat irati numina læsa Dei,
Ut patriæ parcat, venturosque arceat hostes
Peccantis populi nec meminisse velit.
Innumeris erepta malis Florentia servat
Jus libertatis, servat & imperium.

Sanctum præterea Miniatem (Miniam vocant alij) Philippus Ferrarius Florentinæ Urbis, & Gentis *Patronum* appellat: martyrij palmam adeptus est, imperante Decio die 25. Octobris, eo ipso loco, in quo hodie Ecclesia *Sanctæ Candidæ ad Crucem* visitur: ibi truncatum gladio caput suis ipse manibus apprehendens, trajecto Arno fluvio in proximum detulit collem, ubi Sancti Petri Ædicula erat, quam postea de illius nomine Florentini dixerunt, & in ampliorem formam redactam Servitis Fratribus donarunt: temporis verò decursu, Magni Ducis Etruriæ jussu, intra muros vicinæ Arcis recepta est, & Presbyteris sæcularibus assignata, Servitis aliò transire coactis. De qua fusiùs egimus in nostra Lusitania Infulata, & Purpurata Parisijs edita typis Cramoysianis, in Vita Cardinalis Jacobi, Joannis I. Portugalliæ Regis nepotis, cujus corpus in eâdem Sancti Miniatis Ecclesia quiescit nobilissimo mausoleo inclusum. S. Miniates.

SENA,

VRBS Archiepiſcopalis Etruriæ à Gallis Senonibus, ut viri docti exiſtimant, nomen traxit. Pontifices quatuor Romanæ Eccleſiæ dedit, nempe Alexãdrum III. Pium II. Pium III. & Alexandrum VII. Et ſi his addas Paulum V. Burgheſium, quinque. A Sancto Martiale B. Petri Apoſtoli diſcipulo, Evangelicæ veritatis lucem hauſit, & à S. Anſano cive Romano, Tranquilli filio, ad Arbij amnis ripam anno 303. martyrium paſſo, imperantibus Diocletiano, & Maximiano. Adulta jam Chriſti Religione, & per orbis regiones latè propagatâ; Minervæ delubrum in Deiparæ Eccleſiam Senenſes converterunt, quam multis poſt ſeculis Pius Secũdus ad Metropolitanæ dignitatem evexit, quatuor additis ſuffraganeis Epiſcopatibus, Cluſino, Groſſetano, Maſſenſi, & Suano. Speciosa, & magnifica exterior templi facies maieſtatis, & artificij plena eſt; quam tamen interior pulchritudo, & religio longo ſuperat intervallo. A limine proſpectus in orbem circumductus luminibus undique infuſis præſtringitur: tectum, latera, parietes, ſacella oculos ad ſe convertunt, animos admiratione defigunt. Suprà micat auratum tectum varijs emblematis diſtinctum, & figuris picturatum, ſtellato par, vel æmulum cælo: infrà pavimentum pretioſo ſtratum marmore oculos ad videndum incitat, pedes detinet, ut piaculo propè ſit calcare illud ſolum omni tecto nobilius, & pretioſius: Urbem verò ipſam non ſemel vidi, nec vidiſſe ſemel ſatis fuit; primò cum Romam citatis equis peterem miſſus à Sereniſſima Chriſtina, magni Guſtavi Adolphi filia, Regina Sueciæ: ſecundò, cùm poſt exactos in Urbe viginti annos, in Luſitaniam me reciperem. Urbis pulchritudo, Ædium elegantia, templorum religio, Civium comitas; & quod caput eſt, dulcis Sanctæ Catharinæ, Sancti Bernardini, & aliorum pietate

Cæſar Orlandus. Auguſtin. Dathus. Jugurth. Thomaſius in Hiſt Senenſ. Landulph. Columm. Orlãd. Malavolta. Ferdinand. Vghellus tom. 3. Ital. ſacræ. ſub Archiep. Senenſ. Aubertus Miræus in notit. Epiſcop. Cardin. Baron. in not. ad Martyrol. Rom. die 1. Decẽbr. Tabular. Eccleſ. Senenſ. Petrus in Catalog. Sanctor. l. 1. c. 14.

illustrium virorum, qui Senæ habuere natales, memoria, properantem in Hispaniam morabatur, ac eidem affigebat loco, nec indè evelli sinebat. Discessi tamen, ut maiorum mandatis obtemperarem, ab Urbe Virginis Mariæ, sic illam cõmuni sermone dicunt; tanta est enim Senensis populi in Deiparam pietas, tantus amor, ut in ea colenda, & ornandis ipsius templis, & in concinendis diù noctuque Mariæ laudibus omnes curas suas, & cogitationes consumere videatur. Illam à multis jam seculis Patronam habet, & Tutelarem, & expressas vivis coloribus ipsius imagines supra Urbis portas depingi jussit, ut omnibus de sua in B. Virginem pietate constaret, quæ perpetuas ad Senensis Urbis portas agebat excubias, ut eam ab hostium insidijs, & assultibus tutaretur. Hanc ob rem ubique gentium Sena *Civitas Deipara* dici meruit; idque nomen gloriæ, & honoris plenum tam sibi proprium, & peculiare fecit, ut non in publicis tantùm patriæ Annalibus, & monumẽtis, sed in privatis etiam litteris, & subscriptionibus illud passim usurpare soleat his conceptis verbis:

Sena vetus civitas Virginis.

DE alijs Divis Tutelaribus Senæ, sic habetur in Libro cui nomen *Academia Intronatorum* Alexandro VII. Summo Pontifici dicato: Sanctus Ansanus Anicius (de quo suprà meminimus) Martyr, Urbem Senensem ab Idolorum cultu expiatam in Divæ Virginis cultum, & patrocinium asseruit, ut majorum traditione constat: martyrium passus est sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, capite truncatus quarto ferè à Senensi Urbe lapide ad Arbiam, vel Arabiam amnem Anno Christi 303. Anno autem 1107. die 6. Februarij sacrum illius corpus Senas translatum in Æde Cathedrali quiescit, simul cum corporibus Sanctorum Crescentij, Savini, & Victoris, qui omnes in Patronos electi fuerunt. Hi Senæ Patroni. Consule Petrum de Natalibus, Sylvanum Razzium, Joannem Baptistam Gorum, & Jugurtham Thomasium, Cæsarem Orlandinum, & Augustinum Dathum rerum Senensium Scriptores.

PISANA CIVITAS.

VRBS Pisana Archiepiscopalis in Etruria, vetusta, & nobilis, Primatûs etiam titulo, & dignitate clara per Corsicam, & Sardiniam Insulas: *Potentissima*, inquit Spondanus, *Civitas, maritimisque in primis viribus, à Principibus quibuscumque timenda, & erga Sedem Apostolicam addictissima.* Rem strenuè armis gerens domi utilitatem publicam, foris imperium propagavit. Musato olim Sardiniæ Rege capto, Insulam suæ ditionis fecit; quemadmodùm, & Baleares, eorum Rege occiso, & filijs in servitutem abductis. Panormitanam item Urbem Siciliæ principem à Saracenis occupatam armorum vi cepit, & in Christianam libertatem asseruit: quo effectum, ut in tribus simùl maris Insulis suarum victoriarum trophæa, seu virtutis bellicæ, seu Catholicæ Religionis Insignia explicaret. Nec se intra fines Europæ Pisanorum virtus, & potentia continuit; sed mare trajiciens pervasit in Africam, & Palæstinam. Bellantibus in terra Sancta adversus fidei hostes Principibus Christianis, non semèl suppetias tulere Pisani, instructis, eòque missis multarum navium classibus, & munitissimis ipsorum ope, Saracenorum Urbibus expugnatis. Ex ijs facilè erit de reliquis conjecturam facere. Hanc ob rem Alexander III. Summus Pontifex à militari virtute, & promovendæ fidei studio Pisanos laudat in litteris datis Anagniæ III. idûs Aprilis, Anno Dominicæ Incarnationis 1176. *Quia Pisana Civitas*, inquit, *favore cælestis Numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequentèr obtinuit, & eorum Vrbes plurimas subjugavit, ut amplius honoretur, equo albo, cum navo albo, in Processionibus utendi, & crucem, vexillum scilicet Dominicum, per subjectas vobis Provincias portandi tibi (idest Vbaldo Archiepiscopo) Apostolicæ Sedis Legato, tuisque successoribus licentiam damus.* Idem ferè concessit Pisanis Archiepiscopis pri-

C.Baron. tom. 12. Ann. Eccl. ad Ann. Christi 1132.
Cassan. in Catalog. glor. mund. part. 4. consid. 19.
Spond. in Epitom. Annal. ad An. Christi 1133.
Vivian. de Jure Patron. p. 1. l. 2. & 12.
Illescas p. 1. l. 5. c. 16.
Bleda in Hist. Hisp.
Ferdin Vghell. to. 3. Ital. sacr. sub Archiep. Pisanis.
Paulus Troncius in Annal. Pizanis m. s.
Laurent. Bonincontrus in Hist. m. s. Pisar.
Aubert. Miræus in notit. Episcop. orbis Christiani.

privilegium, vel ab alijs jam Pontificibus concessum, confirmavit Innocentius III.

Innocentius III.

Vetustum Pisanæ gentis stemma fuit Crux argentea in areola rubra: de quo sic scribit Laurentius Bonincontri in sua Historia m.s. quæ Romæ asservatur in Bibliotheca Vaticana: *Præterea Gelasius Pontifex, cum sciret Pisanos pro adeptione Maioricæ multa expendisse, auxisseque fidem Christianam, in tantæ rei præmium Boreales eas Insulas in feudū eisdem Pisanis concessit, donavitque eos vexillo rubro, cum cruce argentea, obtusis Capitibus*: eo videlicet nomine, quod signum Crucis in illas insulas victricibus armis intulerant, & Christianam Religionem inter incolas propagaverant. Et paulò inferiùs meminit de quadam donatione ab Urbis Pisanæ Magistratibus fieri solita Ecclesiæ Cathedralis operarijs (sic vocat): additque in istius donationis instrumento publica authoritate conscripto, & à multis jam seculis confecto, sigillum Urbis conspicitur proprijs illius ævi Insignibus insculptum in altera; scilicet parte, Deiparæ Virginis effigie. Aquila verò nigra Imperij stemmate in altera impressa. Has donationis litteras fusiùs, & distinctiùs explicat Ferdinandus Ughellus tomo 3. Italiæ sacræ, sigillis duobus munitas; in quorū primo MARIÆ Virginis sedentis effigies visitur hoc lemmare: *MATER DEI*: alia similiter inscriptione sigillum ambiente: *Sigillum Sanctæ Mariæ Civitatis Pisanæ*: hoc ipso utitur Ecclesia Metropolitana. In altero expressa visitur Aquila furvi coloris, cum hujusmodi versiculo:

Laurent. Bonicontr.

Ferdin. Vghell. sub Archiep. Pisan. a pag. 465.

Vrbis me dignum Pisanæ nomine signum.

Ex quo benè infertur ea fuisse tum temporis Urbis Insignia: nam sæpè Imperatorum partes secuta, ut eorum sibi gratiam conciliaret, Insignia Imperij desumebat: licet Gelasij II. Sūmi Pontificis tempore, ijs abjectis, inquit Ughellus, albam Crucem in area rubra dum pro recuperanda Hierosolyma bellum gererent adversùs Saracenos Pisani præferre consueverint. Aquilam verò Imperatoriam publicis Insignibus appinxerunt, relicta Cruce, ut Friderico Ænobarbo morem gererent schismatico Imperatori, Alexandri III. Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ hosti acerrimo.

Ex quibus liquidò apparet non unum, sed multiplex, & varium pro varietate scilicet temporum, ac Principum, quibus serviebant, Pisanorum stemma fuisse: primum, ac nobi-

lius fuit Crux alba in campo rubro à Romanis Pontificibus concessum ob res à Pizanis Ducibus præclarè gestas in bellicis expeditionibus contra Fidei hostes susceptis, tum in Hierosolymitana, tum in Balearica. Secundum, & minus nobile, Aquila furvi coloris, cùm Pizana Resp. antiquæ pietatis oblita schismaticorum partes Imperatorum secuta ; ijs adhæsit schisma foventibus, & Ecclesiæ Romanæ pacem impio bello turbantibus ; quapropter dignitate Episcopali privata, jureque, quod habebat in Sardiniam Insulam exûta fuit ; idque Pontificia authoritate translatum in Jacobum II. Aragoniæ Regem, cujus filius Alphonsus ingenio pugnax, ac manu promptus ingenti bellicarum navium classe in Sardiniam vectus, illam, Pizanis armorum vi pulsis, in suam potestatem redegit anno Christi 1322.

Nonnulli Authores affirmant ab illis demissa fuisse Crucis candidæ insignia à Pontificibus concessa, & Aquilæ furvæ assumpta, in gratiam Imperatorum. His tamen Authoribus fidem habẽdam non esse multis ostendit rationibus ab antiquitate petitis Bartholomæus Castrocari, Ecclesiæ Pizanæ Canonicus, & rerum Pizanarum valdè peritus, litteris ad me datis dum Romæ Pænitentiarium agerem ad Sancti Petri in Vaticano, quarum summa hæc esse videtur : *Nam moneta per id ipsum tempus à Pizanis cudi solita, Crucem habebat ex altera parte ; ex altera verò Aquilam furvi coloris. Item, quia in principe Vrbis templo depicta visitur Pizana classis subactis Insulis Balearibus Patriam repetens, passis velis, & vexillis militaribus ad ventos explicatis Pontificio simul stemmate, & Imperatorio insignitis, argentea videlicet cruce in alveolo rubro, & Aquila nigra in aurea Parmula.* Utcumque fuerit superioribus seculis ; hac ætate insignia Pizanæ Urbis sunt, Crux alba extremis quatuor partibus in triangulum reductis, singulis angulis in totidem orbiculos desinentibus ; nisi si illi flores sunt orbiculares ; campus est purpureus præter legem armorum, quæ vetat ne color super colorem cadat ; sed hoc privilegium dãdum est Cruci, quæ sibi vendicat sanguinem ; scuti forma quadrata potiùs quam rotunda, sed quadrum obtusum superiori parte latius, inferiori angustius, lateribus introrsum actis. Corona imminet regia pinnulis distincta pyramidalibus, fastigiatis in rotundos globulos partim floridos, partim globatos, succedanea varietate ad dignitatem, & voluptatem cõposita.

Barthol. Castrocari.

Illud satis constat Pizanam gentem partis olim de Saracenis hostibus victorijs illustrem, nec minus opibus, quàm armis inclytam, navalibus postea attritam prælijs, consumptis opibus, viribusque accisis de summo felicitatis apice dejectam, Magnorum modò Etruriæ Ducum ditioni, imperioque subesse, quorum auspicijs, & legibus felicissimè gubernatur. Ad tuendam præterea vetustæ Urbis dignitatem, & pristinum Civium splendorem conservandum, Magnus Dux, & Pater patriæ Cosmus, Mediceæ Domûs Author, & Assertor, Equestrem Sancti Stephani Ordinem ibi instituit ad frænandam Turcarum audaciam, & eorum potentiam comprimendam, cujus illustrissimi Ordinis magni Magistri esse solet Serenissimi Etruriæ Duces.

Ferdin. Vghell. to. 3. Ital. sacra sub Archiepisc. Pizanis. Francisc. Mennenius de Ordinibus Militaribus.

Pizis ego brevi moratus multa sanè spectatu digna vidi; Urbem ipsam ædificijs nobilem, sed parùm frequentem ob aëris inclementiam; pontem magnificum Arno fluvio impositum; Ecclesiam Cathedralem Deiparæ Virgini dicatam candido, ac Pario vestitam, & stratam marmore, columnis è lapide porphyretico, & serpentino marmoreo fultam, atrijs quinque distinctam, altaribus quadraginta, & suggestu pulcherrimi operis ornatam, portis sex apertam; quarum primariæ mole ingentes, sculpturâ insignes, pretio inæstimabiles, solido ære constant varijs figurarum modis animatæ, imaginum, signorum, iconum, luxuriante in flores, & ramusculos artis licentia, & styli artificis elegantia, quæ duritiem æream in mollitiem ceream crispatis laboribus convertisse videntur. Hæc in gratiam Pizanorum ab instituto nostro aliena scripsisse sufficiat. Modò de illorum Divis Tutelaribus agendum.

Sãctissima Virgo Maria Patrona Pizanorũ.

Sanctissimam Dei Matrem Virginem Mariam in Cælum Assumptam à multis jam seculis Patronam colunt, ejusque nomine dicatam habent Ecclesiam Cathedralem, operâ, & industriâ Comitissæ Mathildis excelsi animi, & eximiæ pietatis Heroinæ; quam Gelasius Pontifex solemni ritu consecravit, dicavitque, ut in Codice m. s. ejusdem Ecclesiæ habetur, his verbis: *Kalẽdis Octobris Gelasius 2. Almæ Vrbis Romæ, & universalis Ecclesiæ Summus Pontifex novam Pizanorum Ecclesiam in honorem gloriosissimæ, semperque triumphantis Virginis Mariæ consecravit.* Prostat ejusdem effigies ab Horatio Riminaldo, magni nominis pictore, expressa, multis hinc inde

Ange-

Angelis cincta; in amplo testudinati operis hæmisphærio: addita litteris aureis hujus tenoris epigraphe: *Virgo Maria Mater Dei protege Pisas.* Illius nomen inclamare in bellicis conflictibus Pizani soliti erant; & Civilis, ac Politicus Magistratus ad Remp. benè gerendam Dominam, ac Patronam habere. Ecclesia Cathedralis, de qua paulò ante meminimus; à Beata Maria nomen traxit; illius vero Canonici *Marienses*, seu *Mariani* vulgò dicuntur, quòd sint Mariæ Sanctissimæ clientes fidissimi, ejusque honoris tuendi, & promovendæ gloriæ in primis studiosi. Nullibi festæ illius dies, & sacra mysteria solemniùs, & religiosiùs celebrantur. Visitur sub organis ejusdem Ecclesiæ pulcherrima Deiparæ effigies ipsa antiquitate venerabilis, holoserico semper velo cooperta ut maiorem cōciliet, cum Fidelibus ostenditur, statis anni temporibus, reverentiam: huic ornandæ, ac serviendæ perpetuò invigilat nobilium fœminarum sodalitas, quas communi vocabulo *Canonicas* appellant, certis quibusdam, ac sanctis legibus instituta, quas diligenter observat; huic etiam nomen dedit Serenissima Dux Etruriæ Victoria de Rovere. Cùm grave aliquod Reip. infortunium impendet, in more positum est Sacram B. Virginis effigiem de loculo suo deponere, & in medio choro collocare, ibique manere per octiduum Fidelium precibus, & venerationi expositam. Ultima verò die publicam omnium Ordinum supplicationem Pizani instituunt, & Deiparæ imaginem sublimi feretro bellissimè adornato impositam per Urbis plateas circumferunt tanto civium concursu, & pietatis sensu, ut nihil Deo gratius, nihil Deiparæ gloriosius, nihil mortalibus jucundius spectari posse videatur. Festi Deiparæ dies, qui Romanæ Ecclesiæ more ubique gentium ritu minùs solemni coli jubentur, Pizis ritu duplicis secundæ classis celebrantur. Illud præterea scitu dignum à maioribus traditum accepimus: omnes Ecclesiæ Cathedralis Canonici, alijque viri sacri, qui ad persolvendum D. Officij pensum tenentur, recitare etiam antiquo de more solent in choro Officium parvum B. V. Mariæ non nisi stantes in signum reverentiæ, & pietatis. Tantus Pizanæ gentis in Deiparam amor est, & religionis studium, ut verbis explicari non possit; de nulla re magis ab ineunte ætate cogitare solet, quàm de Mariana gratia obsequijs promerendâ, ejusque intercessione apud Deum Filium omnibus, quibus potest modis, solicitandâ.

S. Raynerius.

Acta Eccl. Pizanæ Ferrar. in Catal. SS. Ital. ad diem 27. Junij. Silvan. Razius de Sanct. Etruriæ. Barthol. Castrocri in litteris ad me dat. Pizis 22. Julij 1663

Secundus à B. Virgine Maria Pizanæ Urbis Patronus est S. Raynerius in eâdem Urbe claro loco natus; sanctissimè vixit, obijtque, sedente Paschali II Pontifice Romano, & Hērico hujus nominis IV. Imperatore. Paucis ante annis Eminentissimus Cardinalis Scipio Delcius, meritissimus ea tempestate ejusdem Urbis Antistes, obtinuit à Sacra Rituum Congregatione, ut B. Raynerius officio proprio coleretur die 17. mensis Junij, in quam incidit ipsius obitus. Causæ, eligendi Raynerium Pizanæ Urbis Patronum fuere, illius inter Pizanos natales, vita pijssimè exacta, & innumera in suos Cives, & clientes beneficia.

Sanctum etiam Jacobum Maiorem Apostolum Pizanorum olim Patronum fuisse memorant: Friderico enim hoc nomine Secundo, Neapolis Rege, & Germaniæ simul Imperatore, contigit, ut duo Pizani Duces Oddo Gualdulius, & Rogerius Piscis, comparata valida navium classe in Moreàm (sic vocant) vela facerent, pugnandi studio incensi contra Fidei Christianæ hostes: commisso cum ijs prælio, diù ancipiti Marte pugnatum in neutram partem inclinante victoria; donec Sancti Jacobi nomen iteratis vocibus invocantes de extruendo in ipsius honorem templo votum emiserunt, in eo videlicet Christianorum portu, ad quem primùm appulissent: & voti compotes facti sunt, insigni de hostibus parta victoriâ, eorum navibus partìm captis, partìm demersis, paucis dumtaxat fugâ elapsis. In Neapolis deinde portum secunda navigatione delati die 29. Julij, Anno Christi 1238. Patrono suo Jacobo Apostolo templum ædificarunt, quod procedente tempore *S. Jacobi Gladeseri* nomen accepit, in eo enim ejusdem Militaris Ordinis Equites initiari consueto de more solent. Hi primarij Pizanæ Urbis Patroni.

Supersunt alij minus præcipui, nempe quadraginta Sancti Martyres, quorum festū in nonam diem Martij incidit. Item decem mille Martyres 22. Junij; S. Sixtus Papa, & Martyr 7. Augusti. Beata Justina Virgo, & Martyr 7. Octobris, eo scilicet nomine à Pizanis electi, quod diebus eorum natalitijs, vel Martyrio sacris, illustres anteactis seculis de hostibus victorias reportarunt.

Georg. Cardos. to. 2. Agiolog. Lusit. ad diē 23. Aprilis

3. Restat agendum de Sancto Torpete Martyre, quem Georgius Cardosus, Lusitanus Author, pius, & eruditus tom. 2. sui Agiologij, Patronis Pizarum adnumerat. Ut de re tanti mo-

men-

menti certior fierem, scripsi dum Romæ versarer, ad D. Bartholomæum Castrocari, de quo sæpè mentionem feci, ut quid ipse de B. Martyris patrocinio sentiret, pro singulari, quâ pollebat rerum Pisanarum eruditione, mihi per litteras significaret. Rescripsit is in hunc modum: *Torpetem Martyrem inter Pisanæ Vrbis Patronos secundarios locum habere posse; officio enim duplici coli solitum ad annum usque 1616. ab anno deinde 1617. officio duplici secundæ classis celebrari cæpisse: propriam verò illius diem, ut festam inter Cives Pisanos haberi, quam postea, ut Vrbani VIII. bullam observarent, expeditam anno 1642. Archiepiscopi nefastis diebus adnumerarunt. Cæterùm quia anno 1631. ipsa B. Martyris die natalitia, lues pestifera, quæ per totam Vrbem dirissimè grassabatur, remittere de rigore capit, ne uno quidem è civibus ea die extincto, nec etiam leviter infecto; tanti beneficij memor sacer simul, & politicus Magistratus, edito communi consensu decreto sancivit, ut singulis deinceps annis, solemnis ad ipsius Martyris templum iret totius Cleri supplicatio; ibique in gratiarum actionem, Missæ sacrificio interesset: sic deinde annis sequentibus factitatum die 29. Aprilis, qua Martyrium passus est, licet in alijs Ecclesijs 17. Maij, qua sacri illius corporis translatio contigit, celebretur.*

Porrò invictus Christi miles martyrij palmam obtinuit anno salutis humanæ sexagesimo quarto; corpus cymbæ remis, velisque detractis impositum, transmisso Gaditano freto, & promontorio sacro, quod nunc *Sancti Vincentij* appellatur, Angelo cymbam gubernante, feliciter superato, ad portum *Sines*, in confinijs Algarbij, & Lusitaniæ, tandem appulit, ubi fæmina quædam nobilis, & pia, nomine Celetina, Martyris corpus excepit, illudque idoneo, pro temporis angustijs, monumento reposuit: Ædiculam etiam ipsius titulo extrui curavit. Latuit eo ipso in loco multis seculis sacer ille thesaurus, occupata à Saracenis hostibus Hispania, & Sanctorum memorijs alta oblivione sepultis; donec anno salutis Christianæ 1591. singulari Divini Numinis beneficio inventus, erutusque è terræ visceribus, in lucem venit, Archiepiscopo tum temporis Eborensi (in cujus diæcesi Sinense oppidum jacet) Theotonio Brigantini Ducis filio; & ejusdem mandato in Sacrario maioris Ecclesiæ decenter conditus est. Asservari Pisis ejusdem Martyris caput in templo Minimorum Fratrum viri docti, & graves affirmant. Philippus Ferratius in suo Cata-

ta-

Ferrar. in suo Catal. Sanctor. talogo Sanctorum Italiæ, scribit translatum fuisse Torpetis corpus in Galliam Narbonensem, nullum tamen certum designat locum, vel oppidum, in quo quiescat. A Ferrario scripta arripuit Andreas Saussai, nobilis Author Gallus, & in *Andr. Saussai.* suum accommodavit Martyrologium Gallicum part. 2. pag. 1118. A nobis tamen supra tradita confirmantur maiorum traditione ad posteros derivata, & gravissimis Authorum testimonijs roborata. Hi sunt Petrus Galesinus, Julianus Archipresbyter Toletanus, Antonius Vasconcellius, Alvarus Lupus, Antonius de Sousa de Macedo, Joannes Tamaius Salazar, Georgius Cardosus, qui rem cæteris fusiùs, & luculentiùs tractavit tom. 2. sui Agiologij Lusitani ad diem 29. Aprilis. Pater Higuera Societatis nostræ Theologus, occasione sacri corporis apud Sinenses inventi politissimum de Sancti Martyris laudibus poema composuit, quod Theotonio Brigantino Archiepiscopo Eborensi dicavit. Non imus tamen inficias alibi reperiri illius reliquias, ut Leodij ad Mosam, & in Gallia Narbonensi, &c.

RAVENNA

VRBS Flaminiæ, vetusta, & nobilis, Romanorum olim Imperatorum, Barbarorum posteà Regum, Græcorum denique Exarchorum Sedes fuit. Procedente die varias sub diversorum Principum, ac Tyrannorum imperio rerum vicissitudines experta, tandem in Ecclesiæ Romanæ sinu sub Romani Pontificis ditione quievit. Residet in ea Legatus Pontificis Cardinalitia dignitate conspicuus; indèque universam Flaminiam illius nomine, & authoritate gubernat. Eò superioribus seculis nonnulli Ravennates Episcopi audaciæ devenerunt ambitionis aurâ inflati, & Exarchorum potentiâ freti, ut Romano Pontifici se opponerent, & cum illo de Ecclesiæ primatu, & dignitate contenderent. Secundus olìm à Summo Pontifice in Occidente Ravennas Episcopus habebatur. Tiaram, quam Veteres *Chamaurum* vocabant, idest turritam, & turbinatam, duplici coronâ aureâ in orbem, suis intervallis relictis, cinctam, in capite gestare solitus erat; & pallio indui Imperatorio à Valentiniano III. sibi donato: Equo etiam vehi mappulis candidi coloris ornato; quod honoris signum, vel Insigne Constantinus Magnus S. R. E. Cardinalibus olìm concesserat. Nulla certè in orbe Catholico reperitur Ecclesia amplioribus à Sede Apostolica instructa privilegijs (omitto dicere de illius Canonicis Cardinalibus, & Insignibus, quibus utebantur) à Gregorio Magno, ab Honorio II. à Gregorio VII. ab Alexandro III. ab Honorio III. à Gregorio IX. à Bonifacio VIII. à Sixto IV. collatis. Unum, vel alterum levi calamo perstringo; indè facile erit de reliquis conjecturam facere. Licet Archiepiscopo Ravennati ubique gentium Archiepiscopalem Crucem solemni more præferre, cum tintinnabulo, exceptâ Urbe Româ, & tribus circa milliarijs à loco ubi morabitur Summus Pontifex: si-

Aubert. Miræus in notit. Episcop.
Ferdin. Vghell. to. 2. Ital. sacr. sub Archiep. Ravenn.
Hieron. Rubeus in Histor. Ravenn.
Hieron. Fabri p. 1. Memor. sacr. Ravenn.
Blondus l. 2. Histor.
Leo Allatius in suis Animadvers. p. 67.
Annal. Eccl. Raven.
Rubeus Rer. Raven. lib. 6.
M.S. Codex Biblioth. Sancti Vitalis.

gnare etiam, ac signando benedicere ubicùque cum prædictis Insignibus extiterit. Item sub Clemente II. decretum fuit in Concilio Romano, ut Archiepiscopus Ravennas, absente Imperatore, primus sederet à dextris Summi Pontificis: illo verò præsente, primus à sinistris, eaque ratione exorta inter Patriarcham Aquileiæ, & Mediolani Archiepiscopos, & Ravennæ, de præstantia loci, seu præcedentia sedis controversia, quæ per eos dies Romanam Curiam maximè turbabat, composita est, latâ pro Ravennate sententiâ: nec immeritò, cùm illam Romani Pontifices Ecclesiam magnis laudibus in suis litteris Apostolicis passim afficiant; eamque non semèl appellent, *nobilem, Sacrosanctam, famosam, Apostolicam.*

Hieron. Rubeus. Hieron. Fabri p. 1. Memor. sacr. Raven. Azor p. 2. Inst. mor. Vghell. Abbas in Archiep. Raven. p. 359.

Cæterùm ne plus justo Ravennatem Ecclesiam extollere videamur, advertat curiosus Lector, Aquileiæ, quæ anteactis seculis Istriæ, Venetiæque Metropolis erat, Patriarcham inter omnes Italiæ Metropolitas, & Archiepiscopos, secundum à Romano Pontifice locum sæpè tenuisse: primam enim Aquileiensem Ecclesiam, post Romanam, Leo IX. appellavit: Leo etiam VIII. Sedem Aquileiæ secundam à Romanâ vocavit. In Concilio Romano, sedente Clemente II., ad Lateranum coacto, Pontifici in throno Apostolico sedenti Patriarcha Aquileiæ assedit ad dexteram, & Ravennæ Archiepiscopus ad sinistram: ac de ejusdem Patriarchæ in sedendo prærogativâ, rogati Patres Concilij, in illius favorem tulere suffragia, tùm quia Marco Evangelistæ in Sede successit; tùm quia nobilissima quondàm apud omnes habebatur Urbs Aquileia.

Miræus in notitia Episcop. Ambros. Machinus Archiep. Calaritan. in Sardinia Insula de Calar. Primatu.

Tomo II. Concilior. p. 1. pag. 522. & pag. 548.

Illa tamen omni laude superior prærogativa Ecclesiæ Ravennatis dignitatem, & religionem commendare videtur, quam magni nominis Authores litteris prodiderunt, & acceptâ à maioribus traditione confirmarunt. Sancti Appollinaris videlicet, qui primus fuit Episcopus Ravennæ, Successores non nisi columbæ candidissimæ è Cælo delapsæ, & electi à Deo humeris, vel capiti insidentis indicio ad Episcopatum assumebantur. Duodecim eo modo Præsules Ravennæ ab Spiritu Sancto designati numerantur; quod nulli Christiani orbis Ecclesiæ concessum fuisse legimus. Tenuit is eligendi Episcopos modus ab Abderito, vel Aderito Apollinaris discipulo, & Successore, ad Sanctum Severum, qui obijt Anno Christi 348. Ex eo tempore, adultâ jam Christiana Religione, & per finitimas provincias latè propagatâ, desijt apparere columba,

Martyr. Roman. 27. Septembris.

Ferrar. in Catal. SS. Ital.

lumba, & electos ab Spiritu S. Episcopos designare; seu id tribuas vitio temporum, seu irati Numinis contra mortales supplicio: ad Cleri deinceps suffragia, & populi consensum res est delata. Vetusta Ecclesiæ Metropolitanæ Insignia fuerunt Crux alba in areola rubrâ: à dextris columba super volans, Spiritus Sancti Symbolum, ob rationem à nobis suprà adductam: Insignia verò Ravennæ Urbis sunt, Pinus arbor, & gemini hinc, indè Leones in pedes erecti, & pinum ipsam ascendere anhelantes; quorum alter rubri coloris est, in aurea parmula, alter coloris aurei, in alveolo rubro. *Vghell.tom.2. Ital. sacr. sub Archiep. Ravennat.* *Hieron. Rubeus.* *Hieron. Fabri in liter. Ravennæ datis, & lib de Sacris Memor. Ravennæ.*

Urbs ipsa tres sibi adscivit eximiæ Sãctitatis Patronos: hi sunt Sanctus Apollinaris primus Urbis Episcopus, & Apostolus; Sanctus Vitalis, & Sanctus Ursicinus, insignes Christi Martyres: quorum duo primi à tempore, quod hominum memoriam excedit, ut Patroni habentur, & coluntur, ut constat ex vetustis Ravennatum legibus municipalibus, in quibus illi Patronorum titulis afficiuntur. Narrat etiam Hieronymus Rubeus, accuratus, & gravis Scriptor Rerum Ravennatum, quòd Julianus quidam argentarius arte, vir pius, & illa ætate ditissimus, Ædes sacras in honorem Sancti Vitalis ædificavit; Ursicinus igitur, qui tum erat ejusdem Urbis Episcopus, illi persuasit, ut etiam in B. Apollinaris honorem alterius Ravennæ Patroni, Ædes alias ædificari curaret, ut geminatâ munificentiâ, & pietate geminos Protectores condignis titulis, honoribusque afficeret, & potentes apud Deum Advocatos, & Intercessores haberet. Quibus motus rationibus Julianus sacras etiam Ædes in honorem Sancti Apollinaris extruxit in ea Urbis regione, quam communi vocabulo dicebant *Classe*: modò tribus ferè milliarijs ab Urbe ipsa disjuncta, (tantum Ravenna recens ab antiqua Ravenna decrevit) ut probat vetusta marmoreæ tabellæ inscriptio in hunc modum: *Beati Apollinaris Basilicam mandato Beati Ursicini Episcopi à fundamentis Julianus argentarius ædificavit, ornavit, atque dicavit: consecrante Beato Maximiano Episcopo Nõnis Maij, indictione xii. octiès P. C. Basilij Junioris.* Et si non desint Authores, qui speciosis magis, quàm veris rationibus ducti, velint hujus structuram Basilicæ attribuere Justiniano Imperatori, non argentario Juliano. In ea S. Episcopi, & Martyris corpus quiescit capsâ marmoreâ inclusum tribus clausa clavibus; quarum prima est apud Archiepiscopum, se- *Hieron. Fabri citat.* *Hieron. Rubeus l. 5. Histor. Ravennat. Anno 856.* *Fabri in Sacr. Memor. Ravenn. part. 1 pag. 96.* *Hier. Fabr. part. 1. Memor. Sacrar. Ravenn. p. 103.*

secunda apud Capitulum Ecclesiæ Cathedralis; tertiam habent Monachi Camaldulenses, quibus donata fuit Basilica Sancti Apollinaris in Classe, amotis indè monachis Benedictinis per Gualterium Archiepiscopum Anno Christi 1138.

Histor. Camaldul. part. 2. lib. 2. c. 17. & part. 1. l. 2. c. 11.

Apollinaris patriâ fuit Antiochenus, Sancti Petri Apostoli discipulus: ab eodem Apostolo prædicandi Evangelij causâ, missus in Æmiliam, & Flaminiam nobilissimas Italiæ Provincias; quas à vana Idolorum superstitione ad veri Dei cognitionem, cultumque traduxit: Ravennæ Sedem fixit Episcopalem, quæ illarum regionum Caput, & Metropolis erat, ut ab ea, seu fonte in reliquas Urbes, oppidaque vicina Christianæ Fidei mores, & documenta manarent. Ab Ethnicis detrusus in carcerem, invictâ animi constantiâ omnis generis tormenta pertulit: à vinculis expeditior, ab obscuro carcere clarior in lucem prodijt; tyrannos immanitate barbaros Christiana mansuetudine delinivit: Carnifices ipsos suarum splendore virtutum ad Christi religionem convertit. Nec uno concludi loco potuit tantarum lux virtutum: liber à vinculis, relictâ Italiâ, in Mysiam & Thraciam navigavit, quas errorum tenebris altè sepultas Evangelij luce illustravit: Serapidis statuam, famâ in ijs regionibus celebrem, & dæmonis arte loquacem, silentio, & oratione mutam reddidit. Ad Apollinis templum raptus, idôlum, fusis ad Deum precibus, de sublimi loco in terram dejecit, & in cineres redegit Apollinaris. In Italiam reversus Ravennam se contulit, ibique doctrinâ, & miraculis clarus, fuso pro Christo sanguine, propè Urbis ipsius portas cælum intravit Martyris laureâ coronatus Anno redempti orbis septuagesimo quinto, ut rerum sacrarum, & Chronologiæ Ecclesiasticæ periti existimant. Conditam in illius honorem elegantis structuræ Basilicam à Juliano argentario, ut suprà diximus, Narses Eunuchus, Justiniani Imperatoris Dux clarissimus, mirificè ornari præcep t, ut potè qui partas de Gothis hostibus victorias Deiparæ Virginis Mariæ, & S. Apollinaris precibus ferebat acceptas. Sanctus Gregorius Magnus, religionis studio ductus, Ravennam petijt, & Beati Martyris templum ingressus illius memoriam veneratus est; idem pietatis officium præstitit Zacharias PP. Joannes VIII. IX. X. & Stephanus; satis gnari quāto apud Deum advocato, & intercessore nitetentur. Romanorum Pontificum exempla secuti sunt Valentinianus III. Galla

C. Baron. in Annal Eccl. An. Christ. 75. alij, 74.

Galla Placidia, Carolus Magnus, Ludovicus II. Otho I. & III. Imperatores, cum Sancto Stephano Rege Hungariæ: (ut omittam Theodoricum, præstantissimum Gothorum Regem, Arianâ quamquàm hæresi infectum,) qui singulari pietatis studio coluerunt B. Apollinarem, & ad ipsius patrocinium supplices confugerunt. Olim in more positum erat apud Episcopos Flaminiæ, & Æmiliæ convenire Ravennam singulis annis, diebus B. Apollinari, & B. Vitali sacris, ibique rei divinæ operanti Archiepiscopo adesse pontificijs indutos vestibus, ut fusiùs narrat Fabri in suis Ravennæ memorijs. In circo ejusdem Urbis maximo duæ ad hanc usque diem visuntur immensæ altitudinis è marmore columnæ à Venetis quondam erectæ, quarum altera Sancto Apollinari, Sancto Vitali altera, Ravennæ Patronis, dedicata est. Magnus etiam ad sepulchrum Apollinaris fieri solet Peregrinorum undique affluentium concursus, ut ejus implorent opem in publicis, ac privatis calamitatibus, eumque potentem apud Deum Protectorem, & Tutelarem adhibeant. Nec mirum: cùm volucres item Cæli rationis expertes illius festum colere, & celebrare certo quodam modo videantur: singulis enim annis die 23. mensis Julij B. Apollinari dicato, undique Ravennam convolant confertis agminibus corvi, cornices, monedulæ, & id genus aves aliæ ex diversis agris Italiæ, stridulo suo cantu quodammodò festum agentes: quod adeò certum, & constans est, ut obtineat jam pridem consuetudo apponendi semper ijs advenis volucribus cadaver equi, quo pascantur.

Hieronym. Fabri in Sacris Ravenna Memorijs.

Author citatus p. 1. pag. 100.

Fabri cit. pag. 332.

Silv. Petrasancta Societ. Jesu part. 3. Thaumasia p. 185.

Si quæras quo seculo, vel anno incepit esse Patronus Ravennæ Apollinaris? Respondeo ea de re certò non constare: à tempore tamen, quod hominum memoriam superat, ut de alijs Patronis jam diximus, Patroni titulo, & honore decorari cæpisse: eo nomine, quòd primus Fidei Christianæ Magister, & Episcopus Ravennatibus fuerit, atque inter ipsos vitæ cursum martyrij palmâ absolverit, & coronaverit: innumeris etiam clientes suos beneficijs cumulare nullo unquam tempore destiterit.

Mombritius tom. 1. de Sanctis. Ferrar. in Catalog. SS. Ital. Carolus Sigonius in Episcop. Bonon. l. 1.

Multi, & graves in rem nostram Historici de S. Apollinare Ravennæ Præsule, & Patrono scripserunt: ij sunt Hieronymus Rubeus de rebus Ravennæ, Ferdinand. Ughellus tomo 2. Italiæ Sacræ sub Archiepiscopis Ravennatibus, Mombritius de Sanctis, Ferrarius in Catalogo Sanctor. Ital. Leander

Albertus in descriptione Ravennæ, Petrus M. Campi in Histor. Placent. part. 1. lib. 1. Histor. Camald. part. 2. lib. 1. Jacobus Guala in SS. Papiensibus lib. 3. cap. 7. Cæteris fusiùs, & accuratiùs scripsit Hieronymus Fabri in opere recens excusso de Sacris Ravennæ Memorijs. Claudat agmen Scriptorum Venantius Fortunatus unico versiculo multa complectens, & singulos invitans, ut ad Sancti Episcopi, & Martyris patrocinium, & tutelam confugiant.

Rursùs Apollinaris pretiosa limina lambe
Fusus humi supplex.

Alter Ravennæ Patronus est Sanctus Vitalis Martyr, Beatorum Martyrum Gervasij, & Protasij pater, qui pro Christi Fide in eâdem Urbe sanguinem fudit, postquàm Ursicinum Medicum in Fidei confessione nutantem ad ferendos forti animo cruciatus idoneis rationibus confirmavit, in profundam foveam demersus viam sibi ad Cælum munivit, & Martyris palmam obtinuit die 28. Aprilis. Visitur Ravennæ *Sancti Vitalis* templum à Juliano argentario magnificè extructum, vel, ut alij existimant, à Justiniano Imperatore, formâ rotundâ more vetusto, ingentis hemisphærij mole coronatum, quo vix ullum reperies vel elegantius, vel magnificentius. Hujus Sancti Martyris caput Insulis, Urbe Flandriæ, & Emporio celebri diœcesis Tornacensis, asservari tradit Andreas Saussaius, nobilis Author Gallus in suo Martyrologio Gallicano: &, quod caput est, illius corpus Coloniæ Agrippinæ custodiri in tûba marmorea, seu arcola magni pretij, affirmat Erardus Carthusianus in libro, quem inscripsit *Sanctuarium Coloniæ Agrippinæ*: huic tamen Authori ea in re non credimus, tum quia Cardinalis Petrus Damianus scribit illud asservari Ravennæ his conceptis verbis: *B. Vitalis sacratissimum corpus corporaliter tenes.* Florebat is Anno Christi 1060. post illius obitum aliò translatum fuisse negant Itali. Ravennâ translatum fuisse corpus B. Guidonis Abbatis in Spiram Urbem Germaniæ sub Archiepiscopo Moguntino, ingenuè fatentur; & S. Severi Episcopi in Moguntiam primùm, deindè in Erfurdiam, Thuringiæ Urbem primariam, Otgario per id tempus Archipræsule Moguntino.

Andr. Saussai. in Martyr. Gallic.
Erard. Carthus. in Sanctuar. Coloniæ Agrippinæ.
Petr. Damian. C. Serm. 1. de S. Vitale.
Petr. Equilinus in Catal. l. 8. c. 96. Ferrar. in Catal. SS. Ital. ad diem 28. Aprilis. Hieron. Rubeus. Hieron. Fabri in Sacr. Raven. Memor.

Alterius igitur Vitalis corpus sit oportet, non Vitalis Martyris Ravennatis, cujus corpus in eâdem Urbe asservari persuadet Scriptorum authoritas, majorum traditio, & plurima

an-

antiquitatis monumenta, quæ ipsâ vetustate fidem, & religionem apud omnes conciliant. De Vitalis tumulo sic cecinit Venantius Fortunatus: *Venant. Fortunat.*

Inde Ravennatum placidam pete dulciùs Vrbem
Pulpita Sanctorum per religiosa recurrens,
Martyris egregij tumulum Vitalis adora.

Sancti MM. Vitalis, & Apollinaris à multis jam seculis à Ravennæ Civibus Patroni coluntur, ut constat ex antiquis Legibus municipalibus ejusdem Urbis, in quibus Patronorum titulis, & honoribus afficiuntur: idoneum etiam ad id probandum est argumentum, quod supra retulimus ex Hieronymo Rubeo de Juliano argentario, viro illius ætatis ditissimo, & utriusque Basilicæ Fundatore. *Hieron. Rubeus.*

Sanctum Ursicinum Martyrem Leges municipales Ravennæ *Patronum* etiam appellant, quemadmodùm & Scriptores nonnulli, qui de illius Urbis rebus cùm sacris, tùm politicis annales texuerunt: his verò temporibus, ut *Patronus* peculiari veneratione non colitur; sed soli Martyres Apollinaris, & Vitalis, ut nos docuit Hieronymus Fabri, vir pius, & eruditus per litteras ad Urbem missas: cæterùm Anno salutis humanæ 1383. Sanctus Ursicinus simùl cum Sancto Vitale egregium se præstitit Ravennæ defensorem: ità se res habuit: Galeotus Malatesta Arimini Regulus, vel Tyrannus, ingentibus instructus militum copijs, nocte concubia, Ravennam capere tentavit; jamque muris Urbis scalas admoverat, & promptissimi quique bellatorum in altum evaserant, civibus interìm somno deditis, & alto sopore sepultis, & omni prorsùs belli timore solutis; cùm Vitalis, & Ursicinus Cælo delapsi pro murorum corona stare visi sunt, purissimâ circũfusi luce, Angelorum cohortibus stipati; mox hostium oculos armorum fulgore perstringere, illisque panicum terrorem incutere, & in fugam præcipites verrere. Tyrannus ipse magna accepta clade, & gravi ignominia repulsus ab Urbis oppugnatione Ariminum fugienti similis se recepit; ibique paulò post rei malè gestæ dolore, & mærore contabuit; eaque ratione meritas intentati sceleris pœnas dedit. Visitur hujusce rei gestæ series descripta in Ecclesia Cathedrali Ravennæ ad alendam tanti beneficij memoriam. *Desider. Spretus l. 1. Anno 383.* *Fabri in litteris ad me Romam datis.*

GENUA

VRBS Archiepiscopalis, Liguriæ caput; emporium nobilissimum ad mare Mediterraneum, Respublica potens armis, & florens opibus; aliquandò ad Tanaim usq; imperij sui fines protulit: nam olim Theodosiam, vulgò Caffam, Cyprum, Lesbum, & Chium Insulas sub sua habuit ditione; & Peram Urbem Thraciæ ex opposito Constantinopolis, in qua Principum Christianorum Legati, & Latini ritus homines, de consensu Turcarum Imperatoris liberè versantur. Corsicam Insulam maris Ligustici à Saracenis occupatam armorum vi recepit, & Christi Fide incolis tradita, magnam sibi peperit nominis gloriam cum regia dignitate conjunctam. Missis etiam in Orientem multarum navium classibus, religionis asserendæ causa, magno Christianis Principibus adjumento fuit ad debellandos Saracenos, & Hierosolymam de illorum potestate, ac tyrannide vindicandam. Pro Insignibus habet Crucem rubram in parmula candida, si fidem adstruimus Antonio Beuter, Scriptori Valentino: inito quippè pacis, & amicitiæ fœdere cum Ramone Berenguerio Comite Barcinonis in expugnatione Insulæ Maioricæ, ab illo Genuenses, societatis jure, in stemma acceperunt Crucem rubram in areola candida, & Sanctum Georgium, insignem Christi Martyrem, in Patronum. In alia ab Antonio sententia est Paulus Morigia in sua Historia Mediolanensi: *A Genuensibus*, inquit, *accepta fuit Crux rubra in areola candida anno Christi 933. quo Lambertus Archiepiscopus Mediolanensis auxiliares militum copias ijs submisit ad debellandos Saracenos, qui continuis populationibus, & incendijs littoralia Genuensium oppida infestabant; misit etiam amoris causa, vexillum Reipublicæ Mediolanensis sacris cæremonijs benedictum, in quo erat expressa*

Vghell. tom. 4. Ital. sacr. sub Archiep. Genuens.

Aubert. Miræus in notit. Episcop. orbis Christiani, verbo, Genua.

Ludovic. Moren. in Onomast. univers.

Anton. Beuter in Hist. Hispan. Valent. l. 1. c. 17.

Crux rubri coloris in campo candido. Sic Morigia: cujus vestigijs insistere videtur Laurentius Finnochiatus Societatis nostræ Sacerdos, de gloria S. Georgij Martyris: Insignia verò Magistratus Genuensis (addit is Author) sunt effigies Divi Georgij Equo generoso insidentis, & draconem immanem immissâ per os hastâ transfigentis. Consulat curiosus Lector Justinianum, Facium, Bracellium, Bizarum, Ubertum Folietam Rerum Genuensium Scriptores.

Paulus Morigia Hist. Mediolan. l. 1. p. 32. Laurent. Finnoch. S. I. de gloria S. Georgij Martyris.

Quod attinet ad Ecclesiam Genuensem, illam à Sancto Barnaba Apostolo initium duxisse memorant; & temporis cursu Christiana pietate auctam, & religione florentem ab Innocentio Secundo Pontifice Romano Liguriæ totius Metropolim institutam fuisse anno Christi 1130. aut 1132. tradit Aubertus Miræus in Notitia Episcopatuum Orbis Christiani. Ecclesiam Cathedralem Beato Laurentio Martyri dicatam habet Sanctorum reliquijs, & sacris Magni Baptistæ cineribus opulentam.

Ferdin. Vghell. to. 4. Ital. sacr. sub Archiep. Genuens. R. P. Camillus Antici S. I. in litteris ad me datis.

Si dignitatis, non verò temporis rationem spectemus, Sanctissima Virgo Maria Primaria Genuæ Patrona meritò dici potest, ab anno præsertim 1579. quo sæviente per Urbem contagione pestifera, multis in publico nozocomio infirmis, quorum desperata jam erat salus, misericordiæ Mater apparuit, humana maior specie, & facie mirum in modum radiante, eosque benignè solata verbis cælesti dulcedine plenis, promisit fore ut omnes brevi cùm reliquis Genuæ Civibus meliùs haberent; uti re ipsa evênit sub ipsius Immaculatæ Cõceptionis Virginis festum: quapropter Illustrissimi Domini Collegæ (sic vocant) solemni se voto obstrinxerunt extruendi in illius honorem templum, & purissimæ Conceptionis festum maiori, quàm antè, celebritate peragendi, ut singulis annis fieri videmus. Anno prætereà 1638. quo Respublica Genuensis Regium sibi assumpsit titulum, quem suorum incuria Civium proximo nobis seculo intermiserat, Deiparæ Sanctissimæ regiæ dignitatis Insignia supplex obtulit in obsequium clientelæ & pietatis. Prægrandem etiam ex ære inaurato Statuam ipsius Virginis in principe Urbis templo ad aram maximam posuit, addita hujus tenoris epigraphe:

Et rege eos.

Visuntur ubiq; per nobilissimæ Urbis plateas, & circos B.V. Mariæ Imagines, vel penicillo in parietibus depictæ, vel in

mar-

marmoreis tabulis insculptæ, Genuensium pietatis, & observantiæ in Virginem purissimam argumenta, ut omnibus certò constet Genuenses sub Mariano vivere patrocinio; & Rempublicam florentissimam cuncta domi forisque præclarè gesta ad ipsius laudem, gloriamque referre.

Sanctus Georgius, magnus Christi Martyr, à multis, ut viri docti existimant, secundus Primarius Genuensium Patronus habetur. Illum tam amant, coluntque, ut Genuam S. Georgij, quemadmodùm Venetias Sancti Marci, Urbem dicere jure possis. Utraque suo Protectore gloriatur: ejusque nomen pro tessera militari habet. Illius auspicijs bella gerit foris; domi verò Rempublicam sacram, & politicam prudentissimè gubernat. Georgij effigiem vulgò depingere consuevit equo insidentis, impressâ clypeo sanguinei coloris Cruce, hastamque per os immane draconis immittentis, & Virginem quamdam ab illius faucibus liberantis. Fridericus Secundus, Imperator Genuensis Reipublicæ studiosus, honoris & amoris causâ, Equestrem Sancti Georgij Ordinem Genuæ instituit, ut ejus castra, & vicina littoribus oppida Saracenorum incursionibus obnoxia, armis tueretur: Equitibus verò idonea attribuit Insignia, nempè Sancti Martyris equo vecti effigiem, & Crucem rubram in alveolo candido: sed cursu temporis is Ordo extinctus est. Sancti Georgij Magistratus Genuæ summæ fidei, & authoritatis habetur, è Civibus octo conflatus: præerat olim Insulæ Corsicæ in mari Ligustico, ac multis oppidis. Sancti Georgij festum magna celebritate peragi consuevit primæ classis ritu sacro, & cum octava. Dux Serenissimus cum excellentissimis Senatoribus, & Procuratoribus Illustrissimis ire solet annis singulis ad illius templum, ipsâ vetustate venerabile, ibique solemni Missæ sacrificio, pro dignitate, interesse die 23. Aprilis, illius natalibus dicata.

S. Georgius Martyr Patronus Genuæ.

Cæsar de Engenio in sua Neapoli sacra fol. 482.

Marian. Grimald. de Sanctuar. Gen.

Michael Marquet. in Thesauro militari pag. 88.

Laurent. Finnich. S. I. de gloria S. Georgij p. 23. & 24.

Calcagninus. Justinianus Histor. p. 171.

S. Joannem Baptistam Patronũ sibi delegerunt Genuenses ab anno 1098. quo sacri illius cineres ab Oriente Genuam translati fuerunt, sedente Urbano Secundo Pontifice Romano, & in Ecclesia Cathedrali decenti loco repositi; ac ne ullus superesset dubitandi de hujusmodi translatione locus, sacrorum Baptistæ cinerum susceptio Genuæ solemnis habetur die 30. Junij ab Alexandro Tertio, & alijs Summis Pontificibus approbata. Innocentius IV. dum Genuæ moram traheret, sex supra triginta lampades argenteas Magno Christi

S. Joannes Baptista.

August. Calcagn. in Hist. S. Joannis Baptistæ.

Præ-

Ferrar. in Catalogo Sanctor. Ital. die 24. Junij. Præcursori obtulit, ut in illius sacello appensæ perpetuo illustres lumine lucerent. Eò Fridericus Imperator, & alij viri Principes, religionis causâ, iverunt; & proximò nobis ævo Margarita Austriaca anno Domini 1599. dum Hispaniam peteret conjux Philippi Hispaniarum Regis futura.

Saussaius in Martyr. Gallicano ad diem 31. Junij. Cæterùm Genuenses, ut Sanctissimi Præcursoris cineres ea, qua decebat, dignitate, & pietate exciperent, & religiosiùs asservarent, magnificum extruxere sacellum pretioso stratum lapide, & varij coloris marmoribus adornatum, in quo thesaurum illum argenteà capsâ inclusum collocarunt. Sexaginta numero lampades è solido argento noctù, diùque lucent; & perpetuas ante Præcursoris aram excubias agere videntur, & Fidelium corda ad piè venerandos sacros cineres accendere, vel etiam inflammare. Accessit virorum nobilium sodalitas anno Christi 1299. instituta, & Baptistæ obsequio, servitioque addicta. Ab anno præsertim 1323. quo Serenissimi Collegij decreto electus fuit Primarius Genuæ Patronus, innumera in Rempublicam beneficia conferre non destitit: unum, aut alterum referemus ut dictis fidem adstruamus. Excitatum semel incendium, quod flante solito vehementiùs vento toti Urbi exitium minabatur, adductis ad eum locum, & ostensis furentibus flammarum globis sacris cineribus, subitò restinctum est, non sine admiratione adstantium. Iterùm in summa agrorum siccitate pluviam ad irrigandam terram è Cælo copiosam elicuerût sacri Baptistæ cineres, ut Genuensibus experimento constaret terra, marique potentem apud Deum Patronum, & Intercessorem habere. Cùm fœda aliqua tempestas oritur, sævitque nimis agitatum ventis mare, superfundentibus se portui fluctibus insanis, & vicina huic loca obruentibus, Sancti Præcursoris cineres è templi sacrario extrahi solent, & solemni cum supplicatione ad mare deferri, ijsque furenti elemento ostensis, de repentè tempestas detonat, venti ponunt, mareque tranquillum redditur. Extet rerum tantarum non solùm fama constans, sed notata etiam

Sebastian. Baldus. Augustin. Calcagnin. per annos singulos, & dies miracula à magni nominis Scriptoribus idoneo ordine digesta, collectaque à Sebastiano Baldo, & ab Augustino Calcagnino in sua Historia de S. Joanne Baptista Genuæ Patrono.

Non multis ante annis dum nova in eo portu moniméta adversus rabiem maris, ac tempestates immensis parantur sumpti-

ptibus; jactis in altum molibus, seu montibus saxeis anno Domini 1640. fuere ipso die Paschatis memorabili tempestate oppugnata; quam tamen objecti Baptistæ cineres repentè sedarunt. Hoc miraculum Reipublicæ decreto ad perpetuam rei memoriam in publicas tabulas relatum fuit de mandato Eminentissimi Cardinalis Durazi Archiepiscopi Genuensis, his conceptis verbis: *Pro gratiarum actione ob innumera beneficia à Deo Optimo Maximo Civitati Genuensi ipsius Sancti Præcursoris patrocinio collata, præcipuè ob maris sævissimam tempestatem mirabiliter sedatam in die Paschatis anno 1640.* *Silv. Petrasanct. S. 1. in sua Thaumasia.*

Porrò non totum S. Joannis Baptistæ corpus, imperante Juliano Apostata, flammis traditum, & in cineres resolutum fuit, nam Bellicensis Ecclesia in Gallijs dextræ illius manus partem habere dicitur in suo Reliquiarum thesauro; hanc ob rem pro Insignibus sibi desumpsit manum dexteram in altum elatam. Spatulam verò in Sancti Dionysij templo suo satis nomine celebri propè Lutetiam Parisiorum asservari pro certo habemus. Equites Melitenses apud se habere affirmant manum dexteram à Baiasero Turcarum Imperatore sibi dono missam anno salutis humanæ 1492. quemadmodùm & Veneti illam possidere existimát ex Oriente adductam anno 1112. Pius Secundus dono dedit Ecclesiæ Senensi brachium dextrum Sancti Joannis Baptistæ à Thoma Palæologo Peloponnesi Principe sibi oblatum: ita testatur inscriptio maioribus insculpta litteris in eadem Ecclesia Cathedrali. Caput etiam Sanctissimi Præcursoris multi apud se habere contendunt, Galli Angeliaci, in Episcopatu Santonensi; Romani apud Moniales Sancti Silvestri in campo Martio; Veneti, Venetijs; Hispani, in Ecclesia Cathedrali Burgensi: mei tamen instituti non est in tanta sententiarum varietate, ac diversarum partium studijs tot lites componere: præstat rem tanti momenti in medio suspensam relinquere.

Sammarthani fratres in Gallia Christiana tom. 2. p. 356. Saussaius in Martyr. Gallic. ad diem 24. Martij. Severanus. Vghell. tom. 5. Ital. sacr. sub Patr. Venet. Dandulus in Hist. Venet. Vghell. tom. 3. Ital. sacr. sub Archiep. Senensibus. Saussai. in Martyr. Gallic. die 24. Febr. Severan. de septem Vrbis Eclesijs. C. Baron. in not. ad Martyr. die 29 Jun. Dandulus. Tamaius in Martyr. SS. Hisp. die 24. Junij.

S. Laurent. M.

Sanctus Laurentius Levita Martyr insignis, gente Hispanus, inter Patronos, ac Divos Tutelares Genuæ numeratur. Causæ electionis fuerunt, quia ex Hispania nave delatus Genuæ diù substitit, in domo cujusdam Civis benignè exceptus, & hospitatus; quæ, illo Romæ martyrij palmam jam adepto, in Ecclesiam mutata est, ac tempore procedente, ad Cathedralis dignitatem evecta titulo *Sancti Laurentij*: quam Gelasius Summus Pontifex hoc nomine primus consuetis cæremo-

Ferdin. Vghell. to. 5. Ital. sacr. sub Archiep. Genuens. Grimaldus in Sanctuar. Genuens.

remo-

remonijs consecravit. Basilica certè ampla est, & Genuensium pietate, ac magnificentiâ digna, sed redditus Archiepiscopales tantæ Urbis amplitudini, & opulentiæ non respondent.

S. Bernardus Abbas.

Sanctus Bernardus Abbas Claravallis, Doctor mellifluus, electus fuit Genuensium Patronus anno Domini 1625. quo Respublica Genuensis gravissimis incommodis affecta ad illius confugit patrocinium, & solemni supplicatione institutâ, paulò post Divini Numinis favorem experta est, B.Bernardi, ut piè creditur, precibus, & intercessione ad clementiam flexi: arrepta inde occasio eligendi Sanctum Abbatem Urbis Patronum, & ejusdem memoriam dignis obsequij, & amoris significationibus prosequendi. Constat Bernardum à Sũmo Pontifice designatum fuisse Genuæ Episcopum: quam ille dignitatem, modestiæ causa, recusavit: & Pontifex rebus benè consideratis, judicavit præstare, ut ille nullius privatæ Ecclesiæ regimini addiceretur; sed solis instar, huc, illuc liberè discurrens, omnium bono, & utilitati prædicando serviret, ut omnes pietatis suæ, & doctrinæ splendoribus illustraret. Extat Sancti Abbatis Epistola ad Genuenses; quam adducit Marianus Grimaldi in libro, quem inscripsit *Sanctuarium Genuæ*.

S Anton. Patav. & S. Sebast. M.

Sanctus Antonius de Padua, & S. Sebastianus Martyr inter minùs præcipuos Patronos recensentur: ille, quia in summa annonæ caritate, qua cives valdè laborabant anno 1591. die decimatertia Junij ipsi dicata, multæ è diversis Europæ regionibus naves onustæ frumento ad Genuæ portum appulerunt, quarum adventu laxavit annona. Iste, quia grassantẽ per omnes Urbis regiones luem pestiferam anno Christi 1430. ab illa depulerit suis apud Deum precibus. Hi Genuæ Patroni.

BO-

BONONIA

EMILIÆ Provinciæ metropolis à Boiis populis,ut multi existimant, Boionia primùm,corrupto posteà vocabulo, *Bononia* dicta est; primarias Italiæ Urbes nobilitate adæquat. Diversarum olìm gentium Principibus paruit;donec in libertatem se asseruit, & armis potens, florensque opibus per finitimas Civitates, oppidaque imperium cum ditione protulit. Tandèm magnitudine laborans suâ, & civilibus attrita discordiis, concidit, ac in Romani Pontificis potestatem venit. Julius II. mixtam cum servitute libertatem in illam invexit, creatis Senatoribus quadraginta, penès quos rerum publicarum administratio esset. Vetusta Bononiæ Insignia fasciæ rubræ, & candidæ fuerunt,quibus Sancti Petronij effigies, stemmatis loco successit, additâ aureis litteris epigraphe, *Libertas*, in areola coloris cærulei; quæ populi Bononiensis *Arma* vulgò dicuntur. Procedente tempore, aliquot Bononiensium Civium cohortes sacræ militiæ nomen dederunt ad Hierosolymam recuperandam, Vicecomite Ottone Duce: Sacrum quippè per id tempus bellum adversùs Saracenos indixerat Urbanus II. PP. Romanus in Concilio Claramontano, missisque in omnes Europæ regiones nuntijs, ac litteris, Christianos ad id Principes, & Respublicas invitaverat. Bononienses igitùr religionis studio ducti, fortissimorum militum cohortes, pro Salvatoris sepulchro de Barbarorum potestate vendicando, conscribi curarunt, sub candido vexillo, purpureâ Cruce distincto à Summo Pontifice benedicto, ad ipsosque honoris, & religionis causâ, misso. Id ipsum, confecto felicitèr bello, & recuperatâ Hierosolymâ, pro Insignibus usurparunt. Ejusdem Urbis Consules, & Antiani, (sic dicebantur) sigillo publico utebantur; in alterâ cujus facie Sancti Petri Apostoli imago visebatur expressa.

Ferdin. Vghell. to. 2. Ital. sacr. sub Archiep. Bonon.

Pompeius Visanius lib. 1. Hist. Bonon.

Joann. Nicol. Paschal. Alidos. in Instr. Rer. mem Bonon. pag. 1. 2. & 3.

Bartolam. Dulcinus lib. 3. de vario Bon. statu p. 141.
Carol. Sigon. in Hist. Bon. l. 2. p. 43.
Gaspar Bõbace p. 2. Bonon. Illustr. pag. 2.
Scipio Balbus.
Nicol. Brucius de Insignib. Bon.

Visan. lib. 2. & 6. Histor. Bon.

Pontificis habitu, & maiestate sedentis: in altera Bononiensis populi apparebat stemma, inscripto circùm versiculo:

Petrus ubique Pater, legumque Bononia mater.

Sub Urbano VI. PP. redintegrato libertatis statu, auream monetam cudi fecerunt Bononienses, cujus adversa facies leonem in aera assurgentem, & libertatis vexillum tenentem præferebat, hoc lemmate *Bononia docet*: aversa verò Sancti Petri Apostoli imaginem exhibebat. Insignem habet Academiam Bononia, omnium disciplinarum studijs florentissimam, è qua innumeri, & clarissimi litteris viri prodierunt: quinq; etiam Rom. Ecclesiæ Pontifices dedit, rebus præclarè gestis insignes. Primam Fidei Christianæ lucem in Bononiam invexisse dicitur Sanctus Barnabas Apostolus, vel Sanctus Apollinaris Æmiliæ, & Flaminiæ Provinciarum Apostolus; qui, etsi Ravennæ Sedem fixisset Episcopalem, vicinas tamèn huic Urbes, ac regiones Doctrinæ Evangelicæ radijs illustravit. Ecclesiæ rebus jam constitutis, & jactis illius fundamentis, ut maiora caperet incrementa Religio Christiana, Dionysius Pontifex Romanus primum, ac proprium Bononiensibus Episcopum assignavit Zamam nomine, excellenti probitate, & sapientia virum, Anno redempti orbis 270.: qui primum B. Petro Apostolo templum extrà Urbis mænia posuit, ubi Episcopi quondam Sedes, & domicilium erat, donèc amplissima Apostolorum Principi Basilica intra muros constructa Cathedralis ad se nomen, & dignitatem cum religione traduxit.

Carol. Sigon. de Reb. Bonon. l. 1. p. 27.

Vghell. to. 2. Ital. sac. sub Archiep. Bonon.

Gaspar Bombac. de SS. Bon. à p. 33.

Ferrar. in Catal. SS. Ital.

Anton. Casal. in Chron. S. Stephani.

Visan. lib. 1. Hist. Bononiens.

C. Bar. in An. Eccl. Ann. Christi 270.

D. Ludov. de Pian. in thesaur.

Alidosius in Reb. memor. Bonon.

S. Petrus Apostolus.

Primarium, & antiquum Bononiæ Patronum Sanctum Petrum Apostolum fuisse putamus à primo ipsius Episcopo Zama electum; is enim primariam in eâdem Urbe Ædem, ut suprà diximus, B. Petri Apostoli titulo consecravit, quasi vellet illius auspicijs, Evangelicæ veritatis dogmata, & unius Dei cognitionem Bononiensibus tradere, & commissas sibi oves Apostolicæ tutelæ, patrocinioque committere: more aliorum fidei Præconum, qui regiones, & Urbes Ethnicorum Christianæ Religionis præceptionibus imbuendas, Petri tutelæ, & curæ commendare soliti erant; erectis etiam in illius honorem templis, arisque dicatis, ut in hujus operis decursu non semèl advertimus. In rem præsentem maximè facit Basilica Urbis princeps, mirabili posteà structurâ operis, & magnificentiâ condita, amplis redditibus opulenta, à Sancto

Fau-

Faustino inchoata, à Sancto Basilio Episcopis absoluta, & D. Petro Christi in terris Vicario dicata. Sigillum prætereà, quo Urbis Consules, & Antiani utebantur, B. Petri insculptam habebat effigiem, Pontificis habitu elegantèr expresso, impositâ capiti tiarâ, elatâ in altum dexterâ, benedicentis populos more; addito, ut paulò antè diximus, versiculo:

Petrus ubique Pater, legumque Bononia mater.

Quibus certè rationibus, & argumentis ab antiquitate, & religione petitis, convincitur, Apostolorum Principem in summâ olim apud Bononienses veneratione fuisse, ejusque nomini, ac tutelæ tùm rem sacram, in Ecclesia Cathedrali, tùm politicam in Urbis consulibus, & Antianis commendatam. Hac tamèn ætate Bononiæ Patronum non esse judicamus, uti nos per litteras monuerunt viri docti Bononienses.

Primariam igitur Patronam, & Advocatam Bononia colit Deiparam Virginem de *Rosario* cõmuni sermone dictam, eo nomine, quòd præsentem illius opem in summo rerum *Scriptores Bonon.* discrimine experta fuit Anno Christi 1512. Hispanorum enim exercitus, qui sub Julij II. auspicijs, signisque merebat, amissam non ita pridèm Bononiam recuperare tentabat, *Carolus Sigon l.4. de Episc. Bonon. p. 298. sub Achille Grasso. Archiep.* eamque summis viribus oppugnare cæpit, Duce Raymundo de Cardona; quo belli furentis incendio nonnulla extra Urbem templa, & religiosorum cænobia conflagrarunt. Illud autem memoratu dignum, & æternitati commendandum Kalendis Januarijs contigit. Hispani ad portam Sancti Stephani, in qua picta visebatur Beatissimæ. V. Imago, operâ, & *Pompeius Visan.l.9 Rer. Bonon. p.500* industriâ Petri Navarri rei bellicæ, & tormentariæ peritissimi *Gaspar Bombace part.1.Bonon. Illustr.* usi, murum suffoderunt, ac nitrato pulvere locum vacuum repleverunt, qui cùm admotum stupeis funiculis ignem concepisset, non tamen murum, ut sibi persuaserant hostes, eluctátium in arcto flammarum impetu subvertit, dissipavitve; sed *Ludovic. Piat. in Thes. Indul. Bonon.* in altum extulit, cohærentibus inter se bellissimè saxis, qui iterùm in terram decidens, eumdem protsùs, quem anteà occupabat locum, replevit, seque hostibus, rei tantæ novitate *Illescas Hist. Põtif. l.6. p.2. sub Jul. 2.* attonitis, solidum, integrumque opposuit. Creditum est à viris pijs, & prudentibus id B. Virginis precibus, & patrocinio evenisse, quæ suos protegebat clientes, & imminentem Urbi cladem, elusis Hispanorum conatibus, aliò avertebat. Aucta mirum in modum eâ occasione in Deiparam Civium

pietas, Ædesque in illius honorem ædificata eo ipso in loco, ad hanc usque diem tanti beneficij memoriam alit, & magnæ Matris curam in Bononienses, ac tutelam commendat.

Anno etiam 1634. Antonio Barberino Cardinali Legato, sæviente per Urbem morbo pestifero, & magnam incolarum stragem edente, Sanctissima Dei Mater laboranti populo, ejusque opem assiduis precibus postulanti opportuna subvênir, unà cum Beatis Ignatio de Loyola, & Francisco Xaverio, ad quorum simùl patrocinium confugerant Cives, institutâ omnium ordinum supplicatione solemni, remplisque decentèr ornatis: vix pauci abierant dies, cùm depulsâ prorsùs lue pestiferâ, integra Urbi salus restituta est: quo effectum, ut communibus omnium votis Bononiæ Patroni delecti fuerint, & magni pretij peristromata contexta, in quibus B. Virginis, Ignatij, & Xaverij imagines visebantur expressæ Cives à contagione liberantium. Iterum die Maij 3. Annò 1634. egregium pietatis suæ erga Magnam Matrem Bononiēses specimen præbuerunt, celebri, ac religiosâ pōpâ in triumphi speciem institutâ, & per frequentiores Urbis plateas ad forum usque maximum ductâ, ubi eminenti super congesta tabulata strato, pretiosis stromatis cooperto, aderant Cardinales, Sanctacrucius Legatus, & Columna Archiepiscopus; qui eo in loco auream coronam multis distinctam gemmis, & magni pretij unionibus ornatam, Deiparæ capiti imposuerunt; eamque Bononiensis Urbis Dominam, ac Reginam eo solemni ritu quodammodò declararunt: festivo interim populi plausu, & gratulatione coronationem prosequente. Latâ etiàm lege sancitum fuit: ut in posterùm singulis annis, decimâ die Decembris publica fieret commemoratio beneficiorum, quibus Virgo Sanctissima Bononienses affecerat.

S. Petronius. Sanctus Petronius modò primarius Bononiæ Patronus est: Constantinopolitanus patriâ, professione Monachus; vixit imperante Theodosio Juniore, cui unicè charus fuit. Ab Oriente missus Romam ad Cælestinum I. PP. cogendi Concilij causâ adversùs Nestorium Hæresiarcham, Dei monitu, creatus est à Cælestino Bononiensis Episcopus: quam ille Ecclesiam sanctissimè gubernavit, & amplissimo ditavit Sacrarum Reliquiarum thesauro, quem in S. Stephani Protomartyris Ecclesia reposuit. Ac, ne quid omitteret, quod ad Urbis or-

Vghell. cit. p. 10.

Sigon. de Episc. Bon. sub Petronio.

narum, & utilitatem pertineret, Academiam insignem institu t omnium disciplinarum studijs florentissimam, quam Theodosius Imperator suo fovere voluit patrocinio, & multis instruere privilegijs. Extat illius memoria in tabula marmoreâ Ecclesiæ Sancti Petronij; de cujus tamèn fide non pauci viri docti, & graves dubitant, cùm nonnulla contineat ab Historicâ veritate aliena. Migravit ad Superos Petronius, Imperante Theodosio Juniore. Visitur in amplissimo Urbis foro magnificum illius templum, nondùm perfectum; quod si ad umbilicum perducatur, singulari Bononiæ ornamento erit, & exteris nationibus admirationi. Celebratur Sancti Episcopi festum magno pietatis sensu, ejusque Inventionis, tanquàm primarij Bononiensium Patroni; ad eum ferè modum, inquit Sigonius, quo Florentia Sancti Zenobij memoriam colit, & Mutina Sancti Geminiani, Episcoporum suorum, qui pietatis famâ illustres, & clari miraculis decesserunt, eosque sibi Patronos Urbes illæ cooptarunt. Illud probare non possumus, quod nonnulli Authores referunt de Bononia Sancti Præsulis ope, patrocinioque defensâ, cùm illam summâ vi oppugnaret Gothorum Rex Alaricus: cōstat enim Romam à Barbaro captam fuisse Anno Christi 410. eumque non multò post in Campaniam, & Siciliam profectionem adornasse, & Cosentiæ tandèm obijsse, ac in medio fluvij cujusdam alveo fuisse sepultum; Petronium verò Bononiensem adijsse Episcopatum anno 430.: in Italia floruisse, secundum Eucherium circà annum 441. proindeque Alarico esse recentiorem. Hoc igitur, seu commentitio rejecto, aliud nobis veritati consonum suppeditat Petronij tutelæ argumētum Annus Christi 1307. Huberto Episcopo, cum multi in Urbe gravibus, ac periculosis morbis laborarent, sitis extinguendæ causâ, è proximo Sancti Petronij puteo aquam haurire nonnulli ex ijs cæperunt, divino, uti par est credere, instinctu moti; epotâ aquâ, omnes sanitatem recuperarunt. Inde arrepta occasio magnifici posteà templi, in honorem Sancti Petronij in foro Urbis maximo extruendi.

Gaspar Bombace.

Benedict. Morand. de laudib. Bonon.

Ferrar. in Catal. SS. Ital.

Alidosius in instr: rer. memor. Bonon.

Cherubin. Gherard. l. 1. Hist. Bonon.

Gabriel Palleotus Archiep. Bonon. S.R.E. Carden. in inscript. Camald. Erem.

C. Baron. in Annal. Eccles. & Spondan. ann. 410.

Genebrard. 413. in Chronogr.

C. Baron. in notat. ad Martyr. Rom. die 4. Octobr.

Gennadius de Viris Illustr. cap. 41.

Ado. Viennens. in Chron. anno 425.

Anno 1390. cùm Bononia templum adhuc Sancto Petronio Episcopo, & Patrono suo dicatum haberet nullum, pridiè Kal. Februarias omnium Patrum, vel Senatorum suffragijs decretum fuit, ut nobilissimum in foro maximo ædificaretur: ac multis confestim privatis, & sacris etiam, demolitis

ædibus ; ut spatij satis esset amplissimo fabricando templo ; viij. idus Junij adstantibus sacro simul, & Politico Magistratu, primus in fundamenta lapis solemnibus cæremonijs jactus est, populari turbâ rem votis multis, & faustis acclamarionibus prosequente. Nec parùm successu temporum crevit tépli incepti moles, Anno potissimùm 1596. sed tei nummariæ penuriâ, vel etiam turbarum, aut bellorum moribus, qui civium mentes, ac opes aliò avocarunt, interrupta, rudis adhuc, & imperfecta hæret ; religione tamèn, & frequentiâ incolarum celebris, nec non amplis Romanorum Pontificum indulgentijs, & privilegijs opulenta. In ipsius templi gradibus Joannes XXIII. Rom. Pontifex inauguratus est ; & Leo X. coram FranciscoRege Galliæ, Sacrum in Ata principe solemni ritu, & Pontificiâ maiestate celebravit Anno Christi, ni fallor, 1515. Clemens VII. ibidem Carolum V. Romanorum Imperatorem coronavit die Sancto Marthiæ Apostolo sacrâ, Episcopo tum Bononiæ Laurentio Campegio.

Paul. Jovius lib. 27. Hist. sui temporis Anno 1529.

Anno 1530. scribit Illescas in Hist. Pontificia.

Cornel. Agrippa in descript. Coronat. Carol. V. Imp. 1530

Anno præterea 1574. Sixto V. PP. Max. Bononiæ Præsule Philippo Calandrino, continuatis ad multos dies imbribus, fluvij latè innundaverant campos, & gravem annonæ caritatem induxerant ; in his rerum angustijs Prælul, optimè se facturum putavit, si publicam omnium Ordinum supplicationem indiceret, Cælumque iteratis precibus farigaret : instituta igitur supplicatione solemni, & Reliquijs Sanctorum Petronij, Proculi, & Felicis per Urbem circumlatis, voti sui compos factus est, impetratâ à Deo aeris serenitate, quæ ad multos tenuit dies, annumque illum reddidit omnium rerum, quæ ad victum necessariæ sunt, copiâ abundantem. In hunc modum Sanctus Petronius, beneficijs in Urbem Bononiensem collatis, satis declaravit, se potissimam illius curam gerere, suæque tutelæ commissæ Urbis bono, & utilitati consulere.

S. Proculus Patronus.

Sanctus Proculus Martyr Bononiæ Patronis adnumeratur : in persecutione Decij Imperatoris, Marinum Præfectum dirissimis Christianos modis cruciantem, divino, uti par est credere, spiritu motus, securi in caput adactâ, occidit : subitò comprehensus, & capite truncatus, martyrij palmam obtinuit : corpus truncum illicò de terra surrexit, & rescissum caput manibus apprehendens in locum à Deo designatum lógè portavit, ibique sactum pignus reverentèr deposuit, ubi

non multò post templum *Proculi* nomine extructum Fidelium cultum, & venerationem excivit, & vicinarum ad se Urbiú, oppidorumque vota, & peregrinationes provocavit. Celebratur Sancti Martyris festum Kalendis Junij. In sepulchro scripta leguntur hujusmodi verba: *Anno* 1390. *fuerunt posita in istâ arcâ marmoreâ Corpora Beatissimorum Proculi Episcopi, & Martyris, & Proculi militis, & Martyris de Bononia, quæ latuerunt in isto loco circâ quingentos annos; & in isto millesimo fuerunt reperta tempore Reverendissimi Patris Dñi Joannis Abbatis dicti Monasterij; & sic per eum collocata fuerunt, ut videtur.* Causæ eligendi S. Proculum Bononiæ Patronú fuerunt, amor, quem habuit, in Fidem, & Patriam, singularis; illustria post necem ab Ethnicis illatam miracula; & innumera in suos Cives, ac clientes beneficia: idcircò Visanius, alijque Auctores Sanctum Christi Martyrem non semèl appellant Bononiæ *Patronum.*

[*Sigon. lib. 1. Hist. Bonon. pag. 28.* *Ludovic. de Pian in thes. indulg. Bonon.* *Vghell. tom. 1. Ital. sacr. sub Archiep. Bonon.* *Visan. lib. 1. Histor. Bon. fol. 16. & 34.*]

Beatus etiam Florianus Martyr, cujus festum die 16. Decembris celebratur, Patroni titulo afficitur: sacrum illius corpus à Sancto Petronio in Bononiam translatum fuit, & in templo Sancti Stephani repositum, ibique multis editis miraculis omnium ad se corda, studiaque convertit: repetitis item beneficijs Bononienses afficere non desistit: hanc ob rem, ut ij se Martyri Beatissimo gratos ostenderent, Senatûs consulto decreverunt Anno Christi 1300. ut Urbanus Magistratus ipsius Martyris templum inviseret, habitu ad dignitatem composito, ac delato religiosæ obedientiæ obsequio solemnia illi dona offerret, eumque Patroni titulo decoraret. Olim Cælestinus I. Pôtifex Romanus Fidelibus ad aram Sancti Floriani pio more precantibus indulgentias concessit, suam ad id operam dante Sancto Petronio. Non semel visus est Florianus opem ferre Urbi Bononiensi gravissimis calamitatibus laboranti, quo se præstitit egregium illius Patronum, & Advocatum.

[S. Florianus Patronus.] [*Historici Bonon.*] [*Bombace de Patron. Bonon.*] [*Anton. Paul. Massin. in sua Bon perlustr.*]

Sanctus Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis, & Ecclesiæ Doctor, inter Divos Bononiæ Tutelares numeratur: quadrabat is in Urbem litterarum matrem, & optimarum artium studijs celebrem. Dum Bononiæ moraretur illam non solùm eruditam reddidit, sed pretioso Reliquiarum SS. Vitalis, & Agricolæ thesauro felicem, & opulentam, quas ille, Dei beneficio, invênit, & è terræ visceribus erutas Fidelium

[S. Ambrosius.]

culis, & venerationi exposuit. Inscriptio etiam in plumbea lamella sub altari Sancti Jacobi Apostoli reperta, Anno 1636. certam fidem facit, Basilicam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ab illo, dum Bononiæ versaretur, fuisse dicatam. A Viris item prudentibus piè creditur insignem de Entio Sardiniæ, & Corsicæ Insularum Rege, Friderici Secundi Imperatoris filio, qui Bononiam occupare tentabat, ad Sácti Ambrosij pontem ipsius Sancti Doctoris auxilio partam fuisse victoriam. Tyranni furétis conatibus se opposuit Ambrosius, & vanas illius spes elusit Bononiæ capiendæ. His, & alijs obstricti beneficijs Bononienses, latâ lege sanxerunt Anno Christi 1301. ut festa ejusdem Sancti Ambrosij dies, idest, septima Decembris, anniversaria celebritate coleretur. In festo etiam S. Petronij, Magistratus Bononiensis (Antianos vulgus appellat) triumphali curru vectus, vexillo SS. Petronij, & Ambrosij imaginibus insignito, templum Divi Stephani Protomartyris adire solet, ibique multorum Sanctorum Reliquias venerari. Illud maximè hac ætate Patrocinij Ambrosiani idoneum argumentum esse videtur: Antiani, de quibus supra meminimus, cùm primùm Senatorum votis, & suffragijs creantur, Ambrosij nomen, opemque implorant, ut demandatum sibi gubernandæ Reipublicæ munus, onusque, eâ, quâ par est, prudentiæ, & integritatis laude, sustinere possint.

Chiffletius in sua Vesontione part. 2. fol. 269.
Illescas lib. 5. Hist. Pontif. sub Innocēt. IV.

Sancti Dominicus, & Franciscus; ille Prædicatorum, hic Minoritarum parentes, viri sanctissimi, Bononiam doctrinæ, & pietatis radijs illustrarunt. In eâdem Urbe Dominicus in Cælum migravit, clarus miraculis, funus procurante Cardinale Ugolino, qui posteà ad Pontificatûs apicem evectus, Gregorij nomen sibi desumpsit, universa penè Urbe ad venerandum tanti viri corpus in feretro palàm expositum, cōfluente. Procedente die, capsâ marmoreâ inclusum, in digniorem locum translatum fuit, ibique summâ omnium veneratione colitur. Anno Christi 1383. apertâ capsâ, caput indè extractum est, & seorsim in argenteo tabernaculo repositum; apparente interim in aere, stellæ instar, lucidissimâ face, & Prædicatorum templo incubante, radiosque in orbem fundente, non sine spectantium admiratione. Frater Jacobus Bocambius, ex Ordine Prædicatorum Bononiensis Episcopus, obtinuit à suis Civibus, ut BB. Dominicum, & Fran-

Pompeius Visan. lib. 5. Rer. Bonon. pag. 241.
Gaspar Bombace part. 1. Bon. Illustr. pag. 53.
Vghell. tom. 2. Ital. sacr. sub Archiep. Bonon.
Carolus Sigon. de Episcop. Bonon. sub Bocambio Episcop.

Franciscum Divis Tutelaribus adnumerarent ; etsi alij Authores id attribuant Fratri Joanni de Vicentia ejusdem familiæ alumno. *Leander Albertus de Viris Illustrib. Ordin. Prædicator.*

Sancto Ignatio de Loyola Societatis Jesu Fundatori, & S. Francisco Xaverio Orientalis Indiæ, & Japoniæ Apostolo, Patronorum titulus delatus est à Bononiensibus ob rationem à nobis suprà assignatam, depulsam scilicèt ab Urbe luem pestiferam, quæ magnam edebat incolarum stragem : singulis annis Magistratus Urbanus comitatu, habituque insignis Societatis Jesu templum adire solet, ibique adesse solemni Sacro, in gratiarum actionem, eâque ratione, accepti à BB. Patribus beneficij memoriam refricare. Leander Albertus, Sigonius de Episcop. Bononiensibus, Gaspar Bombaci in memor. sacris Bononiæ, Dulcinius de vario statu Bononiæ, Nicolaus Paschalis Alidosius de Orig. Eccles. Bonon. Bumaldus, Chembinus, Ughellus, &c. multa de SS. Bononiensibus tradunt, quos Lector pius, & curiosus consulere, si velit, potest.

MEDIOLANVM

INSUBRIÆ Caput, Hispani Gubernatoris, & amplissimi Senatûs Sedes, inter maximas Europæ Urbes numeratur: Arce potissimùm inexpugnabili, & Basilica Cathedrali augustissima è candido constructa marmore celebratur, à Joanne Galeatio Mediolanensium Duce Virgini Deiparæ dicata; quæ sane inter illustria Catholici Orbis templa primatum obtineret, nisi Basilica Vaticana Romæ à Julio Secundo inchoata, à Paulo V. perfecta, ab Vrbano VIII. ænea admirandi operis mole confessioni SS. Apostolorum Petri, & Pauli superstante, ornata, & ab Innocentio X. marmoreo strata lapide, sacellis in utrâque templi ala dispositis, signis, & emblematis, Summorum Pontificum statuis pulcherrimè distinctis, luxuriante in flores, & ramusculos artis licentia, & scalpri elegantia, inter omnes mundi Basilicas emineret. Mediolanensibus Sanctus Barnabas Apostolus, Solis instar, Evangelij lucem primus invexit circa annum salutis humanæ quinquagesimum primum.

Leander Albert. in descript. Ital.
Aubert. Miræus in Notit. Episcop. Orbis Catholici.
Ferd. Vghell. in Ital. sacr. sub Archiep. Mediol.
Carol. à Basilica S. Petr. Episc. Novar. in Metropol. Mediol.
Donatus Bossius de Episcop. Mediol.
Bernard. Corius in Histor. Mediolan.
Ferrar. in Catal. SS. Ital. ad diem 11. mens. Jun.
Baron. in Ann. Eccl.
Joan. Petr. Puricell. in dissertat. Nazar. cap. 2.
Acta Mediolan. Eccles. part. 1.

Propria Mediolanensis Vrbis Insignia sunt rubri coloris Crux, in areola candida. At Leo Allatius, Author Græcus inter Latinos diù Romæ versatus, *Insignia*, inquit, *Mediolani sunt serpens ortuosus, ac puerum vomens, ab Ottone Vicecomite causa ducis Saracenorum ab illo occisi singulari certamine, ereptus, quidquid alij scribant*, addit Allatius in suis Animadversionibus. Carolus Sigonius de Regno Italiæ tradit, Ottonem primum illius familiæ, Serpentem, dum vixit, pro Armis habuisse, & posteris commendâsse gentilitiæ laudis Insigne; ea re postea domi compertâ, ait, Mediolanenses publico decreto sanxerunt, ut ad tanti viri memoriam conservandam signo viperéo uterentur. Petrarcha verò sic de hujusmodi stemmate scribit: *Otto Vicecomes, qui deinde Mediolani Principatum*

Leo Allatius in Animadv. pag. 41.
Torquatus Tassus cant. 2.
Carol. Sigon. lib. 9.
Petrarcha lib. 4. Rerum memor.

obti-

obtinuit, magni animi juvenis, patris jussu, cum copijs transmisit Apenninum: in ea expeditione cum fortè descendens equo requiescit, ingens vipera, nullo advertente comite, in galeam Principis juxta positam irrepsit, quam cum mox capiti reponeret, famoso quidem, & horrifico, sed innoxio prorsus lapsu, per genas Ducis interriti fluxit, eam à nemine lædi passus Adolescens ille animosus ad omen geminæ victoriæ traxit. Idque ipsum Bononiæ dum studijs operam daret, sæpè à se auditum refert. Cum Petrarcha sentit Gabriel Simeon in Compendio, quod Italicè conscripsit, de Ducibus Mediolanensibus, citatus à Claudio Minois in Emblema I. Alciati. Pontius Verunius in Epistola ad Antonium Vicecomitem, Draconis schema Stiliconi refert; acceptum his verbis: *Ab Stilicone eum Dracone infantem devorante, in Vicecomites sui sumpsit initium*; unde cecinit Claudianus:

Gabriel Simeon in Compend.

Claudius Minois Pontius Verun.

Claud. de Stilicone.

ignaraque virgo
Cui supplex calet ore pudor, per singula cernens
Nutricem consultat anum, quid fixa Draconum
Ora velint, ventis fluitent; an vera minentur
Sibila suspensum rapturi faucibus hostem.

Ijs nonnulla addere in gratiam lectorum volumus. Arma igitur Vicecomitum, qui primùm titulo Vicariorum Imperatorum, deindè Ducum nomine, Mediolano præfuerunt; Serpens erat: illis successere Duces Sfortiæ, qui scuto Ducali binos serpentes inseruerunt pugionem ab ore vomentes; & duas Aquilas; eaque ratione duarum familiarum Vicecomitum, & Sfortiarum Insignia in unum coaluerunt. Origo serpentis infantem evomentis in Ottonem Vicecomitem refertur, qui ad recuperandam Hierosolymam cum alijs Christiani nominis Ducibus profectus, Saracenorum Principem Volugesem, (sic Barbaro nomen) interemit, qui illud stemma præferebat; seque jactabat consanguineum Alexandri Magni, cujus mater Olympias, cum uterum ferret, somniavit aliquandò Serpentem se edere; idcirco Saracenus eum sibi in stemma desumpsit; ab isto verò, singulari certamine interempto Vicecomes Otto sibi, & suis accepit illustre tanti facinoris argumentum. Transijt ad posteros cum sanguinis claritate, & bellicæ virtutis gloria Serpentis symbolum.

Author Anonymus in litteris ad me datis Mediolani.

Alciat. de singulari certamine cap. 43.

Narrant alij ab ultimo Longobardorum Rege Desiderio acceptum esse, cujus Vicecomites hæredes, & posteri se esse

cre-

credebant: hic etiam dum teneræ ætatis puer esset, Serpentis cujusdam spinis caput cingi, sine ullo damno, animadvertit: quare Aldegisus ejus filius illum in stemma sibi assumpsit; eodemque insignitæ visuntur plures ipsius statuæ, & picturæ. Tandem Silvester Petrasancta nostræ Societatis Sacerdos sic de Tesseris Gentilitijs pag. 389. *Boa scutaria in modum pali sinuoza, & cyanea, auroque redimita, emergente pusione puniceo ex ore illius, in parmula argento illusa, est stemma Vicecomitis Mediolanensis.* Hæc de Mediolanensium Armis dicta sufficiant: quem verò Tutelarem Divum in bellis invocare soliti sint Mediolanenses, mihi certò constare non potuit: verosimile est, cum sui olim juris erant, invocare solitos fuisse Sanctum Ambrosium, quem Primarium suæ Urbis Patronũ habebant: cæterùm Catholico Hispaniarum Regi jam subjecti S. Jacobum Apostolum in prima adversus hostes impressione inclamare, Hispanorum more, dicuntur. Ijs veluti præludijs viam nobis aptè munivimus ad agendum de Mediolanensium Patronis, ac Tutelaribus. Thesaur. Reg. Ital.

A multis jam seculis Primarius illorum Patronus est Sanctus Ambrosius ejusdem Urbis Episcopus, & Doctor Ecclesiæ, cujus diem festum coli, ac celebrari, cum vigilia, & jejunio præcepit Concilium IV. Mediolanense Actor. part. 2. his verbis: *Festum Sancti Ambrosij Patroni, & Defensoris hujus Almæ Civitatis omni anno per commune, & officiales Mediolani honorificè, & decentèr fiat, ut hactenùs fieri consuevit, scilicet die septimo Decembris, quo est consecratus Episcopus: & primo die Jovis post festum Paschæ Resurrectionis, quo sanctissimè obijt.* Capite verò 62. ita præcipitur: *Quilibet cujuscumque gradûs, & conditionis existat, teneatur, & debeat honorificè celebrare prædictas duas festivitates Beatissimi Ambrosij, eximij, & sacratissimi, ac venerabilis Doctoris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac dignissimi Præsulis, Confessoris, Patroni, & pijssimi Defensoris hujus Almæ Vrbis.* In Kalendario etiam typis mandato ad usum eorum, qui Mediolani Romanum, non Ambrosianum ritum sequuntur, sic habetur: *Die septima Decembris S. Ambrosij Episcopi, & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris, & Patroni duplex 1. classis festum ex decreto Concilij Provincialis VI. & Synodi Diœcesanæ XI. ac etiam juxtà præscriptum Vrbani VIII. Missa Pontific.* Similia continet liber Statutorum. Concil. IV. Mediol. Synod. Diœcesana Mediolan. IV. Actor. part. 2. Kalend. Mediol.

Visitur Mediolani Basilica Sancti Ambrosij, vetustate

magis, quàm structurâ, nobilis, sacris ipsius Episcopi Reliquijs, & SS. MM. Gervasij, & Protasij corporibus opulenta. Illud ibi scitu dignum evenit: cùm inferendum esset Ambrosij corpus in Beatorum Martyrum sepulchrum, ij medium illi locum, honoris causâ, cesserunt: inde natum, ut Archiepiscopi Mediolanenses, ad tantæ rei memoriam æternandam, sigillo utantur effigie Ambrosij media inter Gervasium, & Protasium Martyres expressâ. In hac olim Basilica fulgentissimum Catholicæ Ecclesiæ lumen Augustinus ab Ambrosio baptizatus est; & uterque sacrum illum Hymnum, *Te Deum laudamus*, alternis composuit, cecinitque. Multa ibi Sanctorum Patrum Concilia celebrata fuisse memorant, & Fidei dogmata stabilita. Et, quod rarum est, sacris hic operantium duplex est ordo, Canonicorum sæcularium alter, alter Cisterciensium Monachorum, qui diu, noctuque divina Officia Ambrosiano ritu solent peragere. Hic etiam multi Imperatores ferreâ coronâ Regni Longobardici insigniti fuerunt ab Archiepiscopis Mediolani, quos enumerat Ughellus in Italia sacra sub Archiepiscopis Mediolanensibus; omnesque jure, ac titulo clientelæ Ambrosium Patronum suum, delato religionis obsequio, coluerunt.

Porrò Ambrosius jam inde ab ipsius obitu, vel paulò post, ut viri docti existimant, Mediolani Patronus cœpit esse, maximè ex quo multis beneficijs, & miraculis declaravit paternam se gerere suorum clientum curam, & solicitudinem. Unum, aut alterum ab innumeris seligemus, quò dictis fidem adstruamus.

Venerat ex Germania in Insubriam Conradus Imperator hoc nomine Secundus, & irarum aliquandò plenus, in aliquod Episcopos acriùs, quàm par erat, factis, & verbis animadverterat, nulla habitâ sacrarum, quam gerebant, dignitatum ratione. Igitur cùm vellet solemni ibidem ritu Rex Italiæ coronari, de repente intendere se cælo nubes, micare fulgura, mugire tonitrua, furere venti, fragore ingenti fulmina, impetuque effundi, & sæva exciri tempestas cœpit, stragemque mortalibus minitari. Conradus interim attonito similis hærebat insolito pavore perculsus, seque unum ijs Cæli terroribus, ac minis peti jure putabat; idque Cælo delapsus Ambrosius cōfirmavit specie terribili, severo vultu, fulgurantibus oculis apparens Brunoni Archiepiscopo Coloniensi, & alijs,

alijs, qui aderant Conradi familiaribus; Imperatori mortem minit ans, nisi Mediolano, & Italiæ finibus statim excederet, & in Germaniam se reciperet; qui divini Numinis iram metuens, & Ambrosi jobtemperans monitis, nulla interposita mora, Italia relicta, in Germaniam redijt. Idem describit, paucis mutatis Illescas Authot Hispanus in Historia Pontificum Roman. sub Joanne XIX. libro 5. cap. 6.

Fridericus etiam Ænobarbus impium Alexandro III. PP. Romano bellum intulit anno Christi 1176. ingentibus stipatus Germanorum militum copijs: prope Brixianum oppidum cum Mediolanensibus hostibus conflixit, qui Pontificis partes sequebantur; cùmque magno impetu in hostes se inveheret, & magnam eorum stragem ederet, affuit laborantibus de Cælo Petrus Apostolus, unà cum Ambrosio Episcopo, & Patrono; & insignem suis clientibus, Germanis partìm in fugam actis, partìm cæsis, victoriam concessit; fassi sunt hostes ipsi, divina se virtute magis, quàm humanâ victos fuisse. Ex ijs facile erit de reliquis conjecturam facere. *C.Bar.in Ann.Eccl. to.12.ad An.1176. Robert.de Monte. Acta Alex.III.*

Sanctum Barnabam Apostolum Provinciæ Mediolanensis Patronum esse, ad me scripsit Præfectus Archivij Archiepiscopalis, Mediolani verò Sanctum Ambrosium: eo nomine, quòd illam fundavit Ecclesiam, & Christi Fidem per finitimas regiones propagavit; suffecto sibi postea Anathalone viro sanctissimo, in Cyprum Insulam redijt, ibique martyrij palmam obtinuit. Procedente tempore, ejus corpus Mediolanum translatum esse, affirmant Scriptores idonei, & in templo SS. MM. Naboris, & Felicis collocatum: ut quam docuerat, & illustraverat Urbem Sede Episcopali, eandem sacris etiam ditaret, & ornaret exuvijs: multis ibi seculis delituit, donec singulari Dei beneficio inventum, & nobiliori conditum sepulchro, argentea capsa inclusum, statis anni diebus Fidelibus ostendi solet, eò religionis causâ confluentibus. A nobis hactenùs tradita probat liber inscriptus *Acta Ecclesiæ Mediolanensis*, in quo Mediolanense Concilium Provinciale VI. hæc statuit de die festo S. Barnabæ per totam Diæcesim celebrando: *Dei munere, beneficioque cum Ecclesia Mediolanensis prædicatione Sanctissimi Apostoli Barnabæ primum Fidei mysterijs imbuta; tum aliæ pleræque hujus provinciæ Civitates Evangelii lumine illustratæ, causam omnem festi illius diei præcipuè colendi habeant; quamobrem dies ejus natalis, qui est III. Idûs Ju-* *Præfectus Archiv. Mediolan. Acta Eccl. Mediol. Concil. Provinciale Mediolan. VI.*

 nij,

nij, ut de more aliorum dierum festorum, qui à Clero, populoque ex præcepto coluntur, piè, & religiosè sanctificetur, Episcopus curet, ubi in sua Diæcesi non colatur, sanctificeturve.

S. Paulin. in Vita S. Ambrosij.

Cæterùm Andreas Saussai nobilis Author Gallus in suo Martyrologio part. 1. ad diem 28. Februarij, & ad 11. Junij, tradit, S. Barnabæ corpus in Sancti Saturnini Basilica Tolosæ asservari. Hispani verò ejusdem caput apud se habere Valeriæ in Ecclesia Cathedrali, mordicùs defendunt, & Genuenses Genuæ in principe Urbis ipsius templo; quorum discordes sententias componere, nostri instituti non est.

Andr. Saussai.

Ægid. Goncalas de Avila tom. 5. Thesaur. Eccl. Hispani. Salazar in Martyr. SS. Hispan. ad diem 7. Maij.

Sancti Martyres Gervasius, & Protasius fratres Mediolanensium Patroni minùs præcipui esse dicuntur: quorum corpora, cum supra ducentos annos sepulta jacuissent, & mortalibus ignota, B. Ambrosio divinitùs revelata fuerunt, & inventa recenti adhuc sanguine conspersa, colore vivido, & candido, omnis prorsùs corruptionis expertia; inde magno Civium cõcursu in Ædẽ sacram delata, grato Fidelibus spectaculo fuerunt: nam decidens è tecto tabula quædam SS. MM. corpora palàm exposita graviter, læsit, manareque statim, cæpit ex vulnere ingens sanguinis copia, qui multorum sudariolis, linteolisque exceptus, innumeris posteà ægrotis, & malè habentibus saluti fuit. Inde arrepta occasio illos deligẽdi Mediolani Patronos. Hujus pretiosi sanguinis guttas, & MM. reliquias in varias deinde Europæ, præsertim Galliæ, regiones delatas esse, idonei testantur Authores; quasi ambirent omnes illorum Reliquijs ditari, patrocinioque defendi: Galli multas habent Ecclesias Cathedrales SS. Gervasij, & Protasij titulo insignitas; eminebant olim inter cæteras Matisconensis, Cenomanensis, Nivernensis; licet temporum decursu alios sibi Patronos assumpserint: modò Lectorensis, Sagiensis, & Suessionensis illos habent Tutelares. Saussaius affirmat asservari eorum corpora Suessione; è contra verò Authores alij scribunt, è Mediolano translata esse Brisacum, exscissa funditùs eâ Urbe à Friderico Ænobarbo, ut videre est apud Hermannum Chrombach Societatis nostræ Historicum: idque ipsum confirmare videntur multa, & illustria miracula, quæ ad eorum sepulchra edi solent, & festa dies, magno pietatis sensu, & Fidelium concursu peragi solita: incisa etiam in sepulchrali marmore hujuscemodi carmina.

Vghell. tom. 4. Ital. sacr. sub Episcop. 5a-nuarij. Philip. Ferrar. in Catal. SS. Ital.

Eugippus Abbas in Vita S. Severini.

Sammart. Fratres tom. 3. Gall. Christ. pag. 67. & 791. & tom. 2. à pag. 512.

Saussai p. 1. Martyr. Gallic. die 27. m. & part. 2. die 11. Maij.

Herm. Chrombach. S. 1. tom. 3. de tribus Magis lib. 2. c. 36. Martyrol. Basileens.

En geminos fratres Christi, testesque beatos,
Protasium hic cernis, Gervasiumque simul.
Corpora ter felix, quorum sacrata Brisacum
Servat miraculis vivida continuis.

B. Rhenan. lib. 2. Rer. German. f. 28. Crusius p. 2. lib. 11.

Porrò Brisacum in edito monte situm, castri speciem refert, & Rhenum fluvium despectat, incolis frequens, ædificijs elegans, non minus arte, quàm naturâ munitum, ut hujus temporis bella esse docuerunt.

Joannes Petrus Puricellus tom. 1. Monumentorum Ambrosianæ Basilicæ, multis rationibus probat, in eâdem Basilica asservari adhuc corpora SS. Gervasij, & Protasij, nec ullo unquam tempore Mediolano extracta, alioque avecta fuisse: primo, Caroli à Basilica Petri, Episcopi Novariensis, gravissimi Authoris testimonio: secundò, infirmando Bernardini Corij pro contraria stantis parte, sententiam: tertiò, ex nonnullis probatæ fidei authoribus, narrat Fridericum religione tactum pepercisse Basilicæ Ambrosianæ: idque plane convincere aureum altaris operimentum gemmis pretiosis distinctum multo antiquius Friderico, donatum ab Angilberto Mediolani Episcopo; is enim vixit imperante Ludovico Pio: & vetusta simul tabula porphyretica, cum integra altaris structura excidio Mediolani antiquior; nec inde poterant ullo modo asportari corpora Sanctorum Martyrum sub illa condita, nisi totum demoliretur altare. Id ipsum prætereà traditione confirmat, quæ inter Mediolanenses ad hanc usque diem perseverat à maioribus ad minores transmissa; & ex illorum festo eâdem prorsus, quâ ante excidium, religione, & solemnitate, celebrari consueto: ab innumeris etiam miraculis ad illorum memoriam, vel sepulchrum editis. Ijs Puricellus rationibus suam sententiam valdè probabilem reddit, & Mediolanensium partes egregiè tuetur. Erunt, qui rem lentiùs examinent, ferantque pro veritate sententiam: nobis hæc scripsisse sufficiat.

Joan. Petr. Puricel.

Carol. à Basil. Petr. in S. Cayo Episcop. Mediolan.

Ferrar. in Catal. SS.

Puricellus.

Nazarius, & Celsus Martyres inter Mediolani Patronos minùs præcipuos numerantur. Illorum corpora Sanctus Ambrosius invenit pridie Idus Junij, qui dies solemnis habetur Mediolani, & 28. Julij, quo martyrij palmam obtinuerunt. Ambrosius nobile B. Nazarij titulo templum extrui curavit, in quo ipsius corpus reposuit: id post trecentos ferè annos integrum, & incorruptum invenit, recenti adhuc tinctum

Nazarius, & Celsus MM.

Baron. in not. ad Martyr. Roman. die 28. Julij.

Joan. Petr. Puricell. Vghell. tom. 4. Ital. sacr. sub Archiep. Mediolanens.

Aubert. Miraeus in fast. Belg. & Burgund. die 28. Julij. Membrit. tom. 2. Ferrar. in Catal. Sanct. Ital. Sannesar. in Hymn. SS. Nazar. & Celsi. S. Molan. in natal. SS. Belgij 28. Julij

sanguine, & specie, quàm pro humana conditione, angustiore, ut Sanctus Paulinus affirmat; cujus pavimentum Lybico stravit marmore Serena Stiliconis uxor, quæ B. Martyrem singulari pietate colebat. Nicienses in Provincia cum Cemiliensibus simul Christi Fidem à Nazario se didicisse gloriãtur, primo humanæ salutis seculo; nam dum ille, Anolini Præsidis sententia, exul in Gallias deportaretur, Cemiliam venit, ibique per aliquot dies moratus, Cemilienses ad veri Dei cognitionem sua prædicatione adduxit, & Celsum puerum sibi adlegit exilij socium, & martyrij posteà consortem. Hanc ob rem Cemilienses, & Nicienses Celsum, & Nazarium Patronos habent, quemadmodùm, & Mediolanenses.

Saussai in Martyr. Gallic. pag. 480.

Membrit. tom. 2. de Sanctis.

Sigibert. in Chronic. ad An. Christ. 764. Saussai ad diem 1. August. in suo Martyrol. Gallic.

Herman. Chrōbach. S. I tom. 3. de tribus Magis l. 2. c. 43.

His Mediolanensis Urbis Patronis Andreas Saussai adjungit invictos Christi Martyres Felicem, & Naborem, eo, nisi fallor, titulo, quòd in eâdem Urbe sanguinem pro Fidei confessione fuderunt, imperantibus Diocletiano, & Maximiano. Item quòd sacra illorum corpora ibidem quiescant, & multis coruscent miraculis: quãquàm Sigebertus in Chronico, Naboris corpus in Gallias translatum esse testetur. Saussaius verò scribit, Coloniam Agrippinam amborũ Martyrum corpora, cũ SS. simul triũ Magorum corporibus, everso Mediolano, avecta fuisse, Reynoldi Archiepiscopi Coloniensis opera, & industria, & in B. Mariæ Magdalenæ Cœnobio collocata; quorum sententiam multis confirmat Scriptorum testimonijs Hermannus Chrombach Societatis nostræ Theologus; & nonnulli sunt patriâ, vel Mediolanenses, vel Itali, videlicet Bernardinus Corius, Ripamontius, Tristanus Chalchus, Donatus Bossius, Philippus Bergomas; Melchior etiam Inchofer, Austriacus gente, Godefridus Pantaleonita, Chronicon Magnum Belgij, Chronicon Coloniense, Ægidius Aureæ Vallis Monachus, liber m. s. de Episcopis Leodiensibus; & Coloniense Breviarium in eadem sunt sentẽtiã. Eam tamen Joannes Petrus Puricellus, de quo suprà meminimus, multis, & idoneis rationibus impugnat, asseritque ad hanc usque diem esse Mediolani in Ecclesia Fratrum Minorum, quæ nunc dicitur *Sancti Francisci*, cùm antea SS. Martyrum *Naboris, & Felicis* diceretur; probat in primis ex testimonio Caroli à Basilica S. Petri, vetusti Authoris, & fide digni; secundò ex Historia Mediolanensi, ubi agit de Sancto Materno Episcopo VII. tertiò ex discordia Scriptorum, qui

Mediolanensibus advèrsantur ; & inter se de hac re minimè conveniunt : & quòd caput est, cùm S. Carolus Borromæus, Archiepiscopus Mediolanensis, illius Ecclesiæ Reliquias recognosceret, easque à loco, ubi olim asservabantur, in alium digniorem transferret, Naboris, & Felicis corpora invênit inclusa in arca lignea ad speciem monumenti composita, cum idoneo operculo, laminis ferreis benè munito, & ipsa vetustate rei veritatem comprobante: ad arcæ latera, vitrea quædam vascula erant, ijs simillima, quæ Romæ passim reperiuntur in subterraneis Cryptis, & Martyrum cæmeterijs. Utriusque Martyris caput inde extraxit S. Carolus, & argenteis thecis includi jussit, & reponi in thesauro Reliquiarum, ut certis quibusdam anni diebus Fidelibus ostendi posset. Eo ipso in loco marmorea tabella visitur, valdè antiqua, in qua hujusmodi versus, qui rem continent, leguntur: *Gaspar Trissinus cap. 11.*

Hic Nabor, hic Felix, hic Fortunatus habetur,
Et cum Materno Caius, dictusque Philippus,
Nec non Savini Sancti venerabile corpus.

Kalendarium tandem Ambrosianum m. s. in charta pergamena ad Annum 1381. nominatis suo ordine Ecclesijs, in quibus Sanctorum dies festi celebrantur, & ubi eorum corpora quiescunt, sic habet ad diem 12. Julij : *Sanctorum Martyrum Naboris, & Felicis : jacent ad Sanctum Franciscum.* Ijs, & alijs motus rationibus Puricellus rem sibi conficere videtur, & silentium adversæ partis Authoribus imponere. *Vghell. tom. 4. Ital. sacr. sub Archiep. Mediolan.*

Sanctus Sebastianus, pestiferæ contagionis causa, à Mediolanensibus, concivibus suis, Patronus electus est: civis lege, & amore tenebatur laboranti tanto malo patriæ suo patrocinio subvenire, lueque depulsâ suis clientibus opem ferre. Id re ipsa præstitit, anno potissimùm 1576. Præsule tum Mediolani Sancto Carolo Borromæo, grassante per Urbem contagione, & magnam incolarum stragem edente; nuncupato, omnium consensu Ordinum D. Sebastiano voto, abacta protinus, divina virtute, lues pestifera, & salus incolis restituta : aucta, beneficio accepto, civium pietas erga Sebastianum ; ejusque memoria clarior, & charior Mediolanensibus esse cæpit : omnes ad illius patrocinium confugere, nomen invocare, opem exposcere, & præsentem experiri : præterea Synodus V. Diæcesana, sub S. Carolo Borromæo coacta, accepti nuper beneficij memor, edito decreto sancivit, ut in po- S. Sebastianus. *Ripament. in Hist. Ecclesf. Mediolan. part. 4. lib. 4.* *Synod. V. Mediolan.*

posterum illius dies festus per totam Diœcesim haberetur, his verbis: *Beatissimi Martyris Sebastiani Civis Mediolanensis, cujus dies natalis jam usque à temporibus Sanctissimi Patris, & Patroni nostri Ambrosij, sermone etiam ejus martyrium celebrantis, à nostris maioribus piè cultus est, diem festum anniversarium, qui est xiii. Kalend. Februarij, ex voto ob funestæ pestis, qua Vrbem, Diœcesimque Mediolanensem Anno 1576. teterrimè invaserat, contagionem, religiosè nuncupato, in tabulasque publicas Civitatis relato, ab universo, & clero, & populo Mediolani piè item, sanctèque coli, atque observari mandamus, ut reliquos Sanctorum festos, solemnesque dies, qui ex præcepto, instituto Ecclesiæ coluntur: ex eadem præterea voti nuncupatione, pridie illius festi diei jejunium ab eodem Clero, populoque Mediolanensi agi, celebrarique præcipimus.* Joseph Ripamontius lib. 4. Hist. Mediolanensis sic scribit: *Depulsâ ex Vrbe pestilentia Martyris Liberatori templum posuere Cives in eisdem vestigijs, ubi posita ejus Ædicula vetus fuerat; donaque illuc portavere, & festus dies S. Sebastiano quotannis inde Vrbi agitur.*

Carol. à Basilica S. Petr. in vita S. Caroli Borrom. l. 4. c. 5. Bolland. in Acta Sanctor. tom. 2. Januar. ad diem 20. Ripamont. l. 4. p. 4.

Præsentem etiam B. Martyris opem Roma caput Orbis experta est, jam inde à tempore Agathonis Papæ ejus nomen invocare solita, & patrocinio fidere, ab Anno scilicet 680. quo diffundente sese latè per Urbem lue, & in omnes illius regiones pervadente, divino monitus oraculo Papa, Aram Divo Sebastiano posuit, & ipsius apud Deum precibus, divinum Numen ad clementiam flexit, & fatalem à Civibus cladem avertit: inde profectum, ut in universi orbis Provincias religio fuerit propagata, & mos invocandi nomen, & opem Sebastiani tempore contagionis pestiferæ, atque in illius memoriam Aras, & Ecclesias excitandi: quæ licet alijs Europæ regionibus, communi quodam religionis titulo convenire videantur, Mediolanensibus tamen peculiari jure, & ratione competere certum est, ut pote qui Sancti Martyris natalibus glorientur, & Civem suum religiosè colunt, cælesti jam Civitate donatum; sperantque illum optimi Civis amori, & clementissimi Patroni officio, nullo unquam tempore defuturum. Quod attinet ad Sebastiani corpus, gravis est inter Scriptores discordia. Galli illud apud se habere existimant Suessione in Ecclesia Sancti Medardi à tempore Ludovici Pij: Romani verò in Basilica ipsius Martyris in Via Appia. Cardinalis Baronius media via incedit, cum Adone Viennensi, &

Paul. Diacon. l. 6. c. 3 de gest. Longobard.

C. Baron. in not. ad Martyr. Roman. ad diem 20. Januar.

Joan. Bolland. S. 1. cit. to. 2. ad 20. Jan.

Andr. du Chesne to. 2. Scriptor Franc. Sauss. p. 2. Martyr. Gallic. ad 9. Decebr. C. Bar. Ann. Christi 826. Martinell. in Roma Ricercata.

& Joanne Molano; concedit quidem Gallis alteram partem corporis, alteram Romanis attribuit; & sic utriusque gentis Historicos inter se discordes, hac ratione componit, quæ nobis sententia valdè probatur.

Baglion. de IX. Eccl. Vrb.
Paul. Diacon. lib. 3. c. ult. & lib. 4. c. 1.
Baron. to. 8. Annal. Eccles. pag. 28.
Matth. Raderus Societ. I. in sua Bavaria sacra pag. 35. & 36.
M. Vuelserus de Reb. Boicis lib. 4.
Bartholoni Zucchius in Elogio Reg. Theodolindæ.
Vghell. tom. 4. Ital. sacr. sub Archiep. Mediolan.

Non erit à proposito alienum, inter Sacros Mediolani, vel etiam Insubriæ totius Patronos recensere Sanctum Joannem Baptistam, quem Theodolinda Longobardorum Regina excellenti pietate, ac prudentiâ fæmina, suæ gentis olim, & Insubriæ Provinciæ, cujus nunc caput est Mediolanum; etsi Ticinum eo tẽpore Regum Longobardorũ sedes esset; Tutelarem, ac Protectorem sibi, & Regno suo delegit: Basilicam in illius honorem fabricari jussit Modoetiæ, quam recentioris ævi Scriptores *Monzam* dicunt: (oppidum id est in primis nobile, & vetustum, parque Urbi magnæ frequentiâ, & opibus civium, de quo non semel fit mentio in Annalibus Longobardorum) hanc sacra supellectile, & magna vasorum ex auro, & argento copia, abundè instruxit, amplis etiam redditibus dotavit: Regiam præterea pari magnificẽtiâ domum, in qua habitarent Reges, seu Basilicæ additamentum, erexit: mox Sanctissimi Præcursoris obsequio, & clientelæ, se ipsam cum gente Longobardicâ, solemni voto subjecit, hac verborum formula ad veterem pietatis sensum à Regina, Regniq; Primoribus concepta: *Vt ipse Sanctus Joannes pro nobis interpellator sit ad Dominum Deum nostrum Jesum Christum, nos omnes unanimes pollicemur illi omni anno in die Nativitatis suæ, hoc est viii. Kalend. Julij, de nostris facultatibus transmissuros ad oraculum ejus, ut per illius interpellationem habeamus juvamen Domini nostri Jesu Christi, tam in bello, quàm in alijs locis omnibus quocumque ituri sumus.* Ratæ fuerunt preces, quandiu Baptistæ cultus inter Longobardos floruit. Proditum memoriæ est, Constantem Imperatorem C.politanum Heraclij ex Constantino filio nepotem, bellum ijs illaturum, cum Tarentum militaribus instructus copijs trajecisset, deque evẽtu pugnæ solicitus, Eremitam quendam vaticinandi famâ clarum consuluisset; is petita noctis unius mora, salutato priùs Numine, respondisse: *Longobardos vinci non posse: Reginæ Theodolindæ obstare factum; ædificasse illam in Regni sui confinijs Basilicam Præcursoris, qui Deum continuis precibus interpellet; fore ut aliquando neglectum illius cultum, gentis exitium cõsequatur.* Hujus vaticinij fidem multis post annis infelix bellorum

Paul. Diacon. l. 5. de Gest. Longobard. c. 6 & 7. & cap. 34.
C. Baron. in Annal. ad Ann. 667.

lorum exitus, & Longobardici Regni interitus comprobavit: ſtetit illud armis, opibus, & victorijs florens, quandiu Baptiſtæ cultus, & patrocinium floruit; illo neglecto, protinus cũ ſuo Deſiderio Rege Regnum corruit Longobardicum. Porrò Theodolinda ampliſſimæ donationis, quam prædictæ Baſilicæ fecerat, tabulis horribilem ſanctionem adjecit, dirisque devovit tranſgreſſores, in hunc modum: *Offert glorioſiſſima Theodolinda Regina, unà cum filio ſuo Adualdo Rege Sãcto Joanni Patrono ſuo de dono Dei, & de dotibus chartulam ſuæ donationis, quam in ſuorum præſentia ſcribere fecit: ſi quis quolibet tempore hanc teſtem voluntatis ſuæ corruperit, in judicij extremi die cum Juda traditore damnetur.* Ab eo tempore Longobardi cũ Ticino, Mediolano, & cæteris ſuæ ditionis Urbibus ſub Magni Baptiſtæ patrocinio, & tutela vixerũt. Gundberga etiam Regina Rodoaldi Regis conjux, Theodolindæ matris pietatem imitata, aliam Sancto Præcurſori Baſilicam inſignem Ticini poſuit.

Illuſtriorem reddidit Baptiſtæ Baſilicam à Theodolinda extructam corona ferrea Regni Lõgobardici Inſigne, in ejuſdem theſauro aſſervata, quâ poſtea coronari multi Reges Italiæ conſueverunt: hac ipſa Carolus Magnus Imperator, ejuſque in Imperio ſucceſſores ſolemnibus cæremonijs inaugurati fuerunt; & ſi Carolus, condita poſtea lege, decrevit, ut Mediolani Reges coronarentur. Cæterùm Conradus Imperator poſtquam Regiam coronam Mediolani ab Heriberto Archiepiſcopo accepit; Modoetiæ item, maiorum more, coronari voluit, Anno Chriſti 1026. Fridericus etiam Ænobarbus in eodem loco Italici Regni ferream coronam ſumpſit in tẽplo S. Joannis Baptiſtæ. Prætereà Carolus V. Imperator, dum Bononiæ moram traheret, coram Modoetiæ legatis ad ſe miſſis, antiquam coronandi in eodem templo Reges conſuetudinem probare, ac laudare viſus eſt Anno 1530. quaſi vellent Imperatores, ſimul ac Reges Italiæ ſub S. Joannis Baptiſtæ clientela, & umbra vivere, & Mediolanum, Inſubriamque ſub illius protectione collocare, ut domi pacis artibus, foris militari gloria perpetuò florerent.

Carol. Sigon. lib. 5. Hiſt. Bonon. pag. 59.

Vghell. citat. in Archiep. Mediol.

VRBS VENETA

IN Adriatici maris sinu, palude intermeatè, loco inaccesso constructa Anno Christi 452. Attilæ Regis Hunnorum metu, qui cuncta circum oppida ferro, flammisque vastabat, & Aquileiam Urbem primariam, triennij obsidione captam funditùs exsciderat: Respublica post Romanam maxima, justis instructa legibus, optimis moribus constituta, diuturnitate Imperij Romanâ longè superior, quæ cùm annos vix quingentos (numerare à Bruto incipio) perdurasset, Veneta ultra mille ducentos perseverat, perseverabitque divino favente Numine domi pacata, foris gloriosa. Urbs è multis urbium reliquijs coaluit: diversi aliundè venientes convenerunt in littus, & inde ad mare proximum transmiserunt; & quem locum simul insederant, eum propterea *Venetias* appellarunt. Ædibus amplissimis, pontibus magnificis, templisq; augustis conspicua, diversáu gentiû frequentiâ, & cōmercio opulenta, de quâ meritò dicere possis, quod Erasmus Roterodamus de Gandavo dixit amplissima Urbe Flandriæ Caroli V. Imperatoris natalibus clara, ad Scaldis, & Lisæ confluentes sita: *Non arbitror,* inquit, *quaque patet Christiana ditio, Civitatem ullam reperiri, quæ cum hac conferri possit, sive spectes amplitudinem Vrbis, ac potentiam, sive politiam, sive gentis indolem, sive tot inter æstuaria, & canales situm admirabilem, sive rerum gloriam domi forisque gestarum maximam.*

Scriptores Veneti. Baron. in Annalib. Ann. Christi 452. Fr. Franc. Macedo in descript. Ven. Vrbis. Sansovinus in Chronol. fundatam scribit Ann. 421. Ferdin. Vghell. in Ital. sacr. sub Patriarch. Venet. Ludovic. Morerius in diction. univers. Gallico, verbo Venite.

Aubert. Miræus in notit. Episcop. Orbis Christian.

Sabellicus præcipuis Italiæ Urbibus hæc epitheta vulgò attribui affirmat: Roma sancta, Genua superba, Mediolanum amplum, Florentia pulchra, Neapolis illustris, Venetiæ opulentæ, Ravenna antiqua, Bononia crassa, seu pinguis; Patavium doctum, &c. Audiamus Thomæ Angli de ijsdem Urbibus sententiam his carminibus expressam:

Sabellicus.

San-

Sancta è Sanctorum pretioso sanguine Roma ;
Cingitur Vrbs Venetum pelago ditissima numis ;
Inclyta Parthenope gignit Comitesque, Ducesque ;
Et Mediolanum jucundum, nobile, magnum ;
Excellit studijs fæcunda Bononia cunctis ;
Splendida solertes nutrit Florentia Cives ;
Genua habet portum, mercesque, domosque superbas ;
Illustrat Senas patriæ facundia linguæ ;
Flent Pisæ amissum dum contemplantur honorem ;
Clara perantiquæ defecit fama Ravennæ.

Urbs Veneta cursu temporis multis concussa bellorum motibus firma semper, & sibi constans, ac invicta stetit militari gloria, & partis de pugnacissimis gentibus victorijs celeberrima. Pro Insignibus habet Leonem aureum apertis alis volatum anhelantem, capite radijs crinitis jubato, candicanti circulo, seu diademate coronatum, falculis tenentem Sãcti Marci Evangelistæ librum Reipublicæ Patroni, addita epigraphe: *Pax tibi Marce Evangelista meus.* Ecclesiam Venetam Patriarchali titulo, & honore insignivit Nicolaus V. Pontifex Maximus anno 1450. ut Venetos de Sede Apostolica benemeritos ea eximia dignitate decotaret; Beato Laurentio Justiniano antiquæ probitatis, & excellentis doctrinæ præsule, primo Patriarcha creato. Ecclesia Cathedralis Sancto Petro Apostolorum Principi dicata est in extrema Urbis parte, quæ *Castellum* dicitur, Orientem versùs condita; structurâ nobili, & vetusta, tabulis marmoreis vestita, & ingentibus fulta columnis. Visitur in ejus Sacrario illa ipsa Cathedra, in qua Sanctus Petrus Antiochiæ primùm sedisse dicitur, dono missa Venetis à Michaele Constantinopolis Imperatore, Duce tum Reipublicæ Petro Tradonico. Sancti Marci templum Ducale, in quo ipsius Evangelistæ corpus asservatur, à Joanne Participatio Venetiarum Duce ædificari cœptum, cursu temporis piorum munificentia Ducum in eam amplitudinem, & elegantiam evectũ est, ut de illo præstet silere, quã pauca dicere. Legat qui velit plura rescire aureum planè librum inscriptum *Pictura Venetæ Vrbis, ejusque partium in tabulis Latinis, coloribus oratorijs expressa, & pigmentis poeticis colorata*, penicillo Fr. Francisci de Macedo, Lusitani, viri doctissimi, emeriti in Academia Patavina Magistri.

Surius tom. 1. mense Januar. Scriptores Veneti. Bolland. & Henschens in Act. SS. Januario m. Morosinus l. 3. Hist. Venet. p. 69. Justinianus. Sansovinus in Eccl. S. Petri de Castello. Vghell. tom. 5. Ital. sacr. sub Patriarch. Venet.

Primus ante urbem conditam gentis Venetæ Patronus

fuisse creditur Sanctus Jacobus Maior Apostolus: visitur enim in Regione Rialti vetustissimum ipsius templum à Patavinis Civibus extructum anno Christi 420. qui eò se receperant Barbarorum metu, ut constat ex subjecta inscriptione in marmorea tabula insculpta:

Morosinus l. 2. Hist. Venet. pag. 5.
Justinian. l. 2. Rerũ Venet.
Vghell. tom. 5. Ital. sacr. sub Patriarch. Venet.

Fundamenta hujusce templi
D. Jacobo Apostolo ex voto erecti jacta
Fuere Christianæ salutis Anno CCCCXX.
die xxv. Martij
Zozimo Romano Pontifice,
Honorio Imperatore, Dedicatio celebrata est
Sequenti anno,
Eadem die per quatuor Episcopos
Severianum Patavinum, Hilarium Altinatem,
Jucundum Tarvisinum, & Epodium
Opiterginum.

Causam, ni fallor, electioni dedit fusum latè per totam urbeculam incendium, quæ maxima tum ex parte ligneis, & humilibus constabat casis, Jacobi Apostoli intercessione restinctum. Accedit quòd Flavius Dexter (& si nos hujus Authoris scripta parvi faciamus) ita scribit ad annũ XXXXI. *Jacobus Gallias invisit, & Britannias, & Venetiarum oppida, ubi prædicat.* Urbe jam condita, & in justam magnitudinem evecta, Sanctum Theodorum Martyrem Patronum sibi Veneti delegerunt ab eo scilicet tempore, quo Narses Eunuchus Dux clarissimus, pervênit Venetias, vel laxandi animi à bellorum studijs, & contentione causâ; vel agendi gratias Venetis ob submissam Belisario, Ravennam Gothorum regiam obsidenti, fluvialium navium classem, qua maritimæ hostiũ vires valdè debilitatæ fuerunt, & eorum classis, quæ paulò ante solverat è Ticini portu, & suppetias ferebat obsessis, in medio Pado interclusa, & dissipata fuit, captis, vel incensis magna ex parte navibus: navalem victoriam Urbis deditio consecuta est: Rex ipse Vitiges captus, & in triumphum Constantinopolim ductus. Iterùm Narses prope Anconam Urbem maritimam, Venetorum auxilio, Gothicam superavit classem multis depressis navibus, pluribus captis.

Flavius Dexter citatus ab Alfordo S. I. in Annal. Eccl. Brit. to. 1. pag. 14.

Harum sanè rerum conscius Dux fortissimus, confecto jam ex animi sententia bello, Venetias se recepit, ibique in publica concione Venetorum erga Justinianum Imperato-

rem fidem, & constantiam mirificè laudavit, & egregiam in bellis adversus Gothos operam impigrè navatam: templum etiam in foro Sancti Marci Divo Theodoro posuit, cujus opem in bello non semèl expertus erat. A Narsete igitur, & Græcis armorum socijs, qui Sanctum Theodorum impensè colebant, eumque in Orientis regionibus habebant Tutelarem, eumdem Martyrem Veneti Patronum accipere voluerūt: donec translato Venetias Sancti Marci Evangelistæ corpore, eum deinceps primarium sibi Patronum cooptarunt.

Ludovic. Morer. in diction. univers.
Andr. Dandulus in Chron. l.4.c.1.

Author Anonymus in Historia translationis ossium Sancti Nicolai Episcopi B. Theodorum vocat *Vrbis Venetæ Patronum*: quod de antiquo Patroni titulo, vel de minùs præcipuo debet intelligi, cum eo tempore, quo is Author scripsit, Sanctus Marcus primarius Venetiarum Patronus jam haberetur, quod Ughellus advertit in Patriarchis Venetiarum: *Theodorum Martyrem*, inquit, *in Tutelarem ac Patronum habuit Veneta Civitas antequàm Divi Marci corpus in eam importaretur.* Supersunt duæ ad hanc usque diem immensæ altitudinis columnæ in foro Sancti Marci, antiqui patrocinij monumēta, Duce Reipublicæ Sebastiano Zianio Constantinopoli missæ Venetias anno 1174. quorum altera, quæ propior est Palatio, sustinet in summo Leonem Sancti Marci ex ære affabrè elaboratum, vultu ad Orientem verso, seu notans undè venerit, & quò extenderit Imperium. Alteram insistit militaris effigies Sancti Theodori marmorea, quæ ordine inverso scutum tenet in dextera; sanè, scribit magni nominis Author, quòd ille Protector sit Urbis eo habitu fingendus erat; Protectoris quippè est protegere, ad id autem scutum proferēdum manu dextera donantis more, non sumentis; sumeret autem sibi ad tuendum scutum si lævâ gestaret: dum offert, ac exhibet oblatum dextera, donat alijs tutamen, & præsidium se detegendo, ut Rempublicam tegat: quasi velint Veneti illa æternitatis symbolo columna antiqui apud ipsos Patroni memoriam retinere, & cōmendare.

Author Anonymus.
Ferdin. Vghell. sub Patriarch. Venet.
Andr. Dandulus in Chron. l.4 c.1.
Ludov. Morer. in diction. univers.
Fr. Francisc. Maced. in descript. Venet. Vrbis.

Cæterùm postquàm ex Alexandria Ægypti translatum est in Urbem Venetam Sancti Marci Evangelistæ corpus Anno Christi 820. (& si alij Authores in aliâ sententia sint) Boni Metamaurensis, & Rustici Torcellensis industriâ, Justiniano Participatio ea tempestate Venetiarum Duce, Reipublicæ primarius Patronus exindè haberi ab omnibus, & coli

Sansovinus cum Genebr. sentit Anno Christi 827.
Baron. in Ann. Eccl. Anno Christi 820.
Genebr. Ann. 827.

cæpit

cæpit, ac illius memoria cunctarum gentium litteris; & sermonibus celebrari: Marci nomine creati Duces, sanciri leges, eligi Magistratus, contineri in officio Cives, Respublica sanctissimè gubernari: summi, infimi, medij ad ipsius confugere patrocinium in publicis, ac privatis calamitatibus; cuncti in ejus se dare clientelam; ut Patronum colere, ut parentem amare: ita ut Veneti Sancti *Marci clientes*, & Urbs ipsa *Sancti Marci* vulgò dicantur, & Aureus ipsius Leo in bellicis vexillis, in publicis ædificijs, in privatis domibus, in Urbium portis, in triremium puppibus, in ædibus virorum principum, in Senatorum prætorijs, vel auro cælatus, vel in ære insculptus, vel penicillo depictus videatur. *C. Baron. ad Ann. Christi 831.*

Receptum verò intra Venetæ Urbis sinum Beatissimi Evangelistæ corpus loculo pretioso collocari jussit Justinianus, ac de nobili simùl templo in illius honorem opportuno loco extruendo seriò cogitavit; sed morte immatura præventus perficiendi tanti operis gloriam Successoribus reliquit. Placuit locus juxta Ducale Palatium, medius inter aulam Ducis, & Sancti Theodori templum à Narsete fundatum. Corpus in arcula ærea decentèr inclusum intra columnam marmoream conditum fuit, summa adhibita diligentia nequis resciret conditorium præter Ducem, & Primicerium templi. Exciderat hominum memoriâ locus, in quo latebat corporis sacri thesaurus, & Cives gravi mærore affecerat; memoriam deleverant non tam longi temporis cursus, quàm bellorum tumultus, & domesticæ seditiones, quæ Rempublicam maximè turbaverant, & multa scitu digna oblivioni tradiderant: donèc Vitali Faledro Duce, ut refert Dandulus, singulari Dei beneficio, de repentè apparuit, seque omnium oculis præsentem exhibuit: dum enim innumeri ex omni sexu, atque ætate mortales in ejus templo fundendis ad Deum precibus vacarent, è medio columnæ marmoreæ visum fuit Marci brachium foras subitò prodire, seque omnibus qui aderant rei novitate attonitis, palam ostendere. *Videntibus cunctis*, scribit Dandulus, *& stupentibus, lapides ex columna prosiliunt, & arcam, ubi corpus latebat, cunctis videntibus ostendunt, anno videlicet Christi* 1084. Ad aram templi maximam sacratiori quodam, & secretiori loco conditum corpus quiescit, paucis dumtaxat tantæ rei conscijs, ne inde ab ullo mortalium rapi, extrahive possit. Satis tamen se prodit Marcus

C. Baron in Annal. Eccles. tom. 11. Anno 1084.

Morosin. l. 4. Hist. Venet. pag. 92.

Justinian. de Transl. corporis S. Marci, & deposit. Venet.

Sansovin. in descript. templi S. Marci.

præsenti erga clientes suos patrocinio, & continuis erga Rempublicam beneficijs. Extat hujusce rei memoria litteris bipedalibus in ejusdem templi parietibus descripta; & columnæ sese aperientis, & corporis sacri arculam è sinu effundentis effigies.

Ratione igitur translati Venetias corporis Sancti Marci, ac decenti loco repositi illum sibi Respublica primarium Patronum ab eo tempore delegit, & singulari semper pietatis studio coluit. *Meritò*, inquit Cardinalis Petrus Damiani, *Marcus Evangelista de Alexandria translatus est, Deo disponente, Venetias, ut qui totum Orientem velut aurifer Lucifer, illustraverat; nunc per plagas Occidui climatis præsentiæ suæ radijs enitescat: sicut enim mater urbium Roma super omnia regna terrarum sublimatur in Petro, sic & tu Urbs Veneta, velut ejus insignis filia, per Marcum gloriaris in Christo. Per Ægyptum quippè*, subjungit Dandulus, *sibi dedicat Ortum; per Venetias tenet Occasum: illic Alexandriæ sortitus est Ecclesiæ solium; hìc renascentis Aquileiæ novum statuit principatum*. Cardinalis verò Baronius sic in rem nostram appositè loquitur: *Anno Christi 630. occasione Cathedræ Sancti Marci ex Alexandria Ægypti, imperante Heraclio, ad Rempublicam Venetam dono missæ, quam ejusdem Evangelistæ studiosissimam esse sciebat. Vt potè quæ glorietur*, teste eodem Baronio, *quod ab illo Fidei doctrinam accepisset, antequàm Alexandriam à Petro Apostolo mitteretur, ut qui hactenùs religiosissimo anniversario ritu solemnitèr colere consuevissent ejusdem Sancti Evangelistæ memoriam; quem & in præcipuum Patronum recepissent, cujus & patrocinium præsentaneũ adesse in suis ipsorum necessitatibus semper experti fuissent*. Itaq; Baronij gravissimi Scriptoris testimonio, gens Veneta multis antequàm Venetiæ conderentur, annis Evangelicæ veritatis lucem à Marco hausit, eumque habuit Apostolum, & Fidei Christianæ Magistrum; cùm is scilicèt in Aquileiam venit urbem ea tempestate clarissimam, ibique prima jecit Catholicæ religionis fundamenta, quæ per finitimas etiam regiones mirificè propagata est: æquum enim erat, & rationi conforme, ut sanctissimi Evangelistæ corpus veluti postliminij jure, Venetis redderetur, quorum anteactis seculis Apostolus fuerat & Magister. Legat curiosus Lector Annales Venetos, in quibus multa inveniet Marciani patrocinij, & amoris paterni in Venetam Rempublicam argumenta. Unum tantùm,

Petr. Damian. serm. de S. Marco.

C. Baron. in notis ad Martyr. Rom. & in Annal. Eccl. ad An. Christi 630.

Morosinus Histor. Venet. l. 10. p. 234.

tum, sed valdè illustre adducere volo ad confirmandam rem præsentem exemplum, ex quo facile erit de reliquis conjecturam facere.

Anno salutis humanæ 1340. (alij alium assignant annũ) Magorum arte, & præstigijs sæva in Adriatico mari tempestas excitata fuit, qua urbs ipsa in extremum periculum adducta est insanis pelagi fluctibus involvenda: orabat interim ad S. Marci porticum quidam seniculus, navicularius arte, pietate eximius, & impendentis urbi mali metu perterritus rem Deo precibus commendabat; hunc matura jam ætate vir aspectu gravis, & canitie venerabilis convenit, & renitentem licet, precibus induxit, ut ipsum naviculâ suâ exciperet, transveheretque ad Insulam S. Georgij in Alga proximam; quod senex præstitit. Ipso statim in littore egregium formâ juvenem offendit trajiciendi cupidum in Sanctum Nicolaum de Liddo (sic vulgò dicunt:) quem etiam naviculâ exceptum ad destinatum sibi locũ vexit: hìc verò tertius quidam duobus se adjunxit socium juvenis liberali facie, indole excelsa, splendentibus mirum in modum oculis, quo insupèr in cymbam admisso Castellum versùs navigare perrexit. In medio navigationis cursu magnæ molis rostratam obviam habuit tartareis epibatis, nautisque nigerrimis apprimè instructam, quæ Veneta sulcabat maria, & fœdam illam tempestatem excitabat: quibus tres illi Socij humana specie augustiores cymbâ nuper excepti (hi erant S. Marcus, S. Nicolaus Episcopus, & Sanctus Georgius Martyr) pro imperio jusserunt, ut nulla prorsùs interposita mora, Veneto mari abscederent; nec ulteriùs pergerent sævam illam excitando procellam, & dilectæ sibi, ac superis Urbi periculum eversionis parando: quibus dictis rostrata tartareis instructa monstris repentè evanuit, ac videri desijt. Redijt mox serenitas cælo, & tranquillitas mari: & portitor cymbam remis agens singulos singulis unde discesserant locis, vectores reddidit. Ubi verò ad forum Sancti Marci ventum est, Sanctus Evangelista annulum summi pretij, seu naulum, seniculo portitori solvit, ea tamen conditione adjecta, ut Reipublicæ Ducem confestìm adeat, eumque suo nomine de re tota certiorem faciat, ac de singulari erga Venetos Marci, Nicolai, & Georgij protectione, quos simùl exceptos navicula sua vexerat; ipsique excitatam à Tartareis potestatibus procellam divina virtute seda-

Laurent. Finnlch. S. 1 de gloria S. Georgy.

Vghell. tom. 5. Ital. sacr. sub Patriarch. Venet.

Sansovinus lib. 13. de Vitis Princ. Venet. sub Barth. Gradon.

Joann. Nicol. in Cõp. Hist. Lauret.

Astolphus in descript. 100. miraculor.

verant, positis repentè ventis, marique pacato, & imminens Urbi Venetæ periculum aliò averterunt. Factum à naviculario, ut præceperat Marcus: quibus auditis, Dux Serenissimus annulum à portitore acceptum certæ fidei, & paterni patrocinij pignus includi jussit in ampulla crystallina auro ornata, eamque inferri in S. Marci sacrarium; & solemnem instituit supplicationem in gratiarum actionem.

Morosin. Hist. Venet. lib. 9. pag. 234. Laur. Finnich. S. 4. de gloria S. Georgij part. 3. p. 303. Ferdin. Vghell. to. 5. Ital. sacr. sub Patriarch. Venet.

Ex quibus satis constare videtur ultra Sanctum Marcum Primarium Venetæ Reipublicæ Patronum, Beatos quoque Nicolaum Miræ Episcopum, & Georgium Martyrem ejusdem Urbis, & Reipublicæ Patronos dici posse saltem secundarios, & minùs præcipuos, cùm suo illi patrocinio Venetis favere visi fuerint: nec immeritò cum S. Georgij corpus ij apud se habere existiment in Ecclesia Sancti Viti, caput verò in ipsius templo à Victore Capello classis præfecto repositum esse credant: & si Andreas Saussaius, alijque Authores Galli affirmēt Sancti Georgij corpus Tolosæ quiescere sub altari S. Margaritæ V. & M. argenteo feretro impositum; caput verò in maiori Cænobio apud Turones asservari putent. In alia ab his est sententia Joannes Tamaius Salazar in suo Martyrologio Hispanico; inter Vascones enim caput collocat in templo Azuelensi: quemadmodùm & Siculi Scriptores illud Siracusis habere idoneis in speciem rationibus probare contendunt. Verosimilius videtur esse Romæ ad Sancti Georgij in Velabro, seu Velo aureo, ad radices montis Palatini prope Hortos Farnesianos, à Zacharia PP. olìm inventum in theca plumbea cum inscriptione Græca, quæ plenam tantæ rei fidem adstruere videbatur: Græci præterea, capta jam à Turcis Constantinopoli, innumeri Venetias commigrarunt, ibique magnificum Divo Georgio templum, suo in Oriente Patrono, posuerunt. S. verò Nicolaum eo Veneti nomine sibi Patronum cooptarunt quòd multis ab illo beneficijs affecti fuerint: item quòd ipsius corpus, seu publicæ felicitatis pignus, in templo ejus nomine insignito habere existiment: & si universus penè Orbis Catholicus Barij in Apulia esse credat, quod multorum Scriptorum testimonijs, & innumeris ad illius sepulchrum miraculis in utilitatem Fidelium editis confirmatur: idque paucis ante annis tam fusè, & accuratè præstitit in libro de Vita, & Miraculis S. Nicolai Episc. diligentèr conscripto Antonius Beatillius Societatis Jesu Theologus, ut

Saussai in Martyr. Gallic. die 23. April.

Tamaius Salaz. die 23. Aprilis, & 13. Maij. Octav. Caietan. S. I. in Idea SS. Siciliæ. M. Anton. Guarin. in Cōp. Hist. lib. 1. Theodor. Anselm. in Vita S. Georgij edita anno 1612.

vix

vix relinquat ea de re ambigendi locum. Facile tamen esset Barenses, & Venetos ad concordiam reducere, sublatis de medio contentionibus, si diceremus corporis partem esse Venetijs, Barij partem asservari, ut in simili graves, & pij ante me Authores judicarunt. Illud extra controversiam positum esse videtur, Sanctum Nicolaum Venetæ Urbis Patronum non Primariũ, sed Secundariũ, vel minus præcipuũ gerere: nec semel Ughellus Abbas id ipsum significat tomo 5. Italiæ sacræ sub Patriarch. Venet. quod Sanctus Episcopus factis probavit, cùm excitatam adversùs Urbem Venetam in mari Adriatico tempestatem cum Sanctis simul Marco, & Georgio repentè sedavit.

Sanctus Magnus Episcopus Heracliensis, ut Annales Veneti appellant, vel Epiterginus, ut Martyrologium Romanũ vocat, eximiæ pietatis præsul, urbe sua propter frequentes bellorum motus, & repetitas Barbarorum inundationes, relictâ, cum multis Civium suorum aliò migrare coactus idoneo loco parùm à continente disjuncto, aliam urbem condidit, quam Heracliam nominavit, ducto ab Heraclio Imperatore nomine, qui tùm temporis magna cum opinione virtutis, & gloriæ militaris in Oriente regnabat. Senio confectus obijt Magnus virtutibus, & miraculis clarus die 6. Octobris. Dum in vivis esset novẽ fundavit Ecclesias in regione Rialti, ubi prima jacta fuerunt surgentis è medio mari Urbis Venetæ incunabula, quas impositis cuique nominibus sic distinxit, S. Salvatoris, S. Mariæ Formosæ, Sancti Petri Apostoli, Sancti Raphaelis Archangeli, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Zachariæ, Sanctæ Justinæ, & SS. Apostolorum: & si Dandulus in alia à nobis sententia sit. Sacrum Magni corpus Venetias translatum fuit, & in templo Sancti Jeremiæ repositum Anno Christi 1206. Anno posteà 1464. Senatûs consulto decretum, ut illius natalis dies solemni ritu ageretur, eo nomine quòd recens cõditam medijs in aquis urbem, & exiguis valdè initijs paludes inter emergentem, adducto secum magno advenarum Civium numero longè maiorem fecerit, & nobiliorem; & excitatis in honorem Sanctorum Ecclesijs sacratiorem quodammodò, & superis chariorem reddiderit; quapropter non tantùm Patronus, sed primus *Pater urbis, & Author* dici jure poterat.

S. Magnus Episcop.

Non tamen ab omni parte beatos, ac tutos se fore putarunt Veneti tantorum Patronorum tecti præsidijs, nisi etiam

Beatissimæ Virginis Mariæ patrocinio munirentur, & illius gratiam omni officiorum genere ambire contenderent. Constat quippè primos Rialti incolas, cum novæ urbis fundamenta jacerent, religionis simul, & maiestatis rationem habere voluisse, designata ad id peragendum die Annuntiatæ ab Angelo Gabriele Virgini sacra, qua nulla humano generi clarior, aut felicior illuxit dies: nec tantæ Urbis natales meliùs in lucem prodire publicam, quàm sub splendidissimo Mariæ Virginis sidere potuerunt: sub illius quippè Urbs patrocinio in eam excrevit magnitudinem, ut amplissimis Europæ urbibus, & emporijs celeberrimis par evaserit, non minùs opibus, quàm armis potens. Sacram Beatissimæ Virginis imaginem *Nicopæie*, idest *Victricis* nomine insignem, & prodigijs illustrem à Sancto Luca depictam Dandulus Venetorum Dux clarissimus, Venetias secum detulit victo Alexio Duca tyranno; eamque in palatio Ducali reposuit, donec magnifici operis sacellum, in quo collocaretur, fuit extructum; ubi magno Civium concursu, & pietate colitur. Hujus olim Nicopæiæ Virginis umbrâ tectus, auxilioque defensus Imperator Justinianus Gothos, ac Vandalos profligavit, & sævissimi belli flammam, quæ magnam Imperij Romani partem corripuerat, prorsùs extinxit. Narses Eunuchus Gothos justa acie superatos ad internecionem usque delevit. Justinus Secundus, & Tiberius Imperatores pijssimi illustres de Barbaris victorias reportarunt. Heraclius etiam repetitis Persas cladibus affecit, captumque à Cosdroa eorum Rege Sacrosanctæ Crucis vexillum in libertatem asseruit. Joannes Zemisces Bulgaris ingenti prælio debellatis, Constantinopolim reversus argenteum præcedens currum à candidissimis equis tractum, in quo B. V. Mariæ effigies eminebat, ad palatij usque sacrarium pedes ivit, illique victoriam acceptam retulit. Idem pietatis, & grati animi officium præstitit Joannes Comnenus ob insignem de Hungaris hostibus, ope Virginis Mariæ, victoriam. Transijt ad posteros hujusmodi in Deiparam cultus, amorque sacræ illi Imagini veluti addictus: ad Venetam quoque gentem in eamdem pariter Imaginem transijsse visus est cum singulari pietatis sensu conjunctus. Itaque Mariani quoddam in Rempublicam amoris pignus in ea sibi videntur habere Veneti, vel palladium cælo delapsum, seu prædem, vademque perpetuæ felicitatis: de

Justin. de Reb. Venet.

Gulielm. Gumppēb. S. 1. in Atlante Mariano.

Anton. Baling. S. 1. in Ephem. Marian.

qua sic scripsit Simon Maiolus Episcopus Astensis: *Cum magna*, inquit, *veneratione, ac pietate servatur Venetijs in Æde Divi Marci: eaque belli, ac luis tempore, serenitatis, aut pluviarum impetrandarum causa, in supplicationibus circumfertur.*

Maiol. Episcop. citatus à Cæsare de Engenio in Neapoli sacra.

Satis constat Deiparam V. Mariam Matris curam, & Patronæ tutelam non semel erga Rempublicam Venetam ostẽdisse: anno præsertim 1630. quo lues pestifera per Urbem dirissimè grassabatur, & contagione vulgata gravior indies afflictæ genti impendebat clades. Consternati metu Cives, & religione ducti votum nuncupant extruendi in Deiparæ honorem templum. Indicitur etiam solemnis omnium Ordinũ supplicatio ipso die Præsentationi Virginis sacro: multis cum lacrymis ad Deum Preces fundunt, & Magnæ Matris opem afflictis rebus implorant: exauditas Civium preces ipse rerum exitus declaravit: Urbs, depulsa statim lue pestifera, voti se compotem factam sensit: ergò Senatus, nulla interposita mora, ad excitandum in illius honorem templum animum appulit; quod magnis sumptibus perfecit eleganti operis structura, & ornatu mirifico; eique accepti beneficij causâ, *De Sanitate* nomen imposuit.

Visitur in eodem templo sacellum Sancto Antonio de Padua dicatum, amplum, & elegans à Republica excitatum occasione belli Cretici, quod Veneti summa animorum contentione gesserunt adversus Turcas juratos Christiani nominis hostes. Sacelli aram sacratiorem reddunt insignes Antonij Reliquiæ in argentea theca mirifici operis inclusæ. Senatus annis singulis, ex voto, eò ire consuevit cum supplicatione solemni die decima tertia Junij, in quam incidit illius obitus; ibique Missæ sacrificio interesse. Antonio comes additur S. Rochus ob depulsam ab Urbe Veneta luem pestiferam; uti etiam suis apud Deum precibus depulit dum in vivis esset, ab alijs Italiæ urbibus maximè Cesena, Roma, Placentia: post felicem verò ipsius obitum infectis contagione gentibus præsenti remedio subvenire non desistit. Idipsum Constantia, nobilissima Germaniæ Urbs experta est, in quam innumeri Catholici orbis Episcopi convenerant cogendi cõcilij Oecumenici causa, ad tollendũ schisma, quod Reipublicæ Christianæ pacem, & concordiam maximè turbabat. Obviam iere communi consilio Patres contagioni pestiferæ instituta supplicatione solemni, & Imagine Sancti Rochi per urbis

S. Antonius de Padua.

S. Rochus C.

Ferrar. in Catalog. SS Ital. die 16. Augusti.

Andr. Saussai in Martyr. Gallican.

Histor. Conc. Constant. urbis plateas circumlata: cessavit statim lues: at Præsules tanto defuncti periculo gratias Deo, ac Rocho, uti par erat, debiras egerunt. Sacrum illius corpus Venetijs asservatur, & à Civibus piè colitur.

Alios præterea eximia virtute viros cælesti jam urbe donatos Veneti singulari pietatis obsequio prosequuntur, eam ob causam quòd diebus in ipsorum honorem cōsecratis præclaras de Reipublicæ hostibus victorias compararunt: ij sunt Sancti Vitus & Modestus Martyres ob victoriam Grandenigi de Baiamonte Ziepolo adeptam die 15. Junij ipsis dicata Anno 1310. Sancta Marina die 17. Julij ob Patavium recuperatum. Sancta Justina M. ob memorabilem die 7. Octobris ipsi sacra victoriam ad Naupactum unà cum Pontificia, & Hispanica classibus de poten tissima Turcarum classe relatam Anno 1571. Sanctus Martialis 30. Junij. S. Joannes Baptista 29. Augusti capite truncatus, qua Marcus Ruzinus classis Venetæ Præfectus Genuenses, imperij æmulos, ad Caritum Negroponti Insulam navali prælio superavit Anno Christi 1350. SS. Hermagoras & Fortunatus vicinæ urbis Aquileiæ Episcopi, & Tutelares. SS. Joannes & Paulus Martyres die 26. Junij ob insignem de Turcarum classe victoriam ad Hellesponti fauces comparatam, Venetæ classis Duce Jacobo Marcello, Anno 1656. Quam descripsit viridissimè carmine heroico Fr. Franciscus de Macedo Lusitanus, carissimus nobis frater. Die tandem octava Januarij B. Laurentius Justinianus primus Venetiarum Patriarcha, propter contagionem ab ipsa urbe depulsam Anno 1630. Visitur in Ecclesia Cathedrali votivum è marmore monumentum cum hujusmodi inscriptione. Friderico Cornelio S. R. E. Cardinale tum temporis Venetiarum Patriarcha:

Beato Laurentio Justiniano
Primo Venetiarum Patriarchæ
Stirpis claritudine Augusto,
Sanctimonia gloria longè Augustiori:
Tutelari Numini beneficentissimo;
Ad sacros cujus cineres
Templum hoc illustrantes
Civitate in pestilentia Sancti Civis
Auxilium experta,
Quotannis ejus die perpetua

Orbis Christiani;
Festivitate celebrando,
Senatus religiosissimus
Venerationis ergò
Ex voto accedit:
Fridericus S. R. E. Cardinalis Cornelius
Maximi cultus
Minimum argumentum dic.

Liceat hìc apponere Sannazarij, optimi Poetæ, politissimum in Urbem Venetam epigramma:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Vrbem, & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantumvis Jupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tiberim præfers, Vrbem aspice utramque,
Illam homines dicas, hanc posuisse Deos.

Aliud non absimile huic adjungere in laudem ejusdem Urbis compositum à Fr. Francisco de Macedo, Lusitano, Minorita, Poeta laudatissimo, & præstantissimo Theologo, emerito in Academia Patavina Magistro, operæ pretium ducimus:

Cùm Deus humanam vellet sibi jungere gentem,
Et junctam thalamis consociare suis:
Condidit hunc (mundi quem circulus exprimit) orbem
Annulus ut sponsæ pignus in orbe foret.
Deerat gemma tamen, donec benè nata profundo
Extulit Vrbs Venetum gemma futura caput.
Tum Deus ad sponsam: justum en tibi pignus amoris:
Vrbs Venetum gemma est: annulus orbis erit.

PATAVIUM.

PAUCIS ante annis ab Urbe redux Patavium veni Sancti Antonij Lusitani, venerandi, & Fracisci de Macedo fratris mei, qui Magistri munus in Academia Patavina cum magna nominis celebritate obibat, videndi causâ: ibi me cepit desiderium vehemens inquirendi de nobilissimæ illius Urbis Patronis, maximè quia mihi persuadebam fore ut Antonius unus ex ijs esset.

Lectis igitur Ecclesiæ Patavinæ Annalibus, quatuor illius Tutelares Divos esse comperi, Sanctum Danielem Levitam Martyrem, S. Antonium de Padua, S. Justinam Virginem, & Martyrem, & S. Prosdocymum Episcopum Confessorem. Danielis festum celebratur die tertia Januarij, qua sacrum illius corpus invetum fuit; martyrium passus est sub Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & Lucio Vero: delituit ipsius corpus ab eo tempore, quo Agilulphus Longobardorum Rex Urbem Patavinam incendijs, cædibusque fædavit, usque ad Annum 1076. quo repertum fuit in Sacello B. Virginis Mariæ apud Monachos Benedictinos vii. Kal. Januarij cum hujusmodi inscriptione:

Hic requiescit corpus S. Danielis M. & Levitæ.

Martyrij palmam obtinuit medius inter duas tabulas ligneá, & marmoream violentèr compressus. Recens cruor è vulneribus fluebat, qui odorem suavissimum exhalabat. Uldericus Episcopus precibus obtinuit corpus à Cænobiarcha Benedictino, illudque transtulit in Ecclesiam Cathedralem III. Nonas Januarij, ac reposuit in Sacello ipsi dicato. Iterum III. Nonas Junij facta est alia corporis sacri translatio, sub Aloysio Cornelio Episcopo Patavino Anno 1591. in cõditorium è pretioso marmore æreis tabellis munitum sub odei fornice extructum: illud ibi piè veneratus fui exeunte Martio mése,

Anno 1676. dum Patavium pertransirem, & Mediolanum citatis equis properarem.

Sanctus Antonius de Padua Patavinæ Urbis Patronus existit: ejus corporis translatio contigit xv. Kal. Martij: Antoniũ (scribit Tamayus Salazar in suo Martyrologio SS. Hispanorum) Cives Patavini Patronum sibi delegerunt propter Urbem suam à tyrannide Eccelini, & Anselmi liberatam, & multa alia beneficia: cui Anno Christi 1259. magnificam Basilicam, grati animi causâ posuerunt, in quam paucis post annis, nempè 1263. ejusdem corpus translatum est die 15. Februarij: interfuit translationi Guido Bononiensis, Episcopus Portuensis Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, cum Sancto Bonaventura Franciscani Ordinis Generale: lingua integra, recens, vivida, & succi plena inventa fuit, non sine adstantium admiratione: quam nos etiam crystallo purissima inclusam vidimus in thesauro Reliquiarum repositam, & sacrum fecimus supra corporis tumbam marmoream, lampadibus quadraginta argenteis coronatam, in qua sacrum Antonij corpus quiescit.

Sancta Justina Virgo, nata Patavij Vitaliano Patre, Præpedigna matre, à Beato Prosdocymo Episcopo ad Christi Fidem conversa est: patentibus orbata sanctissimè vixit; Annos sexdecim nata martyrium passa Patavij sub Maximiano præside, pugione per pectus adacto, nonis Octobris, imperãte Nerone, eo ipso die, quo multis post seculis Christiani ad Echinades Insulas, navali cõmisso prælio, insignem de Turcis victoriam reportarunt. Monachi Cassinates tẽplum in ejus memoriam posuerunt, quo certè nullum vidi pulchrius, aut magnificentius in Veneto Statu. Celebrarũt S. Justinæ festũ die septimâ Octobris.

Sanctus Prosdocymus Episcopus & Confessor, natione Græcus, Beati Petri Apostoli discipulus, ab eodem, prædicãdi Evangelij causâ Patavium missus, Atestem etiam Vicentiam, Taruisium, & alias vicinas Urbes Christianæ Fidei luce, & radijs illustravit: nonaginta ferè annorum spatio Patavinam Ecclesiam summa integritatis, & prudentiæ laude gubernavit. Vixit annos tredecim supra centum: virtutibus illustris, & miraculis clarus evolavit in cælum septima die Novembris, imperante Adriano. Sepultus in Sacello Deiparæ Virginis, magna populi religione colitur, & Patroni titulo decoratur.

Post commemorationes ad Laudes; & Vesperas SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ac proprij Patroni, fieri solet cõmemoratio Sanctorum quatuor Patronorum Urbis Patavinæ, in hunc modum.

Aña ad Benedictus, & Magnificat.

Super muros tuos Hierusalem constitui custodes; tota die, ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini.

℣. *Exultent justi in conspectu Dei.*

℟. *Et delectentur in lætitia.*

ORATIO.

E*Xaudi Domine populum tuum cum Sanctorũ tuorum Prosdocymi, Danielis, Antonij, & Justinæ patrocinio supplicantem, ut & temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, & æternæ reperire subsidium. Per Dominum nostrum, &c.*

Die autem 19. Januarij in Laudibus Añæ, ut supra, & ℣. Oratio verò hujusmodi

ORATIO.

M*Aiestatem tuam Domine suppliciter exoramus, ut sicut nos jugitèr Sanctorum tuorum Prosdocymi, Danielis, Antonij, & Justinæ commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum nostrum, &c.*

Extant etiam Hymni in quatuor Patavinæ Urbis Patronos, quos hìc describere supervacaneum ducimus.

Hæc ex Officijs illorum proprijs desumpsimus prælo datis Patavij Anno Christi 1671. recognitis à Sacra Rituum Congregatione die 20. Junij Anno 1665. & die 13. Septẽbris Anno 1670.

SABAUDIA, ET PEDEMONTIUM

NULLUM, qui Ducatui, aut Provinciæ universæ præsit, Patronum habent; singulæ tamen Urbes suos sibi Divos Tutelares diversis temporibus elegerunt, de quibus in loco dicendum. Serenissimi verò Duces B. Mauritium, insignem Christi Martyrem, & Legionis Thebææ Præfectum jam pridem sibi adscivere Patronum; à tempore scilicet Petri Comitis de Romonte, Amadei fratris, hoc nomine, ni fallor, III. occasione Annuli Mauritiani, quem Rodulphus Cœnobij Agaunensis Abbas illi dono dedit anno salutis humanæ 1150. Petrus igitur Bonifacij nepotis in Comitatu Sabaudiæ successor, Annulum eâ lege posteris suis reliquit, ut certum imperij pignus, indexque esset; & apud Sabaudicæ Domûs Principes perpetuò asservaretur. Cujus proindè Annuli in manus traditione, & Aureæ simul clavis arculæ, in qua sacrosanctum Christi Servatoris nostri Sudarium custoditur, Sabaudiæ Duces, Pedemontij Principes inaugurari, & legitimam imperij possessionem adire solent.

Arma Sabaudiæ sunt Crux rubra, in areola Candida.

Gulielm. Baldesan. in Hist. SS.Martyr. Theb. l.2. fol.202.

Francisc. de Malin. S.1. in litter. ad mandatis Romam.

Causam patrocinio dederunt eximia martyris sanctitas, cum singulari fortitudine conjuncta: Agaunum etiam, vicinæque Agauno arces à Petro Comite, illius ope, armis occupatæ. Porrò Agaunum nobile est Augustiniani Ordinis Cœnobium Diœcesis Sedunensis in ditione Vallesianorum, quà Rhodanus in lacum Lemanum influit Antuates versùs, seu Vaudios, ad radices maioris montis Sancti Bernardi, religione sacrum, & antiquitate venerabile, multorum Martyrum Thebæorum sepulchris, & Mauritij eorum ducis; ibidem in

Sammarthan. Fratres tom. 4. Gall. Christian. pag. 16.

odium Fidei Christianæ ab Ethnicis occisorum, illustre. Nongentos sæpè habuit religiosos. Triduum in eo aliquandò moratus Leo IX. Pontifex Maximus multa Cœnobio concessit privilegia; nec pauciora Christianissimi Galliæ Reges indulserunt. A Sigismundo Burgundiæ Rege conditum fuisse memorant, & opulentis redditibus instructum: *Sanctum Mauritium* communi vocabulo vulgus appellat, ejusque socios *Martyres Agaunenses*.

Electionem in Patronum confirmavit Mauritiani corporis translatio Taurinum facta sub Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce, ut constat ex ipsius litteris relatis à Gulielmo Baldesano, Canonico Taurinense, in quibus ipsemet Dux disertis verbis affirmat, Divum Mauritium ab antiquo Sabaudicæ domûs, gentisque Patronum esse: quemadmodùm & Ottonis fuerat Imperatoris; qui ejus auxilio fretus insignes de Fidei, & Imperij hostibus victorias obtinuit; & Ecclesiam Magdeburgensem, Germaniæ olim primariam, in illius honorem fundavit, in qua Martyris ipsius Reliquias, & vexillum militare reposuit. Audiamus Cardinalem Baronium sic loquentem ad Annum Christi 961. *Hoc eodem anno*, inquit, *ab Ottone Rege translatum fuisse Magdeburgum corpus Sancti Mauritij Ducis Thebæorum legionis, & aliorum ejus sociorum: illicque decenti honore eosdem Martyres cultos esse, testatur Dithmarus hujus temporis Scriptor nobilis libro 2. sui Chronici.* Sic Baronius. Qua verò occasione, vel quo tempore sacræ hujus Martyris reliquiæ inde fuerint avectæ, & Cœnobio Agaunensi restitutæ, certò nobis constare non potuit. Hinc Taurinum Pedemontij caput, translatas esse ab Emmanuele Philiberto Duce, Pedemontani Scriptores testantur. Extat liber de eadem Translatione compositus à Gulielmo Baldesano, Canonico, viro pio, & erudito, cujus paulò ante meminimus: illas scilicet à Vallesianis, qui Burgum, & Cœnobium Sancti Mauritij occupaverant, pijssimus Princeps impetravit, & Augustam Taurinorũ solemni pompa traduxit, ut in ipsa Serenissimorum Ducũ sede, & imperij Arce collocata, plura, & illustriora darent sui patrocinij documenta.

Ticinenses in Insubria apud se habere existimant corpus Sancti Mauritij in templo Sancti Matthæi; quemadmodùm & Hispani, Abulæ. Toleti caput asservari ij ipsi mordicùs defendunt. Illius partem, vel Reliquias fortasse habent; indeq; atri-

Baldesan. Canon. Taurin.
Francisc. August. in Hist. Chronol. Præsul. Pedemont. region. sub Episcop. Taurin.

C. Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 961. *tom.* 10.

Membritius tom. 2. SS.

Ferrar. in Catal. SS. Ital. ad 22. *Septebr.*

Ioan. Tamayus Salazar in Martyrol. SS. Hisp. to. 5. p. 287.

arripuerunt occasionem asserendi B. Mauritij corpus in eorũ esse potestate: qua distinguendi ratione multa inter alias etiam gentes, Urbesque dissidia, varia Sanctorum corpora apud se habere contendentes, facilè componi possunt, & ad concordiam reduci. Apud Andegavenses in Gallia Sancti Mauritij gladium asservari tradunt Sammarthani fratres in Episcopis Andegavensibus: Pragæ verò illum custodiri cum brachio ejusdem Martyris credunt Bohemi à Carolo IV. Imperatore Ecclesiæ Cathedrali donatum. Lanceam item Mauritianam Cracovia possidet, si fides habenda est Cromero Rerum Poloniæ scriptori: quam tamen Galli cum galea simul è sacrario Ecclesiæ Viennensis accepisse memorant Carolum Martellum Anno Christi 725. ijsque instructum armis, & Mauritij nomine invocato, memorabilem de Saracenis victoriam in campis Turonicis comparasse, cæsis cum eorum Rege Abderramine, trecentis septuaginta quinque millibus; Christianorum paucis dumtaxat desideratis. Carolus verò Magnus, illius nepos, rerum gestarum famâ Avo superior; suscepta contra Mauros Hispaniæ dominantes bellica expeditione, Sãcti Mauritij vexillum secum detulit in Vasconiam, ejusque virtute nixus Pompeiopolim Provintiæ caput armis cepit, & Maurorum copias innumerabiles sibi occurrentes, acie superavit. Hujus lanceæ in manus traditione creabantur olim Imperatores, ut videre est in Ottone III. & Henrico: & si nonnulli Authores id intelligant de lancea militis, quæ demortui Christi latus in cruce pendentis aperuit. Gotefridus certè Viterbiensis cum describit Imperatorum Insignia, hastam S. Mauritij Martyris ijs adnumerat:

Lancea Mauritij reliquis præmaxima signis
Plurima Christicolis peperit miracula dignis;
Subjicit imperio bella gestata potentes:
Hæc ubi bella movet, vincere cuncta solet.

Hugo Comes Parisiensis, Hugonis Capeti pater, cognomento Magnus, à quo linea Capetina Regum Franciæ ducit originem, Anno salutis humanæ 927. cum sibi uxorem dari optaret Edhildam Ethelstani Regis sororem, misit in Angliam, cum ornatissima legatione per Adulphum Balduini Comitis Flandriæ filium, inter alia summi pretij dona, Ensem Constãtini Magni, cujus capulo insertus erat inter crassas auri laminas (sic scribit Vuestmonasteriensis) *Vnus è quatuor clavis,* qui-

Kalend. Eccl. Tolet. Athanagiæ, seu Manresa S. Mauritij corpus esse scribit J. Tamayus, & Vincent. Domenech. in Histor. SS. Cataloniæ lib. 5.
Sammarth. Fratres in Gall. Christiana.
Bolland. & Henscb. S.I. in Act. SS. in Addit. ad m. Januar. pag. 1084.
Tabular. Eccles. Viennens.
Saussai in Martyr. Gallic. ad diem 20. Septembr.
Baron in Ann. Eccl. Ann. Christi 725.
Dithmar. in Chron.
Theophil. Raynaud. S.I. to. 17. pag. 212.
Saussai in Martyr. Gallic. ad diem 22. Septembr.
Malmesbur. de Gestis Anglor. lib. 2.
Michael Alfordus S.I. in Annal. Eccl. Anglic. ad Annum 927. p. 247.
Math. Vuestmonast. ad Annum 927.

quibus Servatoris nostri corpus Cruci affixum fuerat : Lanceam Caroli Magni ; ferebatur eadem esse ; quæ Domini Jesu latus in Cruce pendentis aperuit : vexillum Beatissimi Martyris Thebææ legionis Principis Mauritij, quo idem Carolus in bello Hispanico quamtumlibet infestos, & confertos hostium cuneos disrumpere, & in fugam vertere solitus erat. Hucusque Vvestmonasteriensis.

Magdeb. centur. 10. Magdeburgenses verò Centuriatores affirmant Henricum Imperatorem intentato belli metu, lanceam Dominicam extorsisse à Rodulpho Burgundionum Duce : quod pretiosum munus non ingenti tantùm auri, & argenti summa, sed magna etiam parte Suevlæ attributa, liberalitèr compensavit. S. Mauritij gladium, cùm militari vexillo, Augustæ Taurinorum asservari contendunt Scriptores Pedemontani, quibus Sabaudiæ Duces armis instructi clarissimas de Fidei hostibus victorias retulerunt, & suæ gentis gloriam æternitati consecrarunt. Unum è multis exemplum seligemus, idque in medium producemus, ut certam dictis fidem faciamus, & invicti in Allobroges Martyris patrocinium illustremus. *Baldesan. de SS. MM. Thebæis pag.* 414.

Amadeus VI. Comes Sabaudiæ, suscepto contra Vicecomites Mediolani Galeacium, & Barnabonem bello, quo Romani PP. partes tueri, & authoritatem asserere cogitabat; ope S. Mauritij victor evasit : sed victoriæ cursum suis, uti solebat, artibus moratus est Barnabo, infecta clanculùm veneno annona, qua Sabaudi milites vescebantur : multis jam de medio hac arte sublatis, Amadeus, comperto dolo, ad Sancti Mauritij opem, reliquiasque confugit : illius Annulum vino intinxit, & militibus decumbentibus potum dedit : quo epoto convaluere protinus, non sine hostium admiratione. Cujus postea beneficij memor Amadeus VII. vel ut alij volunt, VIII. primus Sabaudiæ Dux à Sigismundo Imperatore creatus, qui nuntium mundo remisit, & eremitam apud Ripalliam Gebennensis Diœcesis oppidum agens, ab schismaticis Episcopis in Concilio Basileæ ad Sumum Pontificatûs apicem evectus, Felicis V. nomen assumpsit : equestrem S. Mauritij Ordinem instituit, septem dumtaxat viris principibus constantem Anno Christi 1434. quem decursu temporis penè extinctum ad pristinum splendorem revocavit Emmanuel Philibertus, & multis auctum Equitibus ad summam dignitatem erexit : Gregorius deinde XIII. illum constituit sub Regula Monachorum Cisterciensium, & magnos eidem Magistros

Scriptor. Sabaud. *Histor. Eccles.* *August. Thuanus Histor. lib.* 38. *Francisc. Menneri de Ordin. Militar. p.* 122

Sabaudiæ Duces præfecit Anno 1572. Hæc de S. Mauritio, Sabaudicæ Domus, gentisque Patrono dixisse sufficiat.

Superest ut nonnulla, in gratiam lectorum, levi saltem calamo præstringamus de Augusta Taurinorum, quæ Pedemontanæ Provintiæ caput est, & Ducum Sabaudiæ sedes. Hæc Patronum habet Primarium S. Joannem Baptistam: visitur in antiquis picturis hinc inde cinctus quatuor alijs ejusdem Urbis Patronis, nempe Sanctis Solutore, Adventore, Octavio, & Secundo Thebæis Martyribus, militari more, habituque conspicuis, qui non semel afflictæ, vel obsessæ ab hostibus Urbi tulere suppetias; ejusque Patronos se esse certissimis argumentis declararunt. Nam cum Cæsar de Neapoli dux exercitûs Cæsarei Anno 1537. die 26. Julij Taurinum capere tentaret, visi fuerunt supra muros Urbis tres milites, cælestibus instructi armis, & martium spirantes ardorem, id est, S. Solutor, S. Adventor, & S. Octavius; quo Cæsar cũ suis ostento territus, abjectis properè armis, & impedimentis magna ex parte relictis, fugæ se dedit. Iterum cum Antonius Dighera, Hæreticorum Antesignanus Taurinũ militari præsidio destitutum subita irruptione occupare cogitasset Anno Christi 1592. ope Sanctorum Tutelarium in Urbis auxilium accurrentium, repulsus cum ignominia fuit: itaque sua spe delusus, irarum, & minarum plenus ab Urbe recessit, alioque impetum belli vertit. Receptis paulò post intra muros Catholicorum militum copijs, ipsoque Principe Carolo Emmanuele cum expedita fortissimorum bellatorum manu ferente suppetias, auctis Civium animis, viribusque in unum collectis adversus cõmunem patriæ, & religionis hostem, ausus ille non est Taurinensem iterum Urbem aggredi, & belli fortunam experiri.

Gulielm. Baldesan. lib. 2. Hist. MM. Theb. pag. 281. & 299. & l. 2. p. 307.

Idem A. p. 301.

Sævientem etiam aliquandò per vicinas Taurino Urbes, pagosque, luem pestiferam, suis apud Deum precibus aliò averterunt. Illorum vitas, Actaque descripsit Gulielmus Episcopus Taurinensis; & corpora ab antiquo sepulchro extracta, in novum, & magnificum transferri curavit. Procedente die, cum grave ac periculosum bellum exarsisset inter Carolũ V. Imperatorem, & Franciscum Galliæ Regem, demolito de industria horum Sanctorum templo, translata fuerunt eorum corpora in Ecclesiam Monachorum Benedictinorum: Sancti verò Secundi corpus in Ecclesia Cathedrali quiescit. Tandem

dem, annuente Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce, transvectá fuerunt in novam Patrum Societatis Jesu Ædem sacra priorum Martyrum pignora; ibique magno Fidelium cócursu, & pietate coluntur.

SICILIA

MEDITERRANEI maris Insula maxima, Cereri quondàm, ob nimiam fertilitatem, & Baccho sacra, horreū Romani Populi dicta, urbibus frequens, ædificijs elegans, fluvijs irrigua, & rerū omniū abūdans copiâ: à Latinis, & Græcis Scriptoribus mirificè laudata, diversis olìm paruit Dominis. Procedente tēpore post varias temporū vicissitudines, & bellorū eventus varios, in Regum tandem Aragoniorum potestatem venit, quibus hæreditario jure Catholici Hispaniæ Reges successerunt. Unde post abjecta Caroli Andegavensis lilia, advocatosque Aragonum Reges, non armorum modò, sed Insignium etiam societas perpetuo animorum fœdere constituta est, divisaque Siculi Regni tessera in quatuor partes: superiori, atque inferiori palos rubros quatuor, seu fascias ostentat Aragonias, aureâ exceptas planitie, dextrâ, levâque furuo, seu nativo colore Aquilam iterantibus, argenteâ in areola, coronâ aureâ redimitam. Olim Sicilia Aquilam pro Armis habuit; à quo tamèn primùm inducta fuerit, certò sciri non potest: à Romanis primi belli Punici tempore, nonnulli existimant; sed quæ passim effodiuntur numismata apud Panormum, Messanam, Syracusas, Agrigentum, Urbesque alias, antiquiorem esse demonstrant. Horatius Quaranta Societatis nostræ Sacerdos in explicatione Numismatis Luciferi Episcopi Calaritani in Sardinia Insula, elegantiùs, ni fallor, quàm veriùs tradit, Aquilas duas à Friderico Secundo, Encij Sardiniæ Regis parente acceptas esse; quod illius Insulæ Scriptores negabūt, cùm illas antiquiores esse existiment. Tres Urbes numerat Archiepiscopales Panormum, Messanam, Montemregalem; sex Episcopales; quod si ijs Melitensem adjungas Panormitano Archiepiscopo suffraganeam; septem. Pontifices quatuor Rom. dedit Ecclesiæ, litteris, & religione præstantes, Agatho-

Michael Antonius Braudand in Lexico geographico V. Sicilia.

Philipp. Ferrarius in sua topographia.

Rocchus Pirrus to. 1 de Reb. Siciliæ, initio.

Spelman. in sua Aspilog. fol. 44.

Anton. Beuter. in Annal. Hispan. & Valent. lib. 2.

Fasellus de Reb. Sicul. decad. 1. lib. 8.

Francisc. Raymund. S. I. in litter. ad me dat. An. 1668.

Horat. Quarāt. S. I. apud Ambros. Machinum p. 3. defens. B. Luciferi c. 37.

Miræus in notit. Episcop. Orbis Catholici.

Barbos. de offic. & dignit. Episcop.

nem,

Rochus Pirrus to. 1. in notit. Eccl. Panor. Octav. Caietan. S. 1. de SS. Siciliæ.

nem, Leonem II. Sergium I. & Stephanum hoc nomine IV. Tribus ijsque nobilibus, Promonrorijs distincta, in mare procurrit; undè & Trinacria dicta fuit; Peloro contra Italiam; Pachyno contra Græciam; Lilybæo contra Africam: Æthnæ montis incendijs clara, & Messanæpharo inter nocturnas etiam tenebras illustris, & navigantibus nota. Monarchiæ titulo gaudet, & privilegijs utitur, non semel æquo plura sibi arrogantis.

Franc. Raymūd. S. 1.

Octav. Caiet. S. 1. de SS. Siciliæ.

Paulus Belli S. 1. in gloria Messanensi.

Placidus Samp. S. 1. in sua Iconologia Mariana.

C. Baron. in notat. ad Martyr. Rom. die 3. Aprilis.

Rochus Pirrus l. 2. volum. 1. à pag. 441.

Prælia inituros Beatum Georgium, insignem Christi Martyrem, invocare solitos fuisse Christianos Siculos, ea quæ adversùs Saracenos hostes gesserunt bella sub Nortmannis Ducibus, ac Regibus persuadent, de quibus infra dicemus; & si vexillum militare, quo Rogerius Comes usus est, ac nostrâ ætate visitur apud Platienses, Deiparæ Virginis effigiem expressam referat, quæ à multis jam sæculis, ne dicam, à primis Religionis Christianæ exordijs, Siciliam suo cæpit, matris instar, sinu excipere, & Patronæ jure in suam recipere clientelam. Constat enim Deiparæ cultum cum patrocinio simùl conjunctum in Siciliam invectum esse à primis Fidei Christianæ magistris Pancrario, & Martiano B. Petri Apostoli discipulis, ab eodem Apostolo, dum Antiochiæ viveret, eò missis ad prædicandum Christi Evangelium. Martianus Syracusanæ Urbis Episcopus, Sanctissimæ Virginis effigiem in Insulam secum detulit; ejusque auxilio fretus Idolo-latriæ bellum intulit, & Christianæ Religionis vexilla ubique victor explicuit. Pancratius Tauromenij vetustæ Urbis Antistes, rei Christianæ inter Siculos propagandæ intentus, primam Deiparæ Virginis titulo Ædem condidit, & loci incolas ad Fidem recens conversos sub Mariana protectione constituit; & ad illius patrocinium in publicis, & privatis calamitatibus confugere docuit. Nec multò interjecto tempore pietatis suæ fructum satis uberem Christiani rulerunt. Invadētibus quippè Urbem Ethnicis, eamque summâ vi oppugnantibus, Pancrarius, divino, ut eventus docuit, instinctu motus, Beatæ Mariæ effigiem manu præferens, muros ascendit, eamque à sublimi ostentans loco, hostibus tantùm terroris injecit, ut lymphatis similes huc, illuc discurrerēt; distringerent confestìm enses, alijque in alios irruerent, & mutuis se cædibus conficerent; pauci rantæ cladi superstites salutem sibi fugâ quæsierunt; atque in hunc modum, ope Virginis, soluta Urbis

obsidio Neophytos in Fide,& patrocinio Mariano confirmavit: ut testatum reliquit Theophanes illorum Episcopus, in Homilia de Transfiguratione Domini,his disertis verbis: *Intueor populum meum tantâ cum religione ad sacrum templum, in quo non manufacta longè purissimæ Dominæ nostræ Imago collocata est, quasi facto agmine concurrentem.* Erat quippè B. Virginis Imago à Pancratio in Siciliam allata ex ijs, quas Græci non hominum arte,& ingenio factas, sed Angelorum manibus, penicilloque depictas esse dicebant.

Jacob. Gretser. S. I. in opusc. de non manufactis Imaginib.

Octav. Caiet. S. I. de Cultu Deiparæ in Sicil.

Apud Ennenses etiam, Leontinos, Catanenses, Drepanitanos, Triocalenses, Alesanos, vetustarum Urbium incolas; Panormitanos,& Mamertinos, (uno verbo cūctos cōplectar) Siciliam universam,tam viguit anteactis seculis Deiparæ cultus, amorque, ut omnes in illius clientelam populi certatim nomina dederint: sacras illius effigies non in templis tantùm, sed in Urbium portis, in castellis, in vexillis, in navibus, in publicis Ædibus, in privatis domibus; ubique depictas, vel expressas; &, quod caput est, in mentibus, & cordibus, altè impressas haberent. Atque ut novâ quadam, & plenâ ingenij ratione inter cæteras orbis Catholici nationes studio, & pietate in Sanctissimam Virginem gens Sicula emineret, in se unam collegit,quidquid in illius honorem Fidelium pietas, & ingenium ubique terrarum adinvenit, ut eam omnium ritibus, & honoribus colere videretur. Sic à Constantinopolitanis, titulum de Blachernis, & Hodægetriæ; ab Hierosolymitanis, Latinæ Virginis; à Romanis, Sanctæ Mariæ Maioris; à Picenis, Lauretanæ; à Gallis, de Rupe, seu Monte alto; ab Hispanis, de Monserrate; ab Aragonibus, de Pilari; à Lusitanis, de Specu, accepit: & ex omnibus compendium titulis fecit; ijsque in se unam collectis, excellenti quâdam,& communi omnibus gentibus religionis formulâ, dignissimū MARIÆ nomini cultum tribuit.

Santissima V. Maria, Siciliæ Patrona.

Quæ hactenùs diximus eximiam Siculæ Gentis in B. Virginem pietatem magis cōmendare, quàm Tutelam, & Patrocinium, quod nobis propositum erat, probare videntur: verùm id etiam probare satis constat, cùm omnes Siciliæ Urbes,& alicujus nominis Oppida unanimi consensu Deiparam singulari pietatis sensu colere in religionem vertant, eique fidissima clientum obsequia deferre nunquam destiterint: ac traditam à maioribus hujusmodi consuetudinem posteri hauserint, ab ipsis Ecclesiæ nascentis exordijs, ad illos continuo

annorum ductu, serieque perpetuâ transmissam: licet non illo eligendi, ac solemni optandi *Patronam* ritu, quo recentioribus deindè seculis eligi ab alijs gentibus consuevit. Nec aliâ olim, ni fallor, ratione apud Christianos Divi Tutelares eligi solebant, quàm vel de Episcoporum consilio, vel cómuni populorum consensu, vel Regum, ac Principum, qui ijs imperabant, arbitrio, ac pietate. Irrumpentibus postea in Siciliam Saracenis, & armorum vi totam occupantibus Insulam; eâque ducentorum, & triginta quinque annorum sævissimâ tyrannide oppressâ, magnam jacturam fecit Religio Christiana, fusa longè, latèque per totius Regni urbes, oppidaque impia Mahometis secta: donec inferentibus sese cum validissimis Nortmannorum copijs in Siciliam fratribus Roberto Guiscardo, & Rogerio Bosso; Ducibus Christianis ea tempestate clarissimis, acie non semel, victi Saraceni, ac totâ penè Insulâ pulsi, meritas impietatis suæ, ac tyrannidis pænas dederunt. Constat Deiparam Virginem à Rogerio *Patronam*, belli tempore, fuisse delectam, cujus effigiem in primario vexillo præferebat expressam, ut ejus auspicijs difficillimum bellum gereret, & illustres de Saracenis victorias obtineret; uti re ipsa obtinuit: nam Siciliam universam victorijs magis, quàm passibus peragravit: Urbes cepit; arces expugnavit; vastavit agros, hostes debellavit; Christianos gravissimo Barbarorum jugo oppressos in libertatē asseruit: Imperium latè protulit cum signo Crucis, & Deiparæ cultu conjunctum. Panormo, principe Regni urbe, captâ; primarium illius templum B. V. Mariæ quondàm sacrum Catholicis cæremonijs expiatum, eidem Virgini, postliminij veluti jure, restitui curavit, Nicodemo tum temporis Archiepiscopo; ut omnibus palàm faceret Deiparæ magis ope, quàm humanis viribus, partas ab illo fuisse de Saracenis hostibus victorias. Monetas etiam cudi fecit, incisa ex una parte Sanctissimæ Virginis effigie, hoc lemmate: *Maria Mater Domini*; ex alterâ verò sua ipsius imagine impressâ, hâc inscriptione: *Rogerius Comes.* Visebatur Rogerij vexillum in Coloniæ Platiensis Ecclesia appēsum Mariana effigie insignitum, ibique fuit ad Gulielmi usque cognomento *Mali* tempora: quo regnante incertum quo casu, disparuit: donec anno salutis humanæ 1345. laborante tum maximè pestifera lue Siciliâ, inventum fuit inter quædam vetusta rudera integrum, & illæsum cum B. Virginis effi-

C. Baron. in Annal. Eccl. ad Ann. 827. Rochus Pirrus in notis. Panormit. 1. pag. 82. Fasellus de reb. Sicil dec. 1. l. 6. p. 407. Rochus in Chronol. Reg. Sicil.

Jordanus Cascini S. 1. lib. 1. de B. Rosalia, cap. 8. fol. 42. Octavius Caietan. S. 1. lib. de Cultu Virgin Sicil. p. 14.

Thomas Fasell. dec. l. 7. cap. 1. fol. 399. Rochus in notitia 1. Eccl. Panorm. p. 82. Gaufrid. lib. 7. c. 4 & lib. 5. c. 45.

Paruta in numismat. Sicil. f. 157.

effigie tam vivis, ac plenis gratiæ coloribus depicta, ut tum primùm ab artificis officina prodijsse videretur. Illud igitur, seu Palladiũ cælo delapsum, cõmuni omnium gaudio exceptũ fuit, & solemni cum supplicatione per Urbis plateas circumlatum, ac decenti loco in Basilica principe appensum: cessavit statim lues, ac integra Civibus salus restituta est. Ad alendam verò tanti beneficij memoriam, eamque æternitati cõmendandam, Platienses, magnificum Deiparæ templum, grati animi causâ, posuerunt.

Joannes Aloysius Lellus. in Histor. Montis Regalis.

Octav. Caiet. S. I. de Cultu B. Virg. in Sicilia pag. 22.

Idoneum etiam ad probandum B. Virginis in Siculos patrocinium nobis suppeditat argumentum vetusta illius Ædicula *Incoronata* titulo celebris, antiquo Panormi tẽplo, quod Gualterius Archiepiscopus demoliri fecit, olim cohærens: in qua Siciliæ Reges sacro inungi oleo, & solemnibus cæremonijs inaugurari soliti erant: qui mos à Rogerio Rogerij alterius Siciliæ Comitis filio, duxit originem: is enim primus omnium, Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ Rex dici, & haberi voluit, & Panormi in Æde Sanctissimæ Virginis, quam sibi Patronam delegerat, coronari: in ejusdem Ædiculæ fronte in forum versæ inscriptum erat: *Hìc Regi corona datur.* Editâ prætereà Sanctione decrevit Rogerius, ut in posterùm omnes Siciliæ Reges, eo ipso in loco, sub Deiparæ tutela, & patrocinio cõsuetis ritibus inaugurarentur. Extat Regium diploma de hac re datum Panormi die Maij 15. Anno Christi 1129. Sic Gulielmus, I. & II. sic Tancredus, Henricus VI. Fridericus II. Cæsar, Manfredus, Petrus Rex Aragoniæ, Jacobus, Fridericus alter, Petrus II. Ludovicus, Fridericus III. & Martinus I. regiam adierunt dignitatem in Ædicula Virginis, ut sub illius auspicijs, & tutela rem Siculam, & Christianam felicissimè gubernarent. Inter omnes tamen Siciliæ Reges maximè enituit studio in Deiparam, & pietate, Gulielmus II. cognomento *Bonus*: hic illam sibi, & suis Patronam clementissimam cooptavit; in illius honorem Basilicam extruxit magnificentissimam Monteregali, quam multis privilegijs, & amplissimis redditibus dotavit: monetam etiam cudi jussit Marianâ effigie adornatam, incisis circùm litteris: *Maria Mater Dei.*

Hugo Falcan. de Sicil. calamitatib.

Gervasius Tornacens in Prologom. ad Hist. Falcandi.

Pirrus in Chronol. Reg. Sicil. p. 23.

Hippolyt. Marrac. de Regib. Marian. pag. 275.

Fasellus rer. Sicul. dec. lib. 8. cap. 1.

Fasellus dec. 1 lib. 8. & dec. 2. lib. 7.

Rochus Pirrus in Chronol. Reg. Sicil.

Denique, ut ad Rogerium, & Robertum, recuperatâ de Saracenis Sicilia, Mariani Patrocinij Authores, vel Instauratores, revertamur, illud scitu dignum silentio præterire non

Rochus cit. in Chronolog. pag. 87. Anno 1072.

Fasell.de reb. Sicul. dec. l.8. c.1. possumus. Cùm Panormitanam hi Duces Urbem florentissimis suorum copijs obsiderent à Barbaris infessam, & egregiè munitam, supplices ad Patronam Virginem confugerunt, ejusque auxilium multis cum lacrymis postularunt, ut illam imperij Saraceni arcem armorum vi capere possent, & in pristinam libertatem asserere: & voti compotes facti sunt; in *Octav. Caiet. S.1. de Cultu B. V. in Sicil.* sequenti quippè nocte Virgo Deipara purissimâ nitens luce, & facie mirum in modum radiante, Rogerio se spectandam præbuit, dextrâ bellicum vexillum præferens, sinistrâ Jesum Puerulum sustinens; eaque cælesti specie mentis oculis objectâ, Rogerius mirificè recreatus, tantum fiduciæ paritèr, & bellici concepit ardoris, ut conjunctis subitò cum Roberto viribus, animisque, summâ vi Urbem aggredi non dubitarit, valido quanquàm militum præsidio firmatam, & omni bellico apparatu instructam: in eamque, fulminis instar, cum suis vi irrumpens, magnâ priùs hostium strage editâ, Urbem cepit, captam diripuit, cuncta ferro, flammisque vastavit. Urbe captâ, & gratijs Deo, ac Deiparæ, uti par erat, relatis, nihil Rogerio fuit antiquiùs, quàm Marianum vexillum, sub quo pugnaverat, in summa Panormi arce collocare, ut omnibus testatum faceret, Mariæ Virginis ope, & auspicijs Urbem captam fuisse, & partam de Saracenis hostibus victoriam. Ad portam, cui *Victoria* nomen fecit, per quam Rogerius in Urbem vi irrupit, templum erectum, & imago visitur B. Virginis, vexillum manu gestantis, in tanti beneficij memoriam, cum hujusmodi inscriptione: *Porta hac, in quam invictissimus Siciliæ Comes Rogerius irrumpens aditū exercitui Christiano ad Vrbem hanc Panormum ab indigna Saracenorum servitute emancipandam venienti patefecit,* Victoria *cognomento ab eo devictorum hostium, summo cum honore ob insignem reportatam victoriam Deiparæ V. cultui victoris ejusdē Principis ardēti, ac pio desiderio consecrata est quintili mense, Dominicæ Incarnationis Anno* 1071.

Derivatus, seu à fontibus, ab ijs fortissimis Ducibus amor, & cultus in Deiparam Virginem, transijt ad reliquos Principes Regni Siculi hæredes, & successores innumeris illustratus miraculis, & magnis beneficijs confirmatus: & licèt consequentibus illos sæculis, multis bellorum motibus Sicilia quateretur sub diversorum Regum, ac Principū inter se de ipsius imperio, ac dominatu accerrimè contendentium discordijs,

firma

firma tamen, & inconcussa semper stetit in Deiparam pietas Siculorum certissimis argumentis comprobata; nam cùm esset altè infixa cordibus, nulla potuit ratione avelli, nullo civilium bellorum motu concuti, nullis adversæ fortunæ casibus imminui; inter odia Civium intestina, & adversarum partium studia viguit, & floruit perpetuò illius cultus: nec tam Duces de obtinendo sibi Insulæ dominatu certabant, quàm de B. Virginis auxilio demerendo, & illius sibi gratiâ comparandâ. Supersunt multa, eaque illustria Tutelæ Marianæ in Siculam gentem; & è contra, gentis Siculæ in Deiparam studij, & amoris monumenta, quæ supervacaneum est recensere, cùm à nobis hactenùs dicta sufficere videantur: legat, qui velit, libellum planè aureum de Cultu Virginis Mariæ in Sicilia, ab Octavio Caierano Societatis nostræ Theologo piè conscriptum, vel Iconologiam Marianam Placidi Samperij ejusdem Societatis Presbyteri; vel etiam Rochum Pirrum de rebus Siculis, apud quos Authores plura inveniet memoratu digna, & in rem nobis propositam valdè idonea: properat enim calamus ad ea describenda, quæ proximis nobis temporibus contigerunt, cùm Siciliæ Regno præesset Proregis titulo N. Gonçales de Mendoça Dux ab Infanrado (sic Hispani dicunt) Anno Christi 1655. *Gulielm. Greppemb. S. I. in suo Atlante Mariano Anno 1655. die 2. August.*

Is, ut erat in primis studiosus B.V.M. quam sine ullius peccati labe cõceptam esse credebat, quæ cõmunis jam est, & omniũ ferè calculis probata sententia, & inter Hispanos Doctores maximè recepta; hujus singularis privilegij à Deo soli Beatæ Virgini concessi, asserendi, & illustrandi desiderio incensus, Monarchiæ nomine, & authoritate fretus, ad omnes Archiepiscopos Insulæ, & Episcopos litteras dedit pietate plenas, quibus illos incitabat ad Immaculatam Virginis Conceptionem omnium suffragijs approbandam, & rationibus defendendam: nec non ad ipsam Deiparam sub eo *Immaculatæ* titulo Regni totius Patronam salutandam. Id enim mortalibus gratissimum, & in primis Catholico Hispaniarum Regi fore credebat; &, quod caput erat, Deo Opt. Max. ac Sãctissimæ illius Matri gloriosum. Proregis litteris, ac votis felicissimus respondit eventus; omnes quippè Siciliæ Præsules, consilio maturè habito, cum suorum Canonicorum collegijs, cõmuni se voto, ac solemni jurejurando obstrinxerunt ad tuendam totis viribus Immaculatam B. V. Conceptionem ab omni

prorsùs originarij peccati labe immunem; eamque sub hoc titulo gratiæ, ac gloriæ pleno, primariam Regni Siculi Patronam declarandam. Celebratur hactenùs hujusmodi festum in omnibus Siciliæ Ecclesijs Cathedralibus magno Fidelium concursu, nec minori pietatis sensu. Solemnis ea de causa sancita lex est, typisque mandata Panormi, quam tamen mihi per multos annos Romæ cõmoranti videre non licuit.

S. Georgius M.

Procop. de Bello Goth. l. 10. c. 15.

Mennenius de Ordinib. milit. fol. 18.

Andr. Mend. S. 1.

Siculi præterea D. Georgium Martyrem, belli tempore, Patronum sibi Tutelarem delegerunt; ita ut Georgij nomen illis sit pro tessera militari: nec nisi implorato priùs illius auxilio, adversùs patriæ, & religionis hostes bella suscipiant: more, ni fallor, à Græcis olim Ducibus accepto, cum Siciliæ dominabantur Orientis Imperatores; apud quos solẽne erat nomen Georgij magni Martyris in bellicis conflictibus inclamare, eumque militiæ Præsidem, & Patronum habere; ut videre est in Constantino Magno, qui Equestrem S. Georgij Ordinem instituit, à Divo Silvestro, ut nonnulli Authores existimant, confirmatum. In Justiniano I. qui Basilicam in illius honorem magnificam ædificavit. In Domitio, Magno militum Magistro, Phocæ Imperatoris nepote, vel consobrino, qui susceptâ contra Persas bellicâ expeditione, præsentem illius opem expertus est. In Joanne Zemisce, qui innumerabiles Russorum, Bulgarorum, & aliarum gentium copias in provintias Imperij se infundentes, die ipsa S. Georgio sacrâ, profligavit; Urbem Parathlabam, Regni Bulgarici caput, armis cepit, & Joannopolim dixit: Regem cum liberis captivum duxit C.polim; Gentis Bulgaricæ Regnum penitùs extinxit. In Nicephoro Imperatore, qui Magni Martyris ope nixus insignem de Barbaris victoriam obtinuit. Celeberrimam propterea fuisse Sancti Georgij Constantinopoli, & per totum Orientem memoriam, cùm Græci, tum Latini Scriptores testantur. Verosimile igitur est, hunc acceptum de Græcis morem à Siculis, & ad nostram usque ætatem fuisse retentum. Cæterùm rationi magis consentaneum esse videtur, & Siciliæ Annalibus magis conforme, sacri hujus, & bellici moris initium in fortissimos Nortmannorum Duces Rogerium, & Robertum, de quibus suprà meminimus, referre; constat enim ab ijs Sanctum Georgium in bellicis congressibus Patronum fuisse delectum: illumque non semel Christianis contra Saracenos pugnantibus tulisse suppetias,

Cedren. in Compẽd.

Baron. in An. Eccl. ad An. Christi 604.

Georg. Kolven. in Kalend. Marian. ad diem 8. Junij.

Baron. in notis ad Martyrol. die 23. April.

ut

ut de sævissimis Fidei hostibus victores evaderent ; eaque ratione Sanctus Martyr significare voluit se illorum in Sicilia Protectorem agere, & Tutelarem. E multis belli eventibus unum, aut alterum seligemus, quo plenam à nobis dictis fidem adstruamus.

Saraceni Siculi, Arabesque innumeri ex Africa in auxilium vocati, (equitum triginta millia censebantur ; peditum vix numerus præ nimiâ multitudine iniri poterat) propè Ceramim agri Panormitani oppidum, cum Rogerio, & Richardo Serlone, Nortmannis Ducibus, commisere prælium ; in medio ardore certaminis inferentibus sese acritèr Barbaris, & Christianos multitudine obruentibus, ijs pedem jam referre parantibus, nostris cælo delapsus apparuit Sanctus Georgius, augustiori, quàm pro humano habitu, specie, candidissimo equo vectus, albo etiam indutus sago, & rubra Crucis figurâ conspicuus, quam eximius ambiebat splendor. In summâ regij vexilli cuspide, quod Rogerij signifer præferebat, crux altera visa fuit, diffusis circumquàque radijs emicare, & hostium oculos nimio fulgore, solis instar, præstringere : territi his ostentis Barbari ; auctæ militibus Christianis vires, animi Saracenis conciderunt : itaque nostri magno impetu in hostes irruunt ; Sancti Georgij nomen inclamant ; ingenti eos clade afficiunt ; omnes ad unum cædunt : locum, in quo pugnatum est, hac ipsa ætate repletæ cadaveribus fossæ indicant. Ab eo, ni fallor, tempore Scuto, & Siciliæ Insignibus hujusmodi lemma inscribi cæpit : *Dextera Domini fecit virtutem : Dextera Domini exaltavit me* : quo alij deinde Reges sunt usi ; visitur in sigillo aureo Vvilhelmi Siciliæ Regis apud Joannem Brantonum, Scriptorem Anglum, in Chronico Hérici II. Angliæ Regis.

Alterum hujuscè Patrocinij Georgiani exemplum refert Thomas Fasellus in sua de rebus Siculis Historia in hũc modum : *Rogerius II. triremium classe vectus in Siliciam è Neapolis portu solverat, Anno Christi 1129. jamque Insulæ Capreæ secundo navigationis cursu superaverat fauces, cùm fœdâ subitò tempestate coorta, triremis regia diffracto malo, lacerisque armamentis, insanis huc, illuc jactari fluctibus cæpit, & inter illius freti angustias periclitari, & ventorum vi in scopulos adversos impelli. In tam præsenti discrimine Rogerius cum vectoribus, & nautis ad preces conversus, à Deo veniam peccatorum petit, à Georgio verò* *Thom. Fasellus in Histor. Sicil.*

opem afflictis, & penè desperatis rebus implorat, & precibus votum addit: si salvus, & incolumis ad portum appellat, se in illius honorem templum magnificum illicò positurum spondet. Votum Deo, Georgioque gratum fuisse eventus docuit: sedata repentè procella, tenebrisque discussis, serenitas cum luce redijt, triremis tanto defuncta periculo, die 6. Augusti ad Cephalædensem in Sicilia portum appulit salva. Nec ulla interposita morâ Rogerius magno Martyri grates egit, vota persolvit, templum erigit, regia pietate, & munificentia dignum, accepti beneficij monumentum. His, alijsque amoris, & patrocinij, belli præsertim tempore, significationibus satis prodidit Sanctus Georgius Siculæ se genris Patronum esse, ac Protectorem.

Præter suprà numeratos Siciliæ Patronos alium nobis inculcat Joseph Silos, Clericus Regularis ex ijs, quos Theatinos dicimus, accuratus, & elegans suæ Religionis Historicus, néspè B. Andream Avellinum: *Causam protectioni dedit*, inquit ille, *lues pestifera à Regno Siciliæ Andreæ precibus apud Deum, & intercessione depulsa Anno salutis humanæ* 1625. & ad id probandum adducit Senatûs Panormitani Decretum, omnium Patrum suffragijs, subscriptionibusque munitum, Archiepiscopo tum Panormi, & Siciliæ Prorege Joannetino Cardinali de Auria: de cujus *Patroni* titulo valdè dubitant viri graves, & eruditi; cùm illud Decretum revocatum fuerit à Sacrâ Rituum Congregatione Romæ habitâ die 6. Julij Anno 1641. proponente Cardinale de Torres, Secretario verò Congregationis Julio Cincio: à quo proinde asserendo, & illustrando patronatu, jure optimo abstinemus, remque in medio suspésam relinquimus.

Non erit Lectoribus injucundum, nec scriptori molestû, nec ab instituto nostro alienum de duarum etiam Urbium Siciliæ principum Panormi, & Messanæ, quæ reliquas inter Urbes caput attollunt, Patronis agere.

Panormus.

Rochus in notitia 1. *Eccl. Panormitan. Ferrar. in Topogra. Martyrol.*

Panormus, vel Panormum, Urbs Siciliæ Archiepiscopali dignitate clara, Regni totius metropolis, propria olim Regum, nunc Proregis Hispanici, & supremi Parlamenti Sedes: in ora Italiæ obversâ condita, ampla, & elegans, magnificis templis, ædibusque augustis conspicua; Oretha fluvio præterlabente amæna, divitijs, ac delicijs afflu-

fluens; *Siciliæ Paradisus*, communi sermone dicta: eoque pleno gloriæ titulo Proserpinæ raptum, & infernas Plutonis sedes emendare videtur. A Romanis rerum dominis Aquilam in stemma sibi desumpsit, si credimus Ranzano Poetæ his versibus ita canenti:

Aubert. Miræus in notit. Episcop. Orbis Christiani.

Dicerer ut populi Romani filia, Patres
Hoc Aquilæ insigni me donavere decoro.

Fasell. dec. 1. lib. 1.

Sed auream, aureaque ornatam coronâ, in areola rubra, subjecta pedibus hujusmodi Epigraphe: *Senatus, Populusque Panormitanus.* In Ecclesia Cathedrali Deiparæ sacrâ, antiqua Regum mausolea visuntur. Hæc pro Insignibus habet Aquilam auream in campo rubro, Imperatoriam tamen, ac bicipitem, utroque capite aureâ coronâ redimito, à Regibus olim, honoris causâ, & Imperatoribus sibi concessam. Primum illius Episcopum fuisse perhibent B. Philippum Argyrensem, vel Argyrionem à Romano Pontifice in Siciliam missum, ut Rochus Pirrus, Author Siculus affirmat, quamquàm in alia ab eo sit sententia Octavius Caietanus Societatis nostræ Theologus, in opere, quod inscripsit, *de Sanctis Siciliæ*, in duas partes diviso.

Rochus in notit. 1. Eccl. Panormitan.

C. Baron. in not. ad Martyr. Rom. die 12. mens. Maij

A multis jam seculis Panormus Deiparam Virginem Patronam colit, ac veneratur. Templum enim princeps multò antequàm Saraceni Siciliam occupassent, in illius honorem ædificavit: recuperatâ posteà per Nortmannos Duces Robertum Guiscardum, & Rogerium Bossum de Barbaris Urbe, illud pijssimi Principes, antiquo nomine, tituloque resumpto, Christianis cæremonijs lustrari, & postliminij jure, ut supra diximus, priori Dominæ magnæ Dei Matri restitui, dicarique curarunt. Qui his successerunt Reges, ac regij sanguinis Principes, eo ipso in templo coronari, & sepeliri voluerunt: ac si sub Mariano patrocinio non solùm vivi, sed mortui quoque esse vellent, uti in loco scripsimus, cùm de Incoronatæ Virginis Æde, quæ unum cum principe templo corpus efficiebat, sermonem fecimus. Cæterùm ab Anno 1624. Deipara Sanctissima sub proprio, & peculiari sibi titulo *Immaculatæ Conceptionis* omnium ordinum suffragijs Patrona Urbis Panormitanæ electa est die Novembris 16. electionem civiũ, gaudium, & gratulatio consecuta. Votum etiam jejunandi in ejusdem festi pervigilio, quod incidit in diem septimam Decembris, in ipsa Urbe, & per totam diæcesim ritè servatur.

Pirrus cit. in not. Eccl. Panorm. p. 1. pag. 92.

Gaufred. Monach. de reb. gestis Roberti, & Rogerij lib. 2. cap. penult.

Ansam

Ansam præbuit electioni pestiferæ contagionis morbus magnæ Matris favore, patrocinioque depulsus, qui per omnes amplissimæ Urbis regiones dirissimè grassabatur, & magnam edebat incolarum stragem. Extat Panormitani Senatûs insigne, ac plenum pietatis decretum, quod hîc inserere non erit à proposito alienum, cùm illud rem contineat, de qua agimus, eamque optimè probet.

Senatus Panormit.

Die 16. Novembris, octavæ Indictionis, Anno 1624. cùm Illustrissimus Senatus hujus felicis Urbis Panormi satis intelligat Sanctissimæ Dei Genitricis ope cùm ad omnia, tum ad præsentes necessitates sibi opus esse, eamque omnium Patronam, ac refugium ure dici; peculiari tamen ratione decrevit in Patronam suscipere; ùm id multis titulis effici possit, illam inter omnes elegit, qui aptissimus præsenti hujus Urbis statui visus est: ipsius nempè Deiparæ Immaculatam Conceptionem; *quo enim nomine speraret potiùs Sanctissimæ Matris auxilium in pestifera contagione; quàm illo, quo purissimam Virginem ab omnis originalis peccati cõtagio ereptam fuisse significatur. Quod si jurejurãdo Illustrissimus Senatus Panormitanus Immaculatam Deiparæ Conceptionem vel ipso sanguine defendendam, ejusque privilegium celebrandum suscepit, cur non omnia speret à pijssima Virgine sub ejus protectione, & prærogativæ nomine; quam tam enixè colere, & venerari enititur: quapropter Senatus ipse vi præsentis Actûs, ac Decreti Virginem Deiparam sub titulo* Immaculatæ Conceptionis *elegit, & eligit, ac nominavit, & nominat in præcipuam, & primariam Patronam, ac Protectricem hujus Urbis: summa cum animi pietate, & humilitate eam rogans, ut dignetur sub suum patrocinium, & protectionem Urbem hanc recipere, eique in omnibus, & in hac præsertìm necessitate, ut solet, elementissimam, ac pijssimam Patronam, & Protectricem se exhibere. Insuper statuit Senatus ipse in signum hujus dicti Patrocinij singulis annis diem festum ipsius Immaculatæ Conceptionis in templo Divi Francisci Patrum Minorum Conventualium, ea, qua par est, tantæ Patronæ solemnitate pro viribus celebraturum, de ijs pecunijs, quas Illustrissimus Senatus quolibet anno expendere potest; & ad ipsius Ecclesiam annis singulis accessurum. Unde, ut in futurum appareat, factus est præsens actus de mandato Illustrissimi Senatûs, &c.*

Alios prætereà Cælites Urbs Panormitana sibi Tutelares adscivit; nempè Divos Augustinum, Benedictum, Dominicum, Franciscum, Ignatium, sacrarum familiarum Authores, de

de Catholica Religione, & de Ecclesia Romana benemeritos, quorum filios Vrbs pijssima amoris sinu complectitur, ædificatis ad commodè vivendum amplis unicuique familiæ collegijs, vel domicilijs, Panormitana pietate, & munificentia dignis. Ijs addidit Sanctum Franciscum Xaveriū, B. Andream Avellinum Anno 1624. & B. Laurentium Justinianum: item S. Agathonem PP. Romanum: omnes occasione contagionis pestiferæ, quæ per Urbem ipsam latissimè grassabatur: & S. Rosaliam Virg. quam sibi etiam Patronam delegit. Quibus etiam voluit adnumerare SS. Mamilianum Episcopum, Sergium I. PP. Roman. Eustochium, Proculum, & Galbadeum Martyres: Agatham, Nympham, Olivam, Christinam, Silviam, & B. Mariam Magdalenam: Mamilianum quidem eo nomine, quòd Ecclesiæ Panormitanæ præfuit summa cùm prudentiæ, & pietatis laude; & quia Nympham Virginem Aureliani Præfecti filiam, & Aureliani Imperatoris neptem ad Christi Fidem convertit: ambo post dirissimos cruciatus Fidei causâ perpessos, variosque rerum evētus in Suanam Thusciæ Urbem pervenerunt; ibique in subterraneis quibusdam cryptis, ab hominum oculis, & cōvictu semotis, cælestem in terris vitam egerūt, quam sancta mors excepit, Nymphæ quidem 3. die Septembris; Mamiliani verò 15. ejusdem mensis Anno salutis humanæ 320. Hujus sepulchro addita inscriptio: *Hic jacet corpus S. Mamiliani Episcopi Panormensis.* Caput cum sacris Nimphæ reliquijs, Galbadei, Proculi, & Eustochij MM. asservantur Romæ in Parochia Sanctæ Mariæ de Monticeli (sic appellant) procedente die Clemens VIII. PP. Max. Anno Christi 1593. Panormum transmisit maiorem partem capitis S. Nymphæ, ut morem gereret Mariæ Pimentelliæ uxori Comitis de Olivares Siciliæ tum Proregis, quæ ab eodem Clemente sacrum illud pignus iteratis litteris postulaverat. Visitur hujusmodi inscriptio in marmorea tabula Ecclesiæ Cathedralis: *Clemente VIII. PP. Philippo Secundo Austriaco Rege, Henrico Gusmano Comite Olivarensi Prorege, D. Nymphæ Caput à Panormitanis multis ante seculis expetitum, Mariæ tandem Pimentelliæ Proregis uxoris operâ obtentum, Didaco Haedo Archiepiscopo Panormitano, à Gilberto Isfar* Cotriglia *Pactensi, Episcopo Summi PP. nomine, theatro ad id in via* Columna *magnificentissimè structo, publicè traditum, incomparabili triumphali pompâ excipitur; & ad maximum*

Jordan. Cascini S. 1. lib. 1. de S. Rosalia c. 8. & c. 3. & c. 4.

Ferrar. in Catalog. SS. Ital. die 3. Septembris.

C. Baron. in not. ad Martyr. Roman. 10. Novembr.

Rochus Pirrus in not. 1. Eccl. Panormit. p. 59.

Philip. Ferrar. de S. Mamilian. Episcop

Rochus Pirrus volum. 1. not. 1. Panor. Anno 1593.

Thom. Fasell. de reb. Siculis dec. 1. lib. 8.

ximum Vrbis templum nobilissimo cum apparatu defertur. V. Idu Septembris Anno 1593. Aucta ea occasione mirum in modum in B. Nympham Virginem civium pietas : & Nymphæ Virginis erga clientes, ac cives suos amor , & patrocinium ad hanc usque diem multis, & magnis beneficijs proditur, & confirmatur.

Agatho Romanus PP. Panormi natus, professione Monachus, ad Summi Pōtificatûs apicem evectus Monothelitarum hæresim damnavit in sexta Synodo generali Constantinopoli coacta, imperante Constantino Pogonato. Cùm tabes pestifera per Romanam sæviret Vrbem, divino monitus oraculo, primus instituit, ut Christi Fideles B. Sebastiani M. opem exposcerent ad illam, vel depellendam, vel avertendam : inde ubique vulgatus mos iste, usuque receptus. Hujus Panormitani cives exemplo moti, multis licet post seculis, cùm dirâ contagione laborarent, & crebris funeribus exhaustæ jam essent habitatoribus domus, ipsum B. Pontificem civem suum, sibi Patronum delegerunt die 6. Novembris, Anno 1625. quēadmodùm paucis ante annis elegerant S. Sebastianum , & S. Rochum.

C. Bar. in An. Eccl. tom. 8. *ad An.* 680.

Ferrar. in Catalog. SS. Ital.

Sancta Rosalia Panormitana Virgo, Claro loco nata, Dei amore, & solitudinis capta, Angelo duce, in Peregrini montis specum secessit; ubi sanctissimè vixit, obijtque. Post quingentos ab obitu annos, corpus inventum fuit lapideo cortice obductum ; manus altera mento supposita faciem sustinebat; altera precarios globulos : Panormum, cōmuni omnium gaudio, translatum cörpus, cives suos innumeris beneficijs afficere non desistit. Anno præsertìm 1625. laboranti contagione Panormo opem tulit, peste abactâ, reddita civibus sanitate: inde arrepta occasio illam deligendi servatæ Urbis Patronam. Extat ea de re idonea inscriptio in tabula marmoreâ ad Ecclesiæ Cathedralis valvas appensa : alia etiam visitur in sacello, ejus titulo magnificè structo, hujus tenoris inscriptio: *Joannetinus Doria S. R. E. Cardinalis presbyter, Archiepiscopus Panormitanus, Siciliæ pro Rege tertium Moderator, D. Rosaliam inter cæteras Vrbis Tutelares Divas collocavit anno jubilæi* 1625. *Divæ ter maxima, civi optimæ, Patronæ benemerentissimæ, extincto pestilentiæ morbo ingentium meritorum exiguum indicem sacellum, voto publico nuncupato, dicavit : lapidem in fundamenta primum jecit Anno salutis* 1626. *Kalendis Februarij.*

Jordan. Cassin. S. 1. *pag.* 339. & 331.

San-

Sanctam Agatham V. & M. quia Civem suam Panormitani esse existimant, Patronam colunt; item quia Urbem suis apud Deum precibus à contagione pestifera liberavit; visa supra muros putissimâ circumfusa luce, quasi præsentem suis Civibus opem afferre vellet.

Rochus in notit. 1. Panorm. p.200.

Cascin. in Vita S. Rosaliæ l. 1. c.6.

Oliva V. & M. Panormi nata, dominantibus Siciliæ Saracenis, Fidei causâ, in Africam deportata haud procul ab Urbe Tuneto in speluncam se recepit, ut mortis commentationi, & rerum cœlestium meditationi liberiùs vacare posset: sed fama illius virtutis per vicinam regionem latè vulgata sepultam prodidit; pervenitque ad aures Amiræ, hoc est, Tunetanæ Urbis Præfecti, ad expugnandam Olivæ Fidem barbarâ feritate intenti: cùmque is purissimam Virginem ad amplectendam Mahometis sectam minis, & blanditijs inducere niteretur, summâ constantia rejectus est: truncato post capite, laureata volavit ad Superos die 10. Junij, Anno Martyris corpusculum à Fidelibus barbarorum furori, ludibrijsque subtractum, navi impositum Panormum devectum est, atque ibi honorificè sepultum.

Thom. Fasell. de reb. Sicul. dec. 1. l. 8.

Ferrar. in Catal. SS. Ital. die 10. Junij.

Octav. Caiet. S. 1. de SS. Sicil.

Christina Virgo Tyri in Phænicia Natales habuit; inde, incertum quo casu, in Etruriam venit, in qua & martyrium consummavit. Sacrum illius corpus Hugo Archiepiscopus Panormum transferri curavit Anno Christi 1160. ut tantæ V. & M. protectioni Urbem ipsam committeret: quiescit in eleganti è marmore mausoleo. Hugo ob translatum Divæ corpus sepulchro hujusmodi inscriptionem adjecit:

Hugo præsul primus S. Christinam exaltavit
sub Vvilhelmo Siciliæ Rege.

Hujus B. Virginis patrocinium in Panormitanos tum maximè enituit, cùm laborantibus annonæ penuriâ opportunè subvenit, ut constat ex hujusmodi inscriptione ad S. Mariæ de Catena: *Quòd populo Panormitano laborante supplicatio per Senatum decreta est, Christinæ Sanctæ Patronæ capsa ab Æde maxima ad Sanctæ Mariæ de Catena per Antistitem Didacum de Haedo, ac cæterorum Sacerdotum delata pridiè Idus Januarias, quasi Cælitus sub XVIII. Kal. Februarij, oneraria navis, quæ Liburnis Messanam solverat, mutata cursu, in nostrum portum suppetias venit subsidio frumenti, quod vix in alterum diem suppetebat: & per id tempus Dominus Henricus de Gusman Comes Olivarius Prorex in Siciliam destinatus Neapoli instinctu divinitatis*

S in

in eamdem appulsus, & abundè provisum S. P. beneficio accepto; memoriæ, & grati animi significationem PP.

Beatam Silviam Sancti Gregorij PP. matrem Panormus *Patronæ* titulo, & honore decoravit, quòd in eâdem Insula natam esse credat; cui argenteam arculam dicavit, in qua illius pes alter per crystallinam fenestellam conspicitur.

Sanctam verò Mariam Magdalenam ob eximiam ipsius sanctimoniam, & singularem in Christum Dominum amorem *Patronæ suæ* titulo affecit.

Hi Divi Tutelares Panormi:

Non erit á proposito alienum hîc inserere pulchrum, & elegans de Sanctis Panormitanæ Urbis epigramma, à Cascino adductum.

In Sanctas Nympham, Agatham, Olivam, & Rosaliam Vrbis Panormi Divas Tutelares

EPIGRAMMA.

Cascinus fol. 400. *Neglige de saxis nunquam secura Panorme*
Mœnia, de Cœlo cùm tibi murus adest.
Hinc Agatha, hinc Nympha, hinc prænuntia Oliva salutis,
Hinc cui spina deest, sed magis inde Rosa est.
Fers Agathæ pretium, Nimphæ decus, omen Olivæ,
Inque Rosæ æterni secula veris habes.
Hæc tua sunt demùm munimina, germina quondàm:
Non poteras vallo nobiliore tegi.

Messana. Messana, Urbs Siciliæ vetusta, & nobilis, æmula Panormo, portu capaci, à tempestatibus tuto, & aliarum gentium commercijs opportuno; rerum omnium abundans copiâ, cultui Deiparæ Virginis maximè dedita; cujus patrocinio jam inde à primis Ecclesiæ seculis, non sine aliarum Urbium invidia, jure optimo gloriatur: ijs namque diversi contigere Divi Tutelares hominum consilio, vel consensu delecti; Messanæ verò, Divini Numinis providentia, ipsamet Virgo Sanctissima Advocatam se, ac Patronam fore promisit; datis in hanc rem litteris propriâ manu conscriptis, quas hîc inserere latinitate donatas ad faciendam dictis fidem, operæ pretiū ducimus. Ma-

Maria Virgo, Joachim Filia, Dei humillima Christi Jesu Crucifixi Mater, ex tribu Juda, stirpe David, Messanensibus salutem, & Dei Patris Omnipotentis benedictionem.

Vos omnes Fide magnâ legatos, ac nuncios per publicum documentum ad nos misisse constat, Filium nostrum Dei genitum, Deū, & hominem esse fatemini; & in Cælum post suam resurrectionem ascendisse: Pauli electi Apostoli prædicatione mediante, viam veritatis agnoscentes; ob quod vos, & ipsam Civitatem benedicimus, cujus perpetuam Protectricem nos esse volumus. Anno Filij nostri quadragesimo secundo, tertio nonas Junij, Luna xxvii. feria v. ex Hierosolymis.

Villegas in Vita B.M.V. to. 2. c. 20. Mutius Justopol. l. 1. Hist. sacr. c. 13. Marrac. in Apost. Mar. c. 3. pag. 97. Joan. Bapt. Bartolus in Horto Christian.

MARIA VIRGO,

Quæ suprà hoc chirographum approbavit.

De cujus Epistolæ fide multi, & graves Authores dubitant, inter quos numerantur Cardinalis Baronius, & Rochus Pirrus in rebus Siciliæ tum sacris, tum politicis apprimè versatus: quibus tamen opponi possunt duo è Societate Jesu alumni Melchior Inchofer, Germanus, & Paulus Belli, Siculus, qui rem accuratissimè examinarunt; eamque multis, & idoneis rationibus veram esse probant; &, quod caput est, traditione perpetuâ, & constanti à maioribus ad posteros transmissâ confirmant: ita ut Cardinalis de Lugo, vir doctissimus, ac nobis Romæ notus, ijs lectis, ac benè perpēsis, hujus tenoris testimoniū dederit: *In manus meas venit*, inquit Cardinalis, *liber vindicans Epistolam Sanctissimæ Virginis ad Messanenses scriptam: quicumque libellum hunc sincero animo percurrerit, fateri omninò debebit, ejusmodi traditionem esse omnino probabilem: aliasque circumferri, quæ pro veris habentur, cùm tamen tot rationibus, ac fundamentis, quibus hæc fulcitur, careant, & oppositionibus vehementioribus impugnentur. Ego sanè concipere mente non possum, quam ob rem debeat quis incendi ad impugnandam sententiam hanc adeò religiosam, & piam, quæ potest multis prodesse, & obesse nemini; atque ex cujus oppositione nullum alicui detrimentum redundat; cùm nulli ex ejus assertione*

Petrucius S. I. in Serm. de Epist. B. Maria. Bonfiglius in sua Messan. l. 8. f. 55. Melchior Inchofer. S. I. Paulus Belli S. I. de Epist. B. V. ad Messanenses. C. Bar. in Annal. ad an. 48. tom. 1. Rochus Pirrus de reb. Sicil. p. 1. notit. 2.

aliquid dematur de suo: gratulor igitur,&c. Frater verò Joannes Baptista Lezana, Carmelita, nobis etiam Romæ notus, in Annalibus sui ordinis ad Annum Christi 1238. tradit, Jacobum Antiochenum Presbyterum venisse Romam Anno 1655. à Patriarcha Antiocheno missum cum litteris ad Innocentium X. PP. Max. & per Siciliam transeuntem affirmasse, habere se in patria vetustum codicem Arabicâ linguâ manu scriptum, continentem varias Apostolorum peregrinationes, maximè Pauli, in Melitam, & Messanam adventum. In eo item codice inveniri B. V. Mariæ ad Messanenses Epistolam, quorum nos Authorum vestigijs insistere gloriæ ducimus, eamque B. V. manu scriptam fuisse meritò credimus: illâq; satis probatur Sanctissimæ Dei Matris erga Messanenses patrocinium, ipsa antiquitate venerabile: quo quid illustrius ad famam? quid tenerius ad memoriam? quid dignius ad pietatem? quid aptius ad gloriam afferri potest? cùm ipsa potentissima cæli, terræque Regina tam se studiosam exhibeat Messanæ Urbis, & Gentis, ut per litteras materno amore, ac dulcedine plenas fidem suam obstringat ad eam tuendam, & ornandam, & in suam clientelam recipiendam. Hujus Epistolæ festum sub titulo *Sanctæ Mariæ à litteris*, tertio nonas Junij, eo scilicet die, quo litteræ à B. V. ad Messanenses datæ sunt, celebrari consuevit, permissu Sacræ Rituum Congregationis. De illo sic habetur in ordine Officij divini, qui singulis annis typis mandari solet: *Tertiò nonas Junij Messanæ dulcis memoria Epistolæ à B. Maria Virgine scriptæ ad Messanenses conversos ad Fidem ab Apostolo Paulo.* Extat vetustum sacellum vulgò dictum *Sancta Maria del Letterio*, ratione litterarum, seu Epistolæ, de qua agimus. Id verò, quanquàm esset ipsa vetustate augustum, satis, & venerabile; anno tamen Christi 1629. recenti oris structuræ opere magnifico, & eleganti, augustius redditum est: æquum enim erat, ut templi maiestas, & amplitudo loci sanctitati responderet. Visitur in eo, & piè colitur B. Virginis spirans divinitatem Imago, cum hac epigraphe.

Joan. Bapt. Cacellot. S. 1. in Annal. Mar. Anno Virgin. 56. pag. 421.

Octav. Caiet. de Cultu Deipar. in Sicil. pag. 88.

Anton. Balinghem. S. 1. in Kalend. Marian. die 1. Martij.

Laur. Maffei. lib. 6. de B. V. M. cap. 8.

Joan. Bonifac. lib. cap. 18.

Georg. Gualter. de antiq. tabul. Sicilia.

Octav. Caiet. S. 1. de Cultu B. V. in Sicilia.

Mater Dei velox ad audiendum.

Nec semel faciles præbuit aures precibus Messanensium Virgo Sanctissima, & maternam de illis curam gerere ostendit: Messanensi enim Urbe à Saracenis obsessâ, visæ fuerunt acies Angelorum fulgentibus armis instructæ, quæ illam propugnare

Silvest. Petrasanct. S. 1. tom. 1. Thaumas. cap. 61.

gnare videbantur, Duce ipsâ Deiparâ Virgine: eaque cælestis exercitûs specie oculis objecta, territi Saraceni, fugerunt. Iterùm Carolo Rege obsidente Messanam Anno Christi 1278. Martino III. PP. Max. supra muros ejusdem Urbis apparuit Patrona Virgo veste cãdidâ, augustâ specie, solaribus circũfusa radijs, habitu protegentis, & propugnantis Urbem; tantumque terroris hostibus injecit, ut eos obsidionem solvere coegerit, & domum se recipere, ne contrà Cælites, & Angelorum Reginam pugnare viderentur. Accepti beneficij memores Messanæ Cives augustum B.V. templum, cui à *Victoria* nomen, grati animi causâ, posuerunt. *Abraham Bzovius in Annal. Eccl. Ann. Christi 1282.* *Rochus in notit. 2. pag. 388.*

Mariani igitur Patrocinij initium in Epistolam Deiparæ Sanctissimæ meritò referimus, qua se Messanensium Protectricem fore promittit, & præsenti in posterùm illorum Urbi auxilio affuturam: coronidem Epistolæ imposuit, benedictionem, tanquam filijs carissimis, impendendo bonis omnibus affluentem, his verbis: *Ob quod vos, & ipsam Civitatem benedicimus, cujus perpetuam Protectricem nos esse volumus.* Liceat mihi hîc adjicere alteram è duabus Antiphonis, & Orationem idoneam, quæ rem nobis propositam continet, alijs, brevitatis causâ, omissis.

Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei genitrix, salus nostra, unica spes nostra, corona gloriæ nostræ, de cujus patrocinio, & benedictione gloriamur: cujus perpetuæ protectionis pignus accepimus, cujus misericordiam suppliciter imploramus: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta.

℣. *Ora pro nobis Sancta Maria Advocata populi Messanensis.*

℟. *Ut digni efficiamur benedictione tua, & promissionibus Christi.*

OREMUS.

Defende quæsumus Domine B. M. semper V. intercedente, istam ab omni adversitate familiam, quam, Pauli Apostoli prædicatione mediante, viam veritatis agnoscere; B. Petri anthoritate in accepta Fide confirmare; ejusdemque Genitricis Filij tui benedictione, & perpetuâ protectione munire voluisti; & toto corde tibi prostratam ab hostium propitiùs tuere clementer insidijs & concede, ut sicut illa, te dictante, ad nos scripsit de terra; ita

ipsâ apud te interveniente, in libro vitæ à te adscribi mereamur in Cælis. Per eumdem Dominum nostrum, &c.

Gulielm. Gumppeb. S.I. in Atlât. Mar. part.2.

Anna Hispaniarum Regina Philippi II. Catholici Regis conjux, cùm à viris doctis, & fide dignis audiisset hujus Marianæ Epistolæ apographum multis gravi morbo laborantibus saluti fuisse, unum sibi dari curavit; quod pretiosi loco monilis, collo appensum gestare consuevit.

Octav. Caiet. de SS. Sicil. p. 185.

Joann. Ant. Vvaltrin. de invent. corporum S. Placidi, & Sociorum.

Præter Deiparam Virginem, S. Placidum D. Benedicti discipulum, cum socijs Martyribus Messana colit, ac veneratur Patronum; causam huic *titulo* dedit illustre in vicini maris littore illorum Martyrium, Manuchæ Saraceni Archipiratæ mandato; truncata barbarorum gladijs capita MM. lateque per arenam effusus cruor Messanæ portum, & maria consecrarunt. Diuturni temporis cursu, altâ oblivione sepulta jacuerunt eorum corpora; donec Anno 1176. Placidus nonnullis Messanæ civibus cælo delapsus apparuit, & locum sepulturæ ostendit, suique, ac sociorum memoriam ab interitu vindicavit. Inventa iterum corpora fuerunt Anno Christi 1588. & digniori loco reposita: sic de his Sanctis Martyribus legitur in ordine divini Officij Ecclesiæ Cathedralis: *Die 5. Octobris Placidi, & Sociorum ejus Martyrum post Beatissimam Virginem Vrbis, & diæcesis Patronam, de quibus habemus reliquiarum thesaurum; Duplex etiam per totam hanc Provinciam, ut in Bulla Sixti V. felicis recordationis; & in Protometropolitana, ejusq; diæcesi officium proprium cum octava.* Item die 3. Augusti sic: *Inventio Sancti Stephani Protomartyris semiduplex. Vesperæ de inventione Sanctorum, & sociorum Martyrum, sine commemoratione. In Vrbe post Vesperas solẽnis processio cum Reliquijs Sãctorum Placidi, & Sociorum Martyrum, qui post Deiparam Virginem sunt Patroni principales.* Antonius Vvaltrinus in opere de Inventione corporum S. Placidi, & Sociorum ita scribit: *Divus Placidus Patronus Messanensium, solemni, & anniversariâ celebritate ex gallicano Rituali ad nostram usque ætatem colitur.*

Vvaltrinus citatus.

S. Albertus Confessor, Patronus.

Petr. Saracen. in Menol. Carmelitar. Heribert. Rosuvesd. S.I. de Fastis SS.

Sanctis Messanæ Patronis adnumeratur Sanctus Albertus Confessor, Carmelita Religione, pietatis laude, & rerum mirè gestarum famâ illustris: de quo in ordine Officij Divini Ecclesiæ Messanensis sic habetur die 6. Augusti: *Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi. In Vesperis commemoratio Sancti Alberti Confessoris. In Vrbe post Vesperas solemnis processio in para-*

ramentis albis cum insigni illius reliquia. Messanæ post multa edita miracula obdormivit in Domino Anno 1292. *& Angelorum voce inter Sanctos Confessores in hac ipsa Metropolitana Messanẽsi relatus est.* Die verò ejusdem mensis septima ita legitur: *Sancti Alberti Confessoris Vrbis Patroni duplex.* Lezana tom. 4. Annalium Carmelitarum scribit, obijsse S. Albertum Anno Christi 1307.: in eadem sunt sententia Ægidius part. 3. cap. 7. Viridarij Carmelit. Joseph Falconius in Chronico Carmel. cum Manerbio, & alijs. Ita etiam habetur in memoriali oblato Sacræ Congregationi de Ritibus, Anno 1250. Baronius tamen Cardinalis in norationibus ad Martyrologium Romanum affirmat, S. Albertum ex hac vita migrasse Anno 1291. ad diem 8. Augusti. Idem sentit Surius tom. 4. de SS. & Petrus in Appendice cap. 13. cum Petro de Ribadeneira; quod videtur magis conforme Officio Ecclesiæ Messanensis suprà citato. Rationes ipsum eligendi Messanæ Patronum fuerunt virtutes eximiæ, quibus excelluit; illustria miracula, quæ patravit; honesti in eadem Urbe natales; duo prætereà Angeli cælo delapsi, qui in ejus obitu suavissimo cantu Missam inchoarunt de Sancto Confessore: *Os justi meditabitur sapientiam*: item quia cum adhuc in vivis esset Messanam arctissimâ obsidione cinctam à Roberto Neapolis Rege, & fame ad angustias redactam, suis apud Deum precibus liberavit, appulsu triremium frumento onustarum: laxavit statim annona, & soluta obsidio est: Robertus Neapolim inglorius redijt: Messanenses Deo, & Alberto, accepti beneficij memores, gratias egerunt immortales. Legat curiosus Lector Flores Carmeli in Vita, & Obitu S. Alberti.

Surius die 3. Aug.

Joan. Maria Politian. in Vita S. Alberti.

Joan. Mannus in tract. de B. V. M.

SARDINIA

INSULA maris Africi, Italiæ objecta, regiâ dignitate clara, Catholico Hispaniarum Regi paret: pro Armis habet quatuor ducum Maurorum capita, coloris nigerrimi. Quatuordecim Urbes olim numerabat Episcopales; modò septem. Calaris totius Insulæ caput est, quam Lucius Florus *Vrbem Vrbium* appellat: Plinius verò *Vrbem Civium Romanorum*. S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Callistus III. Romanus Pontifex *Vrbem Sardiniæ Primariam, ac Metropolim*. In ea Hispanus Prorex sedem habet, & flos Sardæ nobilitatis habitat. Ad hanc Insulam appulisse memorant Sanctum Jacobum Apostolum Hispaniarum Patronum, nec multò post Apostolorum Principes Petrum, & Paulum, ac Incolis Christianæ Fidei rudimenta tradidisse, quæ lentiùs, & accuratiùs examinare nostri instituti non est. Horum vestigijs Clemens institit Petri discipulus, & quartus in Romano Pontificatu Successor: ac eo nomine Sardi meritò jactare possunt, se Roman. Ecclesiæ tres egregios dedisse Pontifices; nempe Clementem I. in Sardinia Episcopum; Symachum; & Hilarum in eâdem Insula natos, & educatos, uti in Annalibus Ecclesiasticis traditur. In Sardiniam Sanctus Fulgentius Episcopus Ruspensis, & ducenti alij Præsules, sæviente Vvandalorum persecutione, Religionis Catholicæ causa, ex Africa deportati fuerunt; ibique permulti eorum laboribus, & exilij ærumnis confecti, ad cælestem patriam evolarunt, illamque Insulam, depositis ibidem sacrorum corporum, & Reliquiarum thesauris, Fortunatam reddiderunt; quorum ingens numerus inventus est, Archiepiscopo tum Calaritano Illustrissimo D. D. Francisco Esquivelio, antiquæ probitatis, & eximiæ doctrinæ præsule.

Ferrar. in Topogr.

Aubert. Miræus in notitia Episcop. orbis Catholici.

S. Athanas. in Apolog. Callist. III. Rom. PP.

Cluver. in Geog. lib. 3. cap. 43.

Dion. Bonfant. l. 1. c. 5. de SS. Sardin.

Ambros. Machin. Archiep. Calarit. de Sede Calar. c. 4.

Petrus Subertus. Primus Cabilon. Episcop.

Jacobus Pintus S. I. de Christo Crucifixo l. 3. c. 4. loco 12.

Victor African. de Persec. Vvandalica lib. 2.

Dimas Serpi de SS. Sardiniæ.

To-

S. Antioch. M. Totius Insulæ Patronum esse Sanctum Antiochum Martyrem testatur Dimas Serpi, non ignobilis Author Sardus, Sulcitanum patriâ fuisse dicunt. Causam patrocinio dederũt ipsius in eâdem Insula natales: in odium Fidei mors à tyrannis illata: corpus ibidem sepultum; & multis miraculis illustratum. Hujus tamen memoria Martyris clarior olim fuit: modò, seu hominum incuriâ, seu injuria temporum, obscurior. Festa illius dies, eo, quo par erat, pietatis sensu, à multis jam annis celebrari desijt, ut me per litteras docuit quidam vir doctus, & rerum in Sardinia sacrarum bene peritus.

Bonfant. l. 1. c. 4.

Scriptores Sardi.

B. V. Maria. Paucis antè annis B. Virgo Maria, sine originali peccato concepta, in publicis Regni Comitijs Sardiniæ Patrona electa est: quemadmodum in Austria, Polonia, Burgundia, & Lusitania etiam factum legimus: Immaculatæ Conceptionis Festum per totam Insulam multis lætitiæ signis, & Christianæ pietatis significationibus celebratur: nec Sardi quicquam præ oculis magis habent, quàm Deiparã modis omnibus colere, & amare, sacras Ædes in illius honorem extruere, templa frequẽtare piorum hominum, ac fæminarum Sodalitia Mariana instituere, seque totos ejus obsequio, & servitio devovere.

Cæterùm, quia Sardiniæ Insulæ corpus, (si fas est dicere) in duas veluti partes dividitur, quarum capita sunt Urbes duæ Primariæ Calaris, & Sassaris, studijs inter sese, affectibusque discordes; utraque proprios sibi, ac peculiares adscivit Protectores: illa Sanctum Saturninum, Civem suum, in ipso adolescentiæ flore capite truncatum, sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, in cujus honorem Constantinus Magnus Insignem Basilicam ædificari præcepit, non minùs, quàm triginta sex sacellis ornatam; sacrã item supellectile, & multis ex auro, atque argento vasibus abundè instructam, in qua ipsius Martyris corpus à Claudio Episcopo quondàm repositum, diu latuit: donec singulari divini Numinis beneficio inventum die 13. Octobris, Anno 1621. arcâ marmoreâ inclusum ingenti gaudio Cives suos affecit: die statim 16. ejusdem mensis, de mandato Archiepiscopi Esquivelij, solemni institutâ supplicatione, in Ecclesiam Cathedralem translatum fuit, ibique omnium oculis, in loco eminenti sericis tapetibus cooperto per dies octo expositum, ut illius contemplandi copia per otium cuicũque fieret. Apertâ ultimo die capsâ, tres è sacro corpore particulæ decerptæ fuerunt; quarum pri-

S. Saturninus.

Fara de reb. Sard.

Surius tom. 1. in Vita S. Fulgent.

Mombritius tom. 2. de Vitis SS.

Bonfant. l. 12. c. 4.

prima ad Regem Hispaniæ transmissa fuit; secunda, ejusdem Martyris templo dono data; tertia verò Proregi. Capsa benè clausa, & ferreis clavis, annulisque munita in thesaurum sacrarum Reliquiarum illata est. Natalis Sancti Saturnini dies, vigesimâ Novêbris; Inventio corporis, decima tertia Octobris celebratur. De antiquitate illius in Calaritanos *Patrocinij*, certò mihi constare non potuit, & si ad eam assequendam exactam diligentiam adhibuerim: antiquius esse quàm multi putant, innuunt in ejus vita Mombritius, & Fortunatus: meritò credimus, Patroni titulum inditum illi, vel confirmatum fuisse Anno Christi 1621. occasione corporis tunc inventi; ab eo tempore magnâ à Calaritanis Civibus religione colitur.

Mombritius, Fortunatus.

Beatam prætereà Cæciliam, non Romanam, sed Calaritanam patriâ, ejusdem Urbis Patronam esse scribit Dionysius Bonfant: Martyrium passa est Calari, ibique sepulta prope Basilicam Sancti Saturnini à Constantino erectam. Procedente tempore Cives studio religionis ducti, illius nomine, ac titulo templum excitarunt, quòd operis magnifici structura, & elegantia Constantiniano par evasit. Demolitum id fuit à Saracenis, cùm Sardiniam occuparunt; ex cujus postea ruinis crevit Ecclesia Cathedralis Deiparæ Virgini dicata, dominantibus jam Insulæ Pisanis. Sub Regibus postea Aragoniæ mutavit nomen, & Sanctæ Cæciliæ templum dici cœpit. Sacræ illius Reliquiæ repertæ fuerunt die 7. Februarij, Anno 1626. Sede tum vacante Calaritana, quæ magnô Civium cõcursu, & gratulatione in primarium Urbis templum illatæ fuerunt, & decenti loco repositæ.

S. Cæcilia V. & M.

Dionys. Bonfant. de SS. Sardin.

Illustrissimus D.D. Fr. Ambrosius Machinus Archiepiscopus Calaritanus, & Illustrissimus D.D. Joseph Maria Soares, Romæ nobis notus, Episcopus in Gallia Vasionensis, viri gravissimi, & eruditissimi; nec non Horatius Quaranta, Societatis nostræ Theologus, B. Luciferum Episcopum Calaritanorum etiam Patronis adnumerant; de cujus pietate, ac doctrina cum laude meminerunt multi Sancti Patres; ij sunt Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, quos citat Machinus, illumque is Author multis, & idoneis rationibus ab schismatis nota, & infamia, quam olim contraxerat, liberare contendit: productis etiam in medium non paucis, nec contemnendis Scriptoribus, qui Luciferum à mortuum

B. Luciferus.

Horat. Quarãt. S.1. in explicat. monere. Spondan. in Epitom. Anno 362. sic: Luciferum temere nimis, atq; mẽdaciter Joannes quidam Arca natione Sardus inter SS. Sardiniæ collocavit.

pro-

probitate, vitæ innocentia; &, quod caput est, à sana, & Catholica doctrina laudant: hi sunt Hermannus Contractus, qui Antiphonam *Salve Regina*, ut rerum sacrarum periti scribunt, composuit, Primus, Cabilonensis in Gallia Episcopus, Petrus de Natalibus, qui ante annos centum triginta floruit, eumque suo Catalogo Sanctorum adscripsit; Mombritius, Joannes Tilus, Meldensis, Cardinalis Bellarminus, Coriolanus, Bzovius, Spondanus, Cornelius à Lapide S.I. Bosius, Ferratius, Fata, Antiochus Blondus, Dimas Serpi, Esquirrus, Carnicerius, Esquivel, Casanata, Boylius, Canales de Vega, Joannes Arca. Ijs accedit antiqua, & recepta inter Sardos de illius sanctitate traditio, templaque in ipsius honorem à Fidelibus excitata. Vetcellensis Ecclesia in Insubria, & Turritana in Sardinia Hymnis utuntur, & psalmodijs in Luciferi laudem olìm compositis: &, quod caput est, Paulus V. Pontifex Max. concessit indulgentias omnibus Christi Fidelibus, qui B. Luciferi Episcopi, & Confessoris templum inviserent, ibique titu Catholico orarenr in festo Sanctissimæ Trinitatis, cujus ille Sacrosancti Mysterij acerrimus defensor extiterat: litter. dat. Romæ 14. Julij, Anno Christi 1614. Pontificatûs Anno X. Per id etiam tempus, quo Romæ lis agitabatur de Sanctitate Luciferi, inventum fuit numisma vetus à Melchiore Inchofer Societatis Jesu Presbytero, viro gravi, ac erudito, in altera cujus facie Aquilæ volantis effigies visebatur cum hujusmodi inscriptione: *Felix Calaris*: in altera verò: *B. Luciferi S.* Rosis sexdecim extremum ambientibus labrum: huic simile repertum est Calari in ipsius sepulchro, Anno redempti Orbis 1623. expressis in medio Aquila, & Rosa, additis circum litteris: *B. Lucifer S.* hoc est, ut nonnulli viri docti interpretati sunt: *B. Lucifer Servator*: Calaris enim Sardiniæ caput, illum habet Patronum: & Tutelarem. Bona tamen tantorum virorum venia, aptior, ni fallor, harum litterarum, seu inscriptionum sensus esset, si illud *S.* ad Sardiniam referremus in hunc modum: *B. Lucifer Sardus*: sic enim Ozius Episcopus Cordubensis in sacris Annalibus passim dicitur *Hispanus*: *Gregorius, Nazianzenus*; Clemens, Romanus; alijque viri illustres à patria, vel Episcopatu cognomen deduxerunt. Igitur cum satis constaret Sardis de præstanti doctrina, & eximia pietate Luciferi, ac de ejus Pontificatu in eadē Insula præclarè gesto, meritò illum Urbis suæ Patronum Ca-

Abrah. Bzovius. Spondanus. Cornel. à Lap. S.I.

Machin. Archiep.

laritani Cives delegerunt: eo præsertim nomine, quòd Calari natus esset: justiùs enim, & efficaciùs ad illos colendos, & imitandos viros cælesti Urbe jam donatos incitamur, qui necessitudine aliqua, vel patriæ, vel sanguinis, vel amoris nos contingunt; fidentiùsque ad illorum patrocinium confugimus, quos nobis conjunctos ijs titulis veneramur: at illi, & si in patria jam sede versentur, & Cæli fruantur gaudijs, Civium tamen suorum oblivisci non possunt, scribit Sanctus Eucherius Lugdunensis; sed laborum conscij, quos in hac lacrymarum valle patiuntur, suis apud Deum precibus instare non cessant, ut eos à vitæ periculis eximere, & immortalis gloriæ coronis donare velit. *S. Eucher. Episcop. Lugd. homil. de SS. MM. Epipodio, & Alexandro.*

Altera Sardiniæ pars, cujus caput est Sassaris, ex ruderibus, seu reliquijs Turritanæ Urbis extructa, illiusque Antistes *Turritanus* communi sermone appellatur, ac de Primatu Sardiniæ jam dudùm cum Calaritano Archiepiscopo contendit; cum Algarensi, Bosensi, ac Emporiensi Urbibus Episcopalibus Sanctum Gavinum Martyrem, Equitum Romanorum Præfectum, cum Proto simul Presbytero, & Januario Diacono Patronos colit, at veneratur, quorum primus Turritanæ Urbis Colonus fuit, & Civis Romanus, ex illustri, ut ferunt, familia Sabellorum: alij autem duo in eâdem Urbe nati, & educati fuerunt. Patronos esse Turritanæ Urbis, ac diœcesis, traditio persuadet à maioribus ad posteros derivata, & ab Ecclesia Turritanâ recepta. Patroni esse cœperunt ab eo, ni fallor, anno, quo sacra illorum corpora reperta fuerunt, & in templum ipsorum titulis magnificè extructum à quodam viro principe, cui nomen *Comita*, Rege, seu Judice Aurei oppidi (sic appellabant) translata. Huic lepræ morbo laboranti, ac penè deplorato, Sanctus Gavinus apparuit, purissimâ nitens luce, & candido vectus equo, cæleste præ manibus vexillum præferens, eumque admonuit, ut in monte, qui ab incolis dicebatur *Agellus*, templum in sui, & sociorum honorem ædificari curaret, ibique eorum corpora collocari; cujus structuram, & amplitudinem digito Martyr ipse designavit. Hujus apparitionis certior factus Turritanus Præsul, tridui jejunio, & oratione præmissis, cum Clero simul, & magna populi turba ad destinatum à Gavino locum se contulit; ac primùm terram ligone fodiens, Comita statim à lepra mundatus certam apparitioni fidem fecit; mox tria Martyrum in- *Annal. Eccles. Turrit.* *S. Gavinus cum Socijs.* *Scriptores Sardi.*

venta corpora ingenti omnes gaudio affecerunt: quæ in templo ipsis dicato decentèr reposita fuerunt: longo tamèn annorum decursu, & incursu Barbarorum, qui Sardiniam occuparunt, & omnia flammis, ac cædibus involverunt, petierat omninò Sanctorum Martyrum memoria, donec anno 1615. Divini Numinis beneficio, inventa denuò, ac in Sassarim delata sunt. Tandem anno salutis humanæ 1621. in ornatissimo ad id parato repositorio, communi omnium gaudio, & festâ totius Urbis gratulatione collocata, miraculis coruscare, & beneficijs suos clientes, ac cives afficere non desistunt.

Illud hîc advertere oportet, non multis antè annis Romæ approbatum fuisse Officium de Sanctis Martyribus Gavino, Proto, & Januario pro Clero Sardiniæ tanquàm de Patronis, his conceptis verbis *quos Patronos veneramur* illos tamen Insulæ totius Patronos non esse, sed Urbis, ac Provinciæ Turritanæ, pro certo habemus, ut ex litteris ad nos ex Sardinia missis accepimus.

HISPANIA.

DIVOS aliarum gentium Tutelares, vel Regum pietas, vel Episcoporum authoritas, vel populorum suffragia crearunt: Hispanicæ verò non hominum consilijs, aut decretis, sed singulari Divini Numinis providentiâ, & favore, Sanctissima Virgo Deipara *Patrona* contigit ab ipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis, non-dum divisis per orbem Apostolis, nec illa tis eorum operâ, & prædicatione in gentes altâ superstitionis caligine immersas Evangelicæ veritatis radijs; certa enim traditione constat à maioribus ad posteros transmissa, & in universa Hispania recepta, Jacobo Maiori Apostolo Evāgelium Hispanis prædicanti, noctuque oranti ad Iberi fluminis ripam prope Cæsaraugustam Aragoniæ metropolim, apparuisse Deiparam cum adhuc in vivis esset, supra columnam quandam marmoream, cui tanquam solio insidebat inter Cælitum choros Salutationem Angelicam concinentium, illique significasse, ut eo ipso in loco Ædem poneret nomine suo Hispaniæ universæ, (cujus se perpetuam fore Patronam pollicebatur) venerationi, & ornamento futuram: quibus dictis videri desijt. Jacobus monitis obtemperans, & summa animi voluptate perfusus Ædem omnium in Europâ primam ut multi existimant, B. Virgini illicò excitari curavit, temporis antiquitate, Fidelium votis, Regum privilegijs, patratisq; divina virtute miraculis celeberrimam, quæ à marmorea columna, cui Deipara insistere visa est, vulgare de *Columna*, seu *Pilari* nomen accepit. Eo Virginis tēplo, editoque ab ipsa oraculo quid illustrius afferri potest ad felicitatem Hispaniæ commendandam? ad Marianum patrocinium asserendum? ad gentis invictæ gloriam celebrandam? Cùm Aragoniæ solo Virgineis Maria plantis insistendo, totius quodammodò Hispaniæ possessionem adierit, seque

Anthores Hispani.

Histor. Eccl. Tolet. & Cæsaraugust.

Scriptores Itali. C. Baron. in Ann. An. Christi 1118. Marrac. de Apost. Marian. Joan. Bapt. Cācellot. S. I. in Ann. Mar. ad Annū B. V. M. 50. & 51. Joan. Bapt. Lezana Carmelitan. in sua Colūna Immobili.

illius Dominam esse, ac in posterùm Reginam, & Patronam fore promiserit, constantemque Hispanæ gentis Fidem in Jesum Filium columnæ illi, firmitatis symbolo, insistens Mater pijssima ad vivum expresserit, ut scitè in rem nobis propositam Ferreolus Locrius advertit: *Jaspidea*, inquit, *illa columna, quam Regna Diva Mater intulit; quamque stantem, & continuè prementis pede firmatam, non Mahometanorum, non Saracenorum, non quorumcunque Barbarorum impetus dejiciat, ac prosternat; sed æternum sibi secura perstet in perenne Catholicæ Fidei firmamentum.*

Ferreol. Locr. l. 3. c. 3 in Maria Augusta.

Alio prætereà materni amoris signo, cum jam inter Cælites moraretur Patrona Virgo, omnibus palàm facere voluit, quàm sibi cordi esset Hispania, ejusque eximia intuenda fide constantia, cum scilicet purissima circumfusa luce, & multis Beatorum millibus stipata, Cælo delapsa in Ecclesiam Toletanam descendit, eamque sua præsentia consecravit. Idcirco institutum *Mariani descensus* in illam Ecclesiam festum, quod magna per Toletanam Provinciam, & vicinas regiones solemnitate peragi consuevit. Oranti etiam in eadem Basilica Ildephonso Archiepiscopo, sui in primis studioso, Cælo descendens candidissimam donavit vestem Angelorum manibus contextam, qua sacris operaretur; materni amoris pignus, ut se gratam præstaret Præsuli, qui edito in lucem libro ejus Virginitatem egregiè defenderat, & Helvidij Hæresiarchæ audaciam solidis rationibus refrænaverat: illaque allata de Cælo Planeta, pulchra ut Luna Virgo Maria Ecclesiam Toletanam reddidit Cælo æmulam, Planetis distincto, & soli similem Ildephonsum, pietatis eximiæ, ac doctrinæ radijs in orbe micantem. Aptius tamen in rem nostram dici potest, ea à Superis donata veste Sanctum Episcopum tegere voluisse, & Ecclesiam Toletanam protegere sibi charam, & clientelæ titulo gloriosam. Hispaniæ verò à Saracenis hostibus occupatæ quantum opis tulerit Patrona Virgo ad excutiendum Mauricæ servitutis jugum, seque in pristinam libertatem vindicandam fusiùs, & accuratius enarrare officij nostri est, cum in eo maximè eniteat potentissimæ Reginæ virtus, & singulare, quod exhibuit erga gentem nostram, patrocinium.

Scriptores Hispani maximè Alphonsus Carthagena in Reg. Hisp. Anacephal. cap. 38. Roderic. Toletan. de reb. Hispan. l. 2. c. 22 Garcia Leaisa in not. ad Concil. Tolet. 10. Saavedra in Corona Gothica Castellan. & Austriaca. Tamains Salasar in Martyr. Hispan. ad diem 23. Januar. Franc. Portocarrero in vita S. Ildephons. Petr. Ribadeneira S. I. in ejus vita.

Pelagius certè post subactam à Mauris Hispaniam, & penè extinctam Gothorum gentem mille non amplius bellatoribus

Lucas Tudens. in Chron. lib. 4.

ribus comitatus, Deipara belli duce, auspiceque, viginti Barbarorum millia, commisso cum ijs prælio, trucidavit, cæso etiam Alemano illorum Rege; sexaginta verò millia, quæ tantæ supererant cladi, partim Auzenæ ruina mõtis oppressis; partim in Devem fluvium præcipitati miserè perierunt. Visitur apud Astures Spelunca illa, in qua cum suis se abdiderat, munieratque Pelagius, ad Deiparæ Virginis honorem in Ædiculæ sacræ speciem conformata, & de ejusdem nomine vulgò dicta *Sancta Maria de Covadonga*; quam vicini loco populi, accepti olim beneficij memores soliti sunt ad hanc usque diem magno pietatis sensu, votis, & peregrinationibus frequentare.

Alphonsus hoc nomine Octavus, adjunctis sibi in bellum Socijs Petro Aragoniæ, & Sancio Vasconiæ Regibus; cum innumerabili Maurorum exercitu, cui præerat Mahometes, Rex potentissimus, propè Navas Tolosæ (id loco nomen) collatis signis conflixit, eumque Sanctæ Crucis virtute, & Deiparæ Virginis ope, cujus effigiem in regijs vexillis præferebat, primum campo movit, deinde in fugam vertit, mox ad internecionem usque delevit. Ducenta Maurorum millia cæsa fuisse dicuntur: è nostris (quod vix miraculo eximas) tantùm vigintiquinque desideratis. Parta tanti momenti victoria xvi. Julij Anno salutis humanæ 1212. Appositè in rem nostram Rodericus Ximenius sic scribit: *Erat in vexillis Regum imago B. Virginis, quæ Toletanæ Provinciæ, & totius Hispaniæ semper Tutrix, extitit, & Patrona.*

Ferdinandus cognomento *Pius* Patronam habuit singularem Reginam Angelorum, illique victorias, quas comparabat, ferebat acceptas. Is non Urbium modò, sed *Regnorũ Expugnator* per Antonomasiam dictus, quatuor, Mahometanis hostibus armorum vi eripuit, & Christo subjecit Regna, Cordubense, Murcianum, Gienense, & Hispalense; sub Deiparæ tutela, & imagine in militaribus vexillis depicta, Ferdinandi pugnabat semper, & vincebat exercitus: Hispali, florentissima Urbe, capta, ac debellatis circum circa Maurorum Regulis, Rex ipse palàm confessus est à se partas Dei Matris ope fuisse victorias, Maurosque subactos. Itaque utriusque Joannis Zemiscis, & Comneni, Græcorum Imperatorum more, institui voluit solemnem supplicationem, & Marianam Effigiem suprà ornatissimum ferculum imponi, ac triumphã-

C. Baron. in Annal. tom. 9. Ann. Christ. 718.
Joan. Marian. de reb. Hisp. l. 7 c. 2.
Kolven. part. 2. Kal. Mar. ad diem 24. mensis Julij
Anton. Spinell. S. I. de mirac. Deipara V. M. n. 49.
Benedict. Gonsal. in Chron. Deiparæ V. Mariæ ad Annum Christi 718.
Tamai. Salasar de Triumph. B. V. & in Martyr. Hispan. ad diem 7. Decẽb.
Franc. de Maced. in vita B. Teribij Mogrueg. Limens. Archiep. c. 2.
Petr. de Ribaden.
Euseb. Nieremb. l. 2. c. 3. Troph. Marian.
Marian. de reb. Hisp.
Ant. Balinghem. S. I. in Ephemer. Mar. die 16. Julij.
Alvar. Gomes in Fragmentis.
Euseb. cit. lib. 2. c. 4. & 5.
Ludovic. Nonius in sua Hispan. c. 61.
Zurita in Indic. lib. 3.
Pineda in Relat.
Ferdin. R. § 8. Annal. Eccl. Hispal.

tis ſpecie per frequentiſſimas, undante populo, plateas ad primarium templum duci ; ponè ſequentibus magno numero Epiſcopis, habitu Pontificio ornatis , longoque ordine viris ſacris ; bellatorum poſtea cohortibus, dejectis ab humero per tranſverſum pectus faſcijs elegantium , explicatis ad auram vexillis, & vétos ad certamen lætitiæ provocátibus. Claudebat pompam Rex ipſe auguſta oris ſpecie , & totius corporis habitu ſpectabilis. Hac triumphi pompa pervagatus Urbem pervénit in templum opere, ſitu, ornatuque auguſtum, ibique gratijs pro relata de Mauris hoſtibus victoria Deo, ac Deiparæ actis, ejuſdem titulo, ac cultui templum ipſum Chriſtianis cæremonijs expiatum dicari juſſit, & erepta Barbaris vexilla militaria de tholo ſuſpendi, partæ victoriæ monumenta.

Marineus Siculus de Reg. Hiſpan. l. 20 Euſeb. Nieremb. in Troph. Mar. lib. 2. cap. 15. Annal. Legionenſ. in Ramiro Rege.

Ramiro Legienis Regi adversùs Cæſarauguſtæ, & Cordubæ Reges Saracenos pugnanti, Virgo Deipara Angelos duos in tempore ſuppetias miſit candidiſſimis equis vectos, & aureis armis inſtructos; cœleſti quorum virtute Mauri profligati fuerunt : octoginta millia in acie interempta , captus à noſtris Cæſarauguſtæ Rex, Cordubæ fugâ elapſus certam mortalibus fidem fecerunt Sáctiſſimæ Virginis Mariæ patrocinio ſtare Regna, & inſignes de Religionis hoſtibus victorias comparari.

Carthagena de ſacris Deiparæ Arcanis to. 2. l. 1. c. 19. Euſeb. Nieremb. cit. lib. 2. cap. 37. Buſtes in Mariali Serm. 9. de Concept. Virginis. Kolven. p. 1. Kalend. Marian. pag. 5.

Ferdinandus Rex Catholicus , ut alia omittamus , Granatæ Urbis capiendæ miro tenebatur deſiderio unà cum Eliſabetha conjuge, excelſi animi Heroina; tum quia magnorum inter Mahometanos Regum ſedes erat ; tum quia inter reliquas Hiſpaniæ Urbes ædificiorum elegantia, incolarum numero, armorum ſtudijs, divitiarum affluentia, & rerum omnium copia excellebat ; illaque expugnata pronum erat victricia Hiſpanorum arma per finitimas Maurorum regiones circumferre, cum ſigno Crucis conjuncta. Magno igitur collecto exercitu Granatam arcta obſidione vallavit: non tamen illam capere potuit, nec ad deditionem compellere, nec voti ſui compos fieri, donec B. Virginem ſibi Patronam adſcivit, & primarium Granatæ templum ſe dicaturū promiſit ejus *Immaculatæ Conceptioni* : nuncupato in hunc modum voto, paucis poſt diebus , Urbis deditio facta eſt , ſumma Hiſpanicæ gentis gloria : Cives ſe ipſos, ſuaque omnia Ferdinandi Regis arbitrio permiſerunt. Itaque Maurorum imperium , quod ſteterat in Hiſpania per annos ferè 778. & Chriſtianam Repu-

Joan. Tamaius Salaſar in Triumph. Mar. to. 1. Triūph. 89. Marian. de reb. Hiſpan. l. 25. c. 18. Anton. Balinghem. S. I. in Kal. Mar. die 5. Januar. Illeſcas tom. 2. Hiſt. Pontif. lib. 6. cap. 7. §. ultimo.

publicam graviſſimo ſervitutis jugo oppreſſerat; Deiparæ Virginis precibus tandem concidit, prorsùsq; extinctum eſt.

Antiquiora hæc; recentiora in medium proferamus memoratu digna, ex quibus liquidò apparebit pijſſimos Hiſpaniæ Reges cnm ſubditis ſibi populis, hæreditario veluti jure, Beatiſſimæ Dei Matris clientes eſſe, eumque maximè titulum gloriæ ſibi vertere: nec tam de proferendo per exteras nationes Imperio, coacervandisque theſauris, quàm de promovẽdo Deiparæ cultu, ejusque patrocinio demerendo cogitare: Philippus quippè hoc nomine IV. pro ſingulari ſuo erga Sanctiſſimam Virginem ſtudio, & amore, & ſi jam dudum ſub illius tutela Hiſpanicam gentem eſſe ſciebat, voluit nihilominus, ut id ipſum ritu quodam ſacro, & ſolemni fieret, publica Romanæ Eccleſiæ authoritate firmato; eaque ratione canonica univerſo orbi Catholico patefacta, de cæleſti Mariæ in Hiſpaniam Patrocinio clariùs, certiùsque conſtaret. Iteratis igitur litteris ab Alexandro VII. Pontifice Maximo obtinuit, ut peculiare hujuſmodi PATROCINIJ Mariani feſtum per univerſam Hiſpaniam inſtitueret, idque certo quodam die ab Epiſcopis deſignando celebrari à Fidelibus Romano more præciperet: quæ cum tanti ſit res momenti, ad illi faciendam apud omnes fidem, operæ pretium erit Pontificium diploma hìc inſerere.

Alexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam.

PRæclara Chariſſimi in Chriſto Filij Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici in Deum pietas, ac erga B. Virginem Dei Genitricem Mariam devotio, ſingulari in nos, & Apoſtolicam Sedem Fidei conjuncta, promeretur, ut ejus votis ad augendam ipſius Beatiſſimæ Virginis venerationem tendentibus, quantum nobis ex alto conceditur, favorabilitèr annuamus. Cùm igitur, ſicut idem Philippus Rex nobis exponi fecit, ipſe ad gratias eidem Dei Virgini Genitrici Mariæ pro pluribus beneficijs, quæ ab illa accepiſſe pio affectu confitetur, agendas unum feſtum particulare Patrocinij B. Mariæ Virginis nuncupandum in omnibus Hiſpaniæ Regnis aliqua die Dominica menſis Novembris ſingulis annis celebrari ſummopere deſideret; nos piam ejuſdem Philippi Regis intentionem plurimùm in Domino commendantes, eumque ſpe-

specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, dilectis filijs Clero, etiam Regulari, prædictorum Regnorum Hispaniæ, ut aliqua die Dominica mensis Novembris per Ordinarium loci designanda, annis singulis festum Patrocinij ejusdem B. Mariæ Virginis cum Officio duplici, quod recitatur die 5. Augusti in festo Dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives, exceptis lectionibus secundi nocturni, quæ sumentur ex Sermone Sancti Joannis Chrysostomi, Dei Filius, &c. *quæ habentur die 12. Septembris infra octavam Nativitatis ipsius B. Mariæ Virginis; nec non cum Missa, quæ celebratur dicta die Dedicationis, cum Gloria, & Credo, celebrare liberè, & licitè possint, & valeant authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Prætereà ad augendam Fidelium devotionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexûs Christi Fidelibus verè pænitentibus, & confessis, ac sacra Cõmunione refectis, qui Missæ solemni in die prædicta interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresumque extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & misericordiam in Domino concedimus: non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Concilijs generalibus, vel specialibus; nec non quatenùs opus sit, Ecclesiarum, & Ordinum, & Cõgregationum, Institutorum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, aliorumque locorum regularium quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die xviii. Junij. Anno M.DC.LVI. Pontificatûs nostri anno secundo.*

Hujusmodi litteras Pontificias in Hispaniam transmissas Rex Catholicus consignati mandavit D. Balthasari Moscoso Sandovalio, Archiepiscopo Toletano, S. R. E. Cardinali, ut celebrando novo Patrocinij Mariani festo certam aliquam diem assignaret: qui ut Summi Pontificij mandatis obtemperaret, & pijssimi Regis votis satisfaceret, Dominicam secundam Novembris ejusdem anni designavit, & litteras ad id significãdum idoneas ad Episcopos Hispaniæ misit; quæ magno ubique Fidelium plausu, nec minori pietatis sensu. exce-

ptæ fuerunt: & festa illa dies solemni Missæ sacrificio, campanarum sono, multisque alijs id genus publicæ lætitiæ, & gratulationis significationibus peracta est. Itaque & si Deiparæ Virginis Patrocinio jam pridem gloriabatur Hispania, id tamen Pontificis oraculis honore plenis, modò affectum, & ad altiorem ritum, gradumq; evectum, nova quadam dignitatis ratione munitur, & decoratur; & gens Hispana novo, ac peculiari clientelæ titulo à Christi in terris Vicario sibi concesso, ornata, Matrem Sanctissimam in posterùm religiosiùs colet, amabit teneriùs, ejusque opem fidentiùs exposcet, ut laboranti bellorum, ac ærumnarum mole Reipublicæ opportunè subvenire velit, eamque ad pristinam felicitatem, & gloriam revocare.

Cæterùm nulla in universo orbe Catholico gens reperitur B. Virginis cultui magis addicta: quàm est in observandis illius festis religiosa? quàm in Sabbatis, & Vigilijs jejunandis assidua? quàm in precarijs globulis percurrendis pia? quàm in parvo ejus officio recitando devota? quàm in extruendis, & ornandis templis munifica? qui Sacrarum Ædiũ in Hispania nitor, & frequentia? qui Sacrorum apparatus? quot virorum, ac fæminarum Marianæ sodalitates? quæ põpa, quæ supellex Ecclesiarum, adeo ut, cum in sacram quamlibet Virginis Ædem intraveris, in Paradisum ingredi te putes? Tanta est odorum fragrantia, tanta luminum copia, tanta musicarum vocum harmonia, tantus auri, atque argenti splendor. Octoginta ferè templorum millia in honorẽ Deiparæ Virginis dicata in Hispania numerabis, uti viri authoritate graves affirmant. Solus Jacobus Rex Aragoniæ, *Urbium Expugnator* nominatus, duo millia ædificasse traditur Mariano titulo sacra. Omnes ferè Ecclesiæ Cathedrales Hispaniæ Beatissimam Mariam Patronam habent, ac Tutelarem. In singulis Provincijs, Regnisque visuntur Deiparæ templa, & Imagines antiquitate venerabiles, miraculis illustres, Fideliũ concursu, & votis celebres; in Catalonia Sanctæ Mariæ de Monserrate; in Aragonia Sanctæ Mariæ del Pilar; in Regno Valentiæ Sanctæ Mariæ de Podio; in Asturijs Sanctæ Mariæ de Covadonga; in Castellanova Madriti Sanctæ Mariæ de Atocha, seu de Antiochia; in Lusitania Sanctæ Mariæ ab *Specu* vulgò *da Lapa*, & Sanctissima Virgo de Nazareth, ut alias minoris famæ, & nominis omittamus. Itaque Hispania uni-

universa sub B. Virginis umbra, & patrocinio quiescit, floretque litteris, religione, armorum studio, & rerum præclarè gestarum gloria, florebitque semper Deo favente, & Deipara opitulante. Nec verò illius finibus, terminisve circumscribi potuit B. Virginis cultus, & tutela, sed Hispanos secura Duces, transmissa, emensaque furentis Oceani vastitate, pervasit in Africam, Asiam, & Americam, ad innumeras etiam per maria sparsas Insulas, vel Hispanæ dirionis, vel Lusitanæ pervenit, in quas ij Christi Religionem cum Mariano Patrocinio armis victricibus intulerunt, eamque inter gentes immanitate barbaras, & alta superstitionis nocte sepultas summa cura, & studio propagarunt; quanto cum animarum fructu, quanta cum Dei, ac Deiparæ gloria, paucis, & à properante dici non potest: necesse est Orbis universitatem animo comprehendere, & nullum prorsùs angulum præterire, ac eà magnitudine promotam ab Hispanis in Deo Fidem, in ejus Matrem amorem, & pietatem metiri.

Ijs supersedeo, quæ ad Lusitaniam, Aragoniam, & Vasconiam pertinet, quas etiam Beatissima Virgo regiones in suam clientelam acceptas materno fovet amore, & præsenti auxilio tuetur; hæc enim data opera referemus, cum de singularum Divis Tutelaribus tractabimus.

S. Jacobus Apostolus. Primarius Hispaniarum Patronus est Sãctus Jacobus Maior Apostolus, ob tres præcipuè rationes, quas adducit Franciscus Soares eximius Societatis nostræ Theologus: prima est, quia ipse primus Evangelium in Hispanijs prædicavit, & Fidei Christianæ semina jecit, quæ licet initio parem ejus laboribus, ac desiderijs fructum non tulerint, procedente tamen tẽpore ingenti ubique facto religionis incremento, messis copiâ tarditatem cõpensavit, & magnam Deo immortali gloriam attulit: Jacobo verò decus, & honorem peperit. Secunda, quia sacrum illius corpus Hispania possidet, è Judæa per duplicem illam maris vastitatem Mediterranei, & Oceani ad extremam Gallæciæ Provinciæ, & mundi partem, quæ *Finis terræ* à nautis dicitur, à discipulis suis nave transvectum, & in Iria Flavia, Urbe quondam celebri, sepultum, Compostellam postea translatum, ibique multis post seculis inventum, Legionis Rege Alphonso Casto, Leone III. PP. Max. Theodomiro ejusdem Urbis Episcopo: Urbs ipsa à Sancto Jacobo nomen traxit, sibique desumpsit Insignia, è candido mar-

Francisc. Soar. S. I. to. 1. de Relig. l. 2. c. 9.

Joann. Tamaius in Martyr. Hisp. to. 6. die 30. Decembr.

more ſepulchrum, inſiſtente coloris aurei ſtellula campo cæruleo excepta, radio foris prodeunte : ſignificatque ſtellam ſubterranei loci indicem, in quo ſacri corporis theſaurus diù latuit. Exinde, omnium concurſu gentium frequentari, pietatis cauſâ, & coli cæpit, multiſque, & pretioſis à Regibus, & Principibus muneribus affici ; magnis præterea à Summis Põtificibus privilegijs muniri, & ornari. Tranſlatio corporis Sancti Jacobi Apoſtoli in Eccleſiæ faſtos relata eſt, illique aſſignata dies triceſima Decembris. Tertia, quia à multis jam ſeculis Hiſpanicam gentem innumeris beneficijs afficere non ceſſat ; ſæviente præſertim Maurorum bello, quo extincta Chriſtiani nominis gloria diù jacuit in tenebris & ſquallore ſepulta, Jacobi auxilio revixit, & in priſtinum ſplendorem, & avitam dignitatem armis vindicata, Europam famâ, orbem admiratione implevit. His potiſſimùm ducti rationibus Hiſpani Jacobum ſingulari Divini Numinis providentiâ ſibi datum Apoſtolum, & Magiſtrum, necnon in bellis contra Fidei, & patriæ hoſtes ſuſceptis Ducem, PATRONUM ſibi, ac Tutelarem delegerunt, vel ab ipſis Apoſtolorum temporibus occaſione Jacobini corporis in Hiſpaniam tranſlati: vel à tempore Ramiri Regis, cauſa victoriæ de Saracenis hoſtibus, illius ope à Chriſtianis adeptæ. Satis conſtat Jacobum à Leone III. qui præfuit Eccleſiæ imperante Carolo Magno *Hiſpaniæ Patronum* appellari in Sermone, quem is habuit de Tranſlatione ipſius corporis, ut notavit Grimaldus Archivi Vaticani Præfectus, Baronij Cardinalis coætaneus, & familiaris: neque is ab illo diſſentit, licet alij eum Sermonem Leoni IV. attribuant. Nec mea multum intereſt utrius Leonis fuerit indagare, cum ex illo benè probetur Jacobi Patrocinij authoritas, & antiquitas. Idem continent litteræ Calliſti Secundi, qui Jacobi fuit ſupra quàm dici poſſit, ſtudioſus, & de illius miraculis integrum volumen compoſuit, teſte Joanne Trithemio, & Cardinali Baronio tom. 1. Annalium Eccleſ. quod pulcherrimum ejus operum eſt Anno 44. & tom. 12. Anno 1121. ubi ſcribit illud opus Calliſti à ſe tom. 9. improbatum, legitimum ejus fœtum eſſe. Idem oſtenditur in vetuſto Breviario Hiſpaniæ Gothico, *Muſarabo* poſteà, vel *Muſtarabo* nuncupato, quòd ante Sanctum Iſidorum magnæ authoritatis fuiſſe liquet ; nam is illud non condidit de novo, ſed recognovit, & ordinavit, ac in meliorem, quàm anteà, formam

Gaſp. Sanch. S. 1. de Advent. S. Jacobi in Hiſpaniam.

Fr. Frãc. de Maced. in Diatriba de Advent. S. Jacobi in Hiſpaniam.

Tamai. Salaſar in Martyr. Hiſpan. ad diem 25. Julij.

Breviar. Muſarab. Maced. in Diatriba cap. 16.

Breviar. Musarab. redegit, unde illius patet antiquitas, ac ex ea fides. In hoc igitur Breviario præter lectiones ponitur Hymnus, qui perspicuè cõtinet Jacobi in Hispanos patrocinium, his rhythmis:

C. Baron. in notat. ad Martyrol. Rom. ad diem 25. Julij.

Magni deinde filij tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Vtrinque vitæ culminis insignia
Regens Joannes dextrâ solus Asiam,
Et lævâ frater positus Hispaniam.

Rursùm: *O verè dignè Sanctior Apostole,*
Caput refulgens inclytum Hispaniæ,
Tutorque nobis, & PATRONVS vernulus
Vitando pestem esto salus cælitus.

Biblioth. Patrum. Unus item Patrum in Bibliotheca, in proæmio ad Officium, & Missam Sancti Jacobi: *Festum*, inquit, *Sancti Jacobi Hispaniarum Patroni inter solemniora recensetur.* Hymnus præterea vetustus sic habet in Breviarijs Toletano, & Compostellano:

Breviar. Cõpostell. & Toletanum.

Jacobus
Terris datur Hispaniæ
Dux, & Patronus inclytus.

Fr. Frãc. de Maced. in Diatriba p. 225. Extat celebris illa Regis Ordonij Ramiri filij Athaulpho Cõpostellano Episcopo facta donatio Anno 892. in hunc modum: *Pro reverentia, & honore Beatissimi Jacobi Apostoli nostri, & totius Hispaniæ Patroni, cujus corpus tumulatum est in Gallæcia.* Item Gaspar Sanches egregius Societatis nostræ Sacrarum litterarum Interpres, sic scribit de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, tractatu 2. cap. 6. *In voto à Rege Ramiro edito Calaguræ diplomate regio inter cætera sic Rex loquitur: Mihi dormitanti Apostolus ita locutus est: Nunquid ignorabas, quòd Dominus noster Jesus Christus alias provincias alijs fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam meæ tutelæ per sortem deputavit?* Nec pluribus rèm probare opus est, cum illa pueris etiam abecedarijs nota sit.

Cæterùm calamo describi vix potest, aut verbis exprimi quanto in Jacobum Apostolum Hispani amore ferantur? quàm tenero pietatis sensu festos illius dies, & memoriam celebrent? quàm se, suaque omnia illius fidei, & clientelæ devoveant? ipsius auspicijs bellicas expeditiones suscipere, & conficere soliti, & Jacobi nomine quasi tesserâ se milites illius esse profiteri; cum pugnam ineunt, ut sibi animos faciant, & hostibus terrorem incutiant, in prima, quæ vehementior esse

solet,

ſolet, impreſſione, illam vocem intonant, *Sancte Jacobe, Vrge Hiſpania* hoc eſt *Santiago, Cierrá Heſpanha*: militari ſe illi ſacramento addicunt; & illuſtriſſimo Equitũ Ordine *Jacobi* nomine inſtituto, ejuſque numini ſacro, cujus Rex ipſe Catholicus Magnus Magiſter, & Rector eſt; ejus ſe obſequijs dedicant, & legibus adſtringunt, ut nullius ergà quenquam alium Sanctum Patronum gentis clariora extent, quàm Hiſpanicæ erga Jacobum amoris, & religionis indicia. Quàm verò benè reſpondeat huic amori, & pietati Apoſtolus cura, & ſolicitudine Patris, & Patroni ex rebus à ſuis clientibus, ejus auxilio, præclarè geſtis, ſatis conſtat, tùm in ipſa Hiſpania, tùm in utrâque ad Orientem, & Occidentem Solem India Hiſpanorum, & Luſitanorum armis ſubacta, & illorum operâ, & induſtriâ ubique locorum propagata Chriſtiana Religione: exempla non pauca, nec obſcura ſuppeditant Annales Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, Valentiæ, & Aragoniæ: nec non magni nominis Authores tum noſtrates, tum externi: quæ magis eminent, deligemus, eaque in lucem dabimus, ut Jacobi patrocinium aſſeramus, & gentis Hiſpanæ gloriam, & pietatem illuſtremus. Hiſpanica certè Eccleſia meritò canit in Antiphona ad Benedictus: *Viſitavit nos per Sanctum ſuum Apoſtolum, & fecit ſalutem de inimicis noſtris Dominus Deus noſter.* Et in Hymno vetuſti admodum Officij Eccleſiaſtici ſic habet:

Solorzanus l. 2. c. 4.

Tamai. Salaſar in Martyr. Hiſpan. die 25. Julij.

Joan. Bapt. Cãcellot. S. I. in Annal. Mar. ad An. Chriſti 41. B. V. M. 58.

Electus hic Apoſtolus
Decorus, & amabilis
Velut Leonis catulus
Vicit bella certaminis.

Ter apparuiſſe ferunt Carolo Magno Imperatori adverſùs Chriſtianæ Religionis hoſtes pugnanti (ut hunc etiam externæ gentis Principem hìc obiter inſeramus) illique ſuppetias de Cælo tuliſſe. Ad noſtros veniamus, quorum proprius, & peculiaris à Deo Patronus datus eſt.

Vveſtmonaſterienſis ad Annum 814. Michael Alfordus S. I. in Annal. Eccleſ. Angloſax. to. 3. pag. 10.

Alphonſo Caſto Regi præſentem de Cælo opem tulit in prælio contra Mugahitum Maurorum Ducem commiſſo; ſeptuaginta hoſtium millibus, non ſine magna Chriſtiani nominis gloria, trucidatis.

Scriptores Hiſpani.

Illa ad Clavigium memorabilis in paucis victoria oculos Scriptoris, & calamum ad ſe convertit; qua & hoſtes deleti, & Hiſpania ab infami juxtà, ac miſerabili centum virginum

Maced. in Diatriba de Advent. S. Jacobi in Hispan.

tributo singulis annis Mauris pendi solito est liberata. Juvat audire Marianam elegantem, & accuratum rerum Hispanarum Scriptorem: *Ramiro Regi*, inquit, *dormienti Jacobi species objecta augustior, quàm pro humano habitu, bono animo esse jubet; de victoria nihil dubitare, Numinis ope, quam certò affuturam proxima luce speraret. Rex ob has Jacobi voces excitatus, lætusque nuntio, cùm ex stratis se corripuisset, præsules, & magnates ad se vocari jubet*: prosequitur deinde, *hæc ubi dixit, aciem instrui, & signa canere jubet: nostri magna alacritate in hostes impressionem faciunt: Divi Jacobi nomen magnis vocibus ingeminantes, quod ab hoc initio susceptum in morem abiit, ut Hispanis sit pro tessera militari: Barbari nostrorum audacia, quos victos esse putabant, commoti, & cælitùs injecta formidine perculsi, eorum impetum non tulerunt; Jacobus uti erat Regi pollicitus, in equo candido niveum vexillum præferre visus est, quod rubræ Crucis figura distinctum erat: ejus aspectu nostris vires auctæ, Barbaris animi conciderunt: fœda fuga fuit, nec minor cædes: sexaginta Maurorum millia perempta. Clavigium quo loco pugnatum sit, hoc ipso tempore strages passim effossæ indicant.* Huc usque Mariana. Assertarum deinde in libertatem Virginum non meminit, cùm anteà addictarum infami servitio meminisset. Constat fœdus illud turpe tum rescissum, liberatam eo jugo Hispaniam, & à virginibus illud periculum propulsatum, qui maximus victoriæ fructus fuit. Is non minoris pretij accessit, quòd Jacobus non modò Christianæ Religionis, sed pudicitiæ Hispanarum Virginum Patroni jure, & Advocati Assertor, & Vindex esse voluit. Ex eo tempore Hispani milites publico, & solemni more cœperunt in bellicis conflictibus *Sancti Jacobi* nomen inclamare (nam antea, si credimus Eusebio Nierembergio Societatis nostræ Theologo Sanctum Michaelem cælestis militiæ Principem invocabant:) & Hispana nobilitas Jacobo tanquàm Duci militari studio se addixit; & illustrissimo Equitum Ordini nomen dedit, Beati Apostoli nomine, & rubri coloris gladio, seu Insignibus decorato; cujus Author fuisse dicitur Ramirus Rex post victoriam ad Clavigium de Mauris partam (licet alij melius affirmēt fuisse Alphonsum Undecimum Castellæ Regem:) atque ut votum voto adderet, Sancti Jacobi Ecclesiæ in Compostella Regnum suum vectigale fecit: de quibus præter Hispanos Authores multa referunt Petrus Tolosanus, Baronius, Cherubinus,

Euseb. Nierenb. S. I. lib. 5. de S. Michael c. 26. p. 282.

nus, Mennenius, Spondanus, & alij, quos longum esset recensere.

Aliud Jacobini Patrocinij celebre exemplum, & patrium in Lusitania adducit Rodericus Ximenius in sua Historia de rebus Hispaniæ, libro sexto, capite undecimo, ubi enarrat præclarè gesta Ferdinandi Regis, qui ad Lusitaniam armorum vi occupandam, expulsis inde Mauris, animum adjecerat: brevi, ac uno victoriarum cursu captis Sena, Viseo, & Lameco (sic vocat) decrevit expugnare Conimbriam, maiorem, & munitiorem Urbem. Erat Urbs illa in corde Regni sita, ad Mundæ fluvij ripam, collibus hinc, inde modicè assurgentibus coronata, muris firmissimis cincta, vetusta valdè, & inexpugnabili arce, quinis angulis structuræ mirabilis permunita, ab Hercule, ut ferunt, illac, extincto Gerione, transeunte, extructa. Hujus potiundæ Urbis desiderio ardebat Rex Ferdinandus: ad petendum ergo, scribit Ximenius, cæleste subsidium Ecclesiam Sancti Jacobi in Compostella visitavit, & imploravit per triduum divinæ auxilium maiestatis; Beati Apostoli oraculis confortatus contra Conimbriam exercitũ congregavit; ubi fixis tentorijs circumquaque machinas, & castra lignea elevavit; subdit paulò post: *Christianis viriliter insistentibus, & machinis undique muros quassantibus auxilio Dei, & Beati Jacobi interventu, murus irrumpitur Civitatis; quo viso Arabes consternati Civitatem, & opes Ferdinando Principi obtulerunt pro vita, tantummodò supplicantes; quod Regis clementia acceptavit, & die Dominica, hora tertia invicto Principi Civitatis dominium reddiderunt.* Subjungit: *Illo ipso die apparuisse Jacobum cuidam peregrino Compostellæ equo pernici vectũ, & aureis armis conspicuum Christianis Conimbriam oppugnantibus opitulantem, Maurosque defensores Urbis, pavore divinitus injecto, ad deditionem compellentem: quod peregrinus Compostellanis Civibus visum statim narravit. Paucis post diebus nuntius Compostellam pervenit, à quo rescitum, ita se rem prorsùs habuisse, ac peregrinus narraverat; expugnata ea ipsa, quam is assignaverat, die, Urbe Conimbria, & Ferdinandi Regis imperio adjecta.*

Roderic. Ximen. in Histor. de reb. Hisp. l. 6. c. 11.

Ægid. Gonçal. de Avila in Thesaur. Eccl. Castell. tom. 1. cap. 19.

Scitu verò dignum est Hispanicam gentem seculo illo rudi, sed aureo, & sincero solitam esse Jacobum *militem* appellare, ut illius erga gentiles, & clientes suos studium, fidemque probaret, ut pote qui non detrectabat munus militiæ, sed

cum cæteris quasi commilito sub signis merebat, & pugnabat. Quare, ut scribit Mariana, tempore Ramiri Regis, cui in eo quod proximè descripsimus, prælio militarem operam navavit, sancitum fuit, ut hostium spolijs dividundis, lege in omne tempus latâ: Jacobus Apostolus pro uno milite esset. Rem miram! eò venisse Jacobum Hispaniæ Parentem, ac Patronum, ut inter Gregarios milites conseretur. Cæterùm amorem cultu, & obsequio compensarunt Hispani, nam illi se vectigales fecerunt, & in ejus fidem, & clientelam à tot jam seculis summa animorum concordiâ, se dederunt. Pluribus supersedeo, ne sim lectoribus molestus; levi tantùm calamo præstringo Ramirum Regem (qui Normannos, invictum genus hominum devicit, & septuaginta illorum naves, Apostolo favente, combussit): Ramirum Secundum, Ferdinandum Gonçales Castellæ Comitem, Ferdinandum Magnum, Rodericum Dias de Bivar, cōmuni sermone dictum *El grân Cid* Ruy Dias, Alphonsum VII. Ferdinandum II. Alphonsum VIII. Ferdinandum III. Alphonsum Sapientem Jacobi maximè studiosos fuisse: Victorias etiam apud Giennium, Illiberim, Compostellam; Maioricam Insulam, Alenquerium, & alibi, Jacobi auxilio comparatas, quorum Catalogum texit Joannes Tamaius Salasar tomo 4. sui Hispanici Martyrologij ad diem 25. Julij Sancto Jacobo sacram. Nonnullas referunt Michael Erze, Michael Marques, Rades de Andrada, Augustinus Marinus, Maurus Castellæ, Gregorius Lopes Madeira, Euseb us Nieremberg, Gaspar Sanches, Antonius Leuter, Lucas Tudensis, Fr. Franciscus de Macedo, & plures alij, tum nostrates, tum externi Scriptores.

Unam, aut alteram in utraque ad Orientem, & Occidentem Solem India referre officij mei esse dûco, ut Jacobi tutelam, & patrocinium erga suos clienres in ijs etiam remotissimis regionibus nostris Commentariolis illustremus. Mexicanum Regnum in America Deiparæ Virginis ope, & Sancti Jacobi Apostoli, quà vi, qua industria subjecit Hispano Regi Ferdinandus Cortesius, clarissimus in Orbe novo Imperator. Nec semel pro suis pugnare visus, egregij bellatoris more, Jacobus, atque in medio ardore certaminis in aciem prodire, cum hostibus manum conserere, eosque in fugam vertere, ac penitùs debellare, seque *Boanergem*, idest *Filium tonitrui* exhibere: hac bellandi ratione usus Cortesius Mexicum, Urbem amplissimam à se ante occupatam cōtra Cives,

Euseb. Nieremb. in Troph. Mar. lib. 2. cap. 29.

Illescas in Hist. Pontific. tom. 2. c. 24.

& incolas numero propè infinitos tutatus est, qui sumptis in Hispanos armis rebellaverant. Fassi sunt hostes ipsi, confecto jam feliciter prælio, à quadam miræ pulchritudinis Virgine, & Cataphracto equite sanguinei coloris Cruce insignito, armisque aureis fulgurante, victos se esse, ac profligatos. *Bernard. Dias in Histor. Mexican. Expugnat l. 1. c. 93.*

In Peruana etiam expeditione Franciscus Piçarrus centum quinquaginta militibus Hispanis stipatus Incam nomine Mançum Tyrannum ductis Barbarorũ millibus comitatum, ac intra ipsam Cuscum Urbẽ adversus Hispanos ferro, flammisque grassantem, continuata per dies quindecim pugna, armorum vi repressit primum, deinde acie superatum ab Urbe exegit, multis Peruanorum millibus interemptis. In ipso prælij ardore spectandam se præbuit Virgo Deipara, Jesum Filiolum sinistro brachio amplexa, dextera verò manu in oculos hostium pulverem injiciens, ne viderent milites Hispanos, à quibus interim illi certis ad necem ictibus petebantur. Jacobus etiam Apostolus niveo vectus equo visus est, militari galea, & thorace armatus, fulmineum rotare gladium, & magnam Barbarorum stragem edere. *Euseb. Nier. lib. 2. Troph. Mar. c. 3. Garcilassus Inca to. 2. Hist. Peruan. l. 2. c. 24 & 25.*

Ab Occidente in Orientem transeamus: Goa Urbs florentissima Lusitanici nunc Proregis sedes, firmo quanquàm munita præsidio bellatorum, & omni bellico apparatu instructa esset, à magno Alphonso Albuquercio, Jacobi auspicijs, expugnata fuit. Malaca item ulterioris Indiæ Metropolis, & Armusia celeberrimum ad sinum Persicum Emporium bis Albuquercij armis captæ, & Lusitanorum præsidijs munitæ, Jacobi Apostoli patrocinium erga Lusitanam gentem confirmarunt: Albuquercius quippè Sancti Jacobi miles erat, Cruce illius rubra gladij speciem referẽte armatus in aciem prodire solitus; nec nisi imploratò illius auxilio, & nomine invocato adversùs Fidei, & Religionis hostes bella gerere; ijsq; usus armis urbes cepit, expugnavit arces, regna subegit, Indiam terrore, orbemsui nominis famâ implevit: atque ut omnibus palàm faceret Indicas de Fidei hostibus victorias, Jacobi auxilio partas esse, grati animi causâ dono misit ad Compostellanum illius templum magni pretij de expugnatis Urbibus, gentibusque devictis spolia, & Barbaræ opulentiæ ornamenta. *Joan. Barrius. Maffeius de reb. Indic. Ludov. de Lacerda de Excellent. Celest. Spiru. c. 24 p. 243. Albuquerc. commentar.*

Alphonsus prætereà Congi Rex propè Angolam in Æthiopia infra Ægyptum Lusitanorum armis magnâ ex parte sub- *Augusl. Mannus Select. Hist. Vlter. Indiæ c. 187.*

Joan. Petr. Maffeius S. I. de reb. Indic.

actam, recens ad Christi Fidem conversus à Fratre Ethnico, Imperij æmulo, & avitæ superstitionis fautore, bello petitus est: ille humano destitutus auxilio divinum à Superis imploravit; suisque exiguo licet numero, Lusitanorum more, prælium inituris, Sancti Jacobi nomen tesseram dedit, & vincendi fiduciam in uno Deo, ejusque Apostolo collocavit. Commissa pugna, affuere de cælo acies militares Jacobea Cruce distinctæ, fulmineis armatæ gladijs, & luce purissimâ circumfusæ, quarum aspectu territi hostes terga verterunt; Alphonsus incruenta potitus victoria, Deo, & Jacobo, uti par erat, grates egit. Coronidem his imponat Philipus IV. Hispaniæ Rex pijssimus, qui signa militaria duodecim in prælio ad Nordlingam Suecis hostibus erepta misit ad Augustinum Spinulam S. R. E. Cardinalem, Archiepiscopum Compostellæ, ut ea suo nomine offerret, dicaretque Sancto Jacobo Apostolo Hispaniarum Patrono, cujus ope victoriam à Catholicis de Hæreticis hostibus partam fuisse credebat. Cardinalis, ut hujus Regij muneris perpetua extaret memoria, illicò sancivit, ut in posterùm certa die singulis annis solemni ritu sacrum fieret, & publica omnium ordinum supplicatio in gratiarum actionem.

Ægid. Gonçal. Avila in Theatr. Eccl. S. Jacobi pag. 125.

Illud ad hujus opellæ calcem advertere operæ pretium duxi: non nullos esse Authores Gallos qui affirmant, habere se Tolosæ in Basilica Sancti Saturnini corpus Sancti Jacobi maioris Apostoli: Spondanus ita scribit ad Annum Christi 48. num. 4. *Quod verò attinet ad corpus Apostoli gloriatur Tolosa nostra de possessione illius, aut certè magnæ partis: nec quæ adversùs hanc assertionem protulit unus ex recentioribus Historicis Hispanis (nempe Maurus Castellæ Ferrer in Historia Sancti Jacobi) ejusmodi sunt, ut id negent: aiunt quidem illa esse Compostellæ corpus Sancti Jacobi, sed non dicunt esse integrum.* Liberiùs loquitur Andreas Saussaius in suo Martyrologio Gallicano ad diem 11. Junij; affirmat enim Sancti Barnabæ corpus Tolosæ quiescere in Basilica Sancti Saturnini cum sacris aliorũ quinque Apostolorum integris exuvijs; ij sunt Apostoli, quos ipse enumerat die 28. Februarij hoc ordine, *Simonis, & Judæ, Philippi, utriusque Jacobi, & Barnabæ*, à Carolo Magno Imperatore in eam Urbem advectas exuvias, & in celebri Sancti Saturnini templo repositas. In quo Saussaius à viris pijs, & doctis meritò reprehenditur, cùm in unam Galliæ Urbem conjiciat

Henric. Spondanus.

Andr. Saussai. in Martyr. Gallican.

jiciat integras tot Apostolorum exuvias, nec minimam ex ijs particulam Romæ, alijsve Orbis Catholici Urbibus colendam, ac possidendam relinquat: & sibi ipsi contrarius videtur in eodem Martyrologio ad diem 25. Julij, & 25. Martij ubi tradit, *partem corporis Sancti Jacobi Compostellæ*, *partem asservari Tolosæ*; igitur non *Integras exuvias*, uti loco supracitato scripserat.

Cæterùm universus penè Orbis Christianus certò credit Sancti Jacobi Majoris Apostoli corpus esse Compostellæ, quæ propterea mutato jam in melius nomine *Sancti Jacobi*, seu *Santiago* vulgari apud Hispanos vocabulo appellatur: cùm id antiqua, & constanti inter Hispanos traditione probetur, & innumeris gravissimorum Authorum testimonijs, Breviarijs, Concilijs, Summorum Pontificum decretis, & amplissimis privilegijs Compostellanæ Ecclesiæ concessis cõfirmetur, præsertim Callisti II. Urbani II. Paschalis II. qui septem in ea Presbyteros Cardinales instituit, quibus tantùm liceret rem divinam facere in Altari Sancti Apostoli. *Ægid. Gonçal. de Avila in Theatro Eccl. Castell. p. 23.* Ab Ecclesia Romana omnium aliarum Matre, ac Magistra votum peregrinationis ad Sanctum Jacobum in Compostella inter quinque illa celebriora, & sacratiora numeratur, quæ non nisi à Summo Pontifice, vel ab alio de ejus facultate speciali dispensari valent, & commutari. Id ipsum confirmant peregrinationes solemnes eò ab omnium Christiani Orbis nationum viris, ac fœminis, maximè Gallis, susceptæ: inter quas excellit illa, quam instituit Sancta Elisabetha Portugalliæ Regina, quæ omnia, & interna templi, & circumvicina loca pia quadam curiositate lustravit, & in omnibus suæ reliquit impressa religionis, & munificentiæ vestigia. *Anton. Vasconcell. S. 1. in Ancephal. S. Elisabeth. Regin. Portugalliæ.* Beata etiam Birgitta vidua ab extrema Septẽtrionis regione, pietatis studio ducta, Compostellam venit ut sacrum Jacobi corpus inviseret, & adoraret. *Fr. Franc. de Maced. in Diatriba de Adventu S. Jacobi in Hisp. c. 18. p. 181.* Ipse Carolus Magnus Imperator, & Rex Francorum solemni Lege sancivit, ut omnes Hispaniæ, & Gallæciæ Præsules Compostellano Archiepiscopo obedirent, certamque pecuniæ summam singulis annis ejusdem Ecclesiæ penderent. Alijque post ipsum Reges Galliæ Caroli vestigijs insistentes, missis eò magni pretij muneribus fassi sunt Jacobi corpus esse Cõpostellæ in Gallæcia, non in Gallia Tolosæ. Ipse Carolus Magnus Sancti Jacobi Apostoli Ædem in Gallæci celebrem

invisit, eamque ditavit amplissimis prædijs, & donarijs Anno Christi 817. Enituit inter omnes pietate, & munificentia Carolus Calvus, & Ludovicus XI. qui duas inauditæ magnitudinis, & immensi ponderis campanas æteas fundi jussit, & turrim idoneam simul ædificari præcepit Compostellæ, in qua illæ collocatentur, sonoque ipso excitarent Gallos ad fidem Hispanis, non Tolosatibus, adhibendam. Id planè confirmare videtur sacellum in eadem Sancti Jacobi Ecclesia extructum de *Francia* vulgò dictum Regum Christianissimorum eleemosynis, & expensis. Philippus item cognomento Bonus, Dux Burgundiæ, Joannes Brenna Rex Hierosolymæ, Odoardus Angliæ Princeps, Maximilianus Archidux, Maximiliani Imperatoris Filius, Sigfridus Moguntinus Archiepiscopus, & Imperatoris elector, alijque magno numero diversarum gẽtium Principes Compostellam religionis causâ venerunt, qui traditam à nobis sententiam adventu suo comprobarunt, & certam, ac indubitatam apud omnes reddiderunt.

Quod igitur Spondanus, & Saussaius scribunt, vendicare sibi Tolosates Sancti Jacobi corpus, & sacras aliorum quinque Apostolorum exuvias, nullatenùs, ac ex integro sustineri potest; sustinebitur autem ea ratione, ut cum pars aliqua ibi sit à Carolo Magno collocata, ex parte totum per Synedochem intelligatur; atque suo modo verum erit tot Apostolorum corpora in ea Sancti Saturnini Basilica quiescere; nam Romani certò credunt habere apud se corpora Sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ in Basilica Vaticana, in qua nos per viginti annos Apostolici Pænitentiarij munus egimus, & SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi Minoris in Basilica duodecim Apostolorum; Sancti etiam Bartholomæi in Ecclesia sui nominis in Insula Tybetina: Sancti Barnabæ Apostoli corpus apud se habere putant Mediolanẽses in templo Sanctorum MM. Naboris, & Felicis, nosque idoneis id probavimus rationibus cùm de Divis illius Urbis Tutelaribus tractavimus.

Breviar. Mediolan. Joan. Petrus Bricell. in dissert. Mar. c. 2. Ferdin. Vghel. to. 4. Ital. sacr. sub Archiep. Mediolan.

Illud pro certo habemus S. Iacobum Apostolum Hispaniarum esse Patronum; ipsius verò corpus in Compostellana Gallæciæ Urbe asservari: consulat curiosus Lector Authores Hispanos, qui egregios de hac re Commentarios ediderunt, in quibus multa scitu digna inveniet.

Si-

Silentio tandem non committam Sáctissimam Virginem Teresiam, quam Summus Pontifex Urbanus VIII. anno 1627. Hispanæ gentis Patronis adnumeravit die 21. Iulij, petente Philippo Rege hujus nominis IV. Rationes, quæ Pontificem impulerunt, ut illam *Patronæ* titulo afficeret, fuerunt eximiæ ejusdem virtutes; illustria miracula; innumera in Hispanam gentem beneficia; Familia Carmelitarum excalceatorum; divino favente Numine, ab eadem Virgine excitata. Plura referrem, si idoneos ad manum in Lusitania libros haberem.

LUSITANIA.

NULLUM in orbe Catholico stēma Lusitano illustrius, aut sacratius reperitur. Scutum Lusitania præfert quinque Domini nostri Iesu Christi Vulneribus interpunctum, cum quinque ac vicenis numis decussatim expictis, areâ ex argento exceptis: quam ambit prætexta punicea septem Castellis aureis turrita, Algarbici Regni Insignibus ab Alphonso hujus nominis Tertio adjectis. Illud Servator humani generis stemma, Cruci affixus, ac Cælo delapsus, donavit Alphonso Primo Lusitani Regni Authori, parentique, prælium in Campo Orichij adornáti adversus quinque Maurorum Reges in provincia Transtagana, eoque accepto victoriæ signo, cōmissâ pugnâ, hostes fudit, fugavitque, magnâ edita eorum strage, ut fusiùs suo loco dicetur. Nonnulli aliarum gentium Scriptores Ioannem Marianam elegantem Rerum Hispanarum Historicum secuti, litteris prodiderunt Lusitaniæ Insignia esse, *Scuta quinque, ob quinque Reges in Campo Orichiensi debellatos*: cæterùm ijs, quæ diximus, certam fidem faciunt antiqua, & constans apud Lusitanos traditio, à maioribus ad minores transmissa; non pauci codices m. s. s. ipsâ antiquitate venerabiles, qui in tabularijs Cænobiorum S. Crucis Conimbricensis, & Alcobaciensis asservantur; multorum prætereà Authorum testimonia, qui animo à partium studijs alieno de Lusitaniæ rebus scripserunt. Et quidem diù est, quòd in Mariana fidem in describendis Lusitanorum rebus desiderabam: idque alij ante me magni nominis Authores monuerunt. Non amo vitia hominum detegere, cùm simus suaptè natura ijs obnoxij; sed cum oportet illis detectis veritatem aperire, ac tueri, temperare mihi nec possum, nec debeo, quin ea religiosè prodam, non ipsorum odio, sed veritatis studio ductus. Parcant mihi Marianarum partium fautores. Ijs lectorum

Silvest. Petrasancta S.I. in Tesseris Gētilitijs.
Emmanuel de Faria Sousa in Epit. Reg. Lusit.
Anton. Vasconcell. Societ. J. in Anacephal. Reg. Lusitan.
Francisc. de Macedo in Propug. Lusit. Gallico part. 1.

Petr. Mariz Dialogo 2. de varia Histor. c. 4. & c. 5.

Joan. Marian. S. I. de reb. Hispan.

rum oculis initio hujus lucubratiunculæ objectis, gradum facio ad recensendos Divos Lusitanæ gentis Tutelares: quatuor ij sunt, Beatissima Virgo Maria, Sãctus Iacobus Maior Apostolus, Sanctus Georgius, & S. Sebastianus, insignes Christi Martyres; ille belli, hic pestiferæ contagionis tempore. De singulis nonnulla scitu digna referemus.

De Beatissima Dei Genitrice Maria.

ALphonsus Primus post fractas assiduis prælijs Maurorum vires,& vindicatam armis ulteriorem Lusitaniam, quam Minius, Durius, & Munda fluvij intersecant, sedem Regiam Conimbricæ fixit (Urbs est in corde Regni sita) ut inde per vicinas Maurorum regiones Christiana circumferret arma cum signo Crucis conjuncta; atque ut cuncta nostrorum forent prona victorijs, Patronam sibi, suisque delegit S. Mariam de Claravalle, ea tempestate miraculorũ fama in Burgundia celebrẽ,& monachorũ Cœnobio religione præstantium, externis etiam gentibus,venerabilem. Accessit, quòd Divum Bernardum Claraevallis Abbatem consanguinitatis vinculo contingebat: (Henricus enim Pater Alphonsi gente Burgundus erat, Renati Ducis filius, & Roberti Galliæ Regis nepos): sperabat enim fore ut B. Virginis auxilio nixus, præclaras de Saracenis hostibus, quibus cum perpetuò bella gerebat, victorias obtineret; & oppressam servitutis jugo Provinciam,armorum vi,in libertatem assereret. Lusitaniam igitur, se ipsum, ac Successores suos Sanctæ Mariæ de Claravalle tutelæ,patrocinioque commisit. Sancita etiam ad posteros lege solemni, ut ij singulis annis eidem S. Mariæ, religiosi ergo obsequij, penderent quinquaginta auri optimi Marabitinos: creata lex est in Urbe Lamecensi iv. Kalendas Maij, Anno Christi 1142. quam curiosus Lector inveniet cõceptis verbis descriptam apud Brandanos, Regios Lusitaniæ Historicos, apud Eusebium Nieremberg S. I. Chrysostomum Henriques, & Hippolytum Marraccium, S. Mariæ Lucensis Presbyterum. Constitura igitur hujusmodi pensione, Alphõsus, Deiparæ Regnum devinxit: nec quicquam sibi detraxit de Imperio, sed magis auxit religione; Ferdinandum, & Alphonsum ipsius avum, atavumque Reges Castellæ imitatus; qui Regnum Hispaniæ Monasterio Cluniacensi in Burgũdia, pro-

Scriptores Lusitani.

Chrys. Henriq. in fascic. Cisterc. l. 1. di. 4. c. 12. Hippol. Marrac. lib. de Reg. Marian. Fr. Frãc. de Maced. in Propugn. Lusit. Gallic. part. 1. p. 90. Vasconcell. S. 1. in Alphons. hujus nominis Primo.

promissa in singulos annos certa auri pensione addixerunt; ut nemo eum, nec militari virtute, nec religiosa pietate in Beatam Virginem, superaret.

Brevi interjecto tempore, Alphõsus suæ in Deiparam munificentiæ,& clientelæ fructum tulit: & Cæli Regina sui erga Lusitanos amoris, eorumque Regem Alphonsum egregium patrocinij dedit specimen: Scalabim quippe, nobile, & opulentum ad Tagi ripam oppidum, arce munitissima, fluvio sublabenti imposita, inexpugnabile, Rex fortissimus Lusitanis militibus non ampliùs, quàm centum quinquaginta aggressus, vovit, si illa potiri cõtingeret, quidquid à summo vicini montis cacumine oculorum dejectu designaret, totum id Claravallensis Ordinis, quod agitabat animo, S. Mariæ Cænobio Alcobaciensi dono daturum: affuit voto Deipara: capta Scalabis: pulsi Mauri: extructum Cænobium: amplissimi reditus, qui ad alendos mille Monachos sufficerent, assignati, quorum muneris esset Claravallensium regulis, ac more vivere; & perennibus diu, noctuque Dei, ac Deiparæ laudibus vacare: quemadmodùm factum legimus Constantinopoli in Studij clarissimi viri Monasterio, Divo Joanni Baptistæ dicato, quod propterea *Monachorum Insomnium* nomen habuit.

Anton. Vasconcell. S.I. in Alphons. I.

C. Baron. to.6. Ann. Eccl. pag. 244.

Transijt ad posteros Alphonsi Primi in Deiparam amor, & cultus, commissumque ipsius tutelæ Regnum, multorum decursu annorum, non minùs opibus, quàm armis floruit. Sub Ioanne tamen hujus nominis Primo, quem ob rerum gestarum famam *Magnum* appellarunt, manifestiùs se prodidit Beatissimæ Virginis erga suos clientes patrocinium: in ipso quippe Assumptionis pervigilio Anno Christi 1386. inito cõtra Castellanos ad Algibarrotam prælio memorabili, in quo de summa rerum agebatur, victus Ioannes Rex Castellæ, victor Ioannes evasit Rex Lusitaniæ: eo ipso in loco, ubi pugnatum est, templum Deiparæ positum à Nonio Alvarez Pereria, supremo Lusitanorum Duce, Brigantinæ Domûs Authore, ad hanc usque diem visitur partæ victoriæ monumentum. Debellatis hostibus, Reipublicæ fluctuantis motus cõpositi; Regis dignitas confirmata, & ad successores transmissa. Liberato jam, & constituto Regno, Ioannes Beatæ Virginis auspicijs, in Africam ex Europa expeditionem suscepit, ut Septam Mauritaniæ Tingitanæ Arcem, Urbemque insi-

Sousa in Epit. sub Joanne I.
Ludov. Morer. in Onom. univers. 1385.
Vascõcel. Anaceph. de Joan. I. Rege Lusit.
Mariz Dialogo 4. Alij 1385.
Chronic. Lusitan. Joan. I.

Fr. Frãc. de Maced. in Propugn. part. 1,

gnem, Gaditano freto impoſitam, atmis expugnaret; & clavem illam Maurici Imperij hoſti eriperet, qua ille uſus aditum ſibi fecerat ad Hiſpaniam occupādam. Ita primus omnium Regum Hiſpanorum claſſem eduxit, & maria ſulcavit. Ferunt, eum à Deipara Virgine gladium per ſpeciem accepiſſe, quo pugnare, Angelis hortantibus, jubebatur: cujus rei argumento eſt, quod ante pugnam ſolitus ſemper ſit, quibus indui debebat armis, ea ante aram B. Virginis ponere, ac inde quaſi ab ipſâ ſibi donata ſumere, iiſque tanquam ſacris, corpus munire. Circa feſtum Marianæ in Cælum Aſſumptionis multarum navium claſſe in Africam, parùm licet ſecundis ventis, applicuit: deſcenſione facta, Septam ſummâ vi aggreſſus, expugnavit: nec expugnata ſolùm, ſed retenta, & valido militum præſidio firmata fuit, ut Maurorùm in poſterùm, eo veluti fræno injecto, audaciam reprimeret, & trajiciendi in adverſam Hiſpaniam navibus facultatem adimeret.

Annal. Luſitaniæ. Zurara 3.p.Chron. Joan.I.Reg. Luſit. cap.16.

In pervigilio etiam Aſſumptæ Dei Genitricis Rex pijſſimus migravit in Cælum Anno redempti Orbis 1448. & in ejuſdem templo magnificè à ſe extructo de *Victoria*, ſeu *Batalha* dicto, ſepeliri voluit, ut ſubditis ſibi populis conſtaret, quanti faceret Deiparæ patrocinium, ad quod ſe receperat vivus; quod mortuus etiam apud Deum ſolicitè ambire cupiebat.

Vaſcōcel. in Joan. I. Mariz dialogo 4. anno 1433. Rodericus de Pina cap.1. part.3. Ludov. Morer. in Onomaſt univerſali anno 1433. cum Marian. Nonio Turquet.

Henricus Infans Ioannis filius, militari virtute, & Chriſtianâ pietate clarus, Mathematicarum diſciplinarum ſtudio deditus, & Sāctiſſimæ Dei Matris in paucis amans, Orientis maria, ignotas, ac peregrinas diverſarum gentium regiones per ſuos Duces explorare auſus, Cæleſti etiam ad id inſtinctu motus, Anno ſalutis humanæ 1410. naves aliquot, omni bellico apparatu inſtructas Oceani vaſtitati, periculiſque commiſit, Cæli Reginam precatus, ut cæptis adeſſe vellet, & nunquàm ante tentatam à mortalibus expeditionem materna foveret cura, & Patronæ auxilio promoveret: affuit votis Henrici Deipara: Navarchi ſingulis ferè annis ad remotiora Africæ littora, Inſulaſque Atlantico ſparſas mari navigare, pergentes, aduſque Serræ Leenæ (ſic vocant) Promontorium penetrarunt, & Fidei lucem in vaſtas illas, & alra ſepultas barbarie nationes intulerunt. Continuatus felici ſub Mariæ ſidere, navigandi curſus ad annum 1460. quo Henricus, viâ in efferas, ac varias munitâ gentes, templiſque multis in locis in Dei honorem erectis, in ipſo etiam Ulyſſipponis portûs aditu

Ozor. de reb. Emmanuel. lib.1. Joan. Petr. Maffei. S.1 rer. Indicar. l.1. Joan. Barrius dec.1. l.1.c.3. Petr. Jarricus de reb. Ind.

Anton. Spinel. S. 1. de Templo B.M.V. c.35. §.38.

aditu Æde extructâ, unde naves in Indiam, aliasque ultra mare terras solvere solent, fato concessit.

Hippolyt. Marrac. de Regib. Marian.

Alphonsus V. cum hostem in Hispania non haberet, cum quo pugnaret, trecentarum, ut ferunt, navium classe, qua triginta bellatorum millia vehebantur, in Africam trajecit, Arzillamque Mauritaniæ Tingitanæ Urbem, Patronæ Virginis auxilio fretus cepit; primarium templum Christianis cæremonijs expiatum, Assumptæ in Cælum Virginis titulo, dicavit; quod partæ ipsius ope victoriæ memoriam aleret sempiternam; & Religionis Catholicæ de perfidia Mahometis trophæum existeret gloriosum. Vovit ante, si Urbem expugnaret, *Divæ Virgini ab Spineto* (sic dicunt insigne prope Eboram in provincia Transtagana templum), è solido argento equum, cui argenteus item Rex armatus insideret. Arzilla captâ, votum implevit. Hujus bellicæ tempestatis, quæ primo in proximam Arzillam impetu incubuit, terrore perculsam Tingim provinciæ Metropolim, deseruere incolæ: habitatoribus vacuam occupavit Alphonsus, & bellatoribus Christianis implevit, ut inde in Africæ interiora Lusitana inferret arma, eamque sacrosanctæ Crucis vexillo, & Ecclesiæ Romanæ Imperio subjugaret.

Ant. Vasconcel. S. J. in Alphons. V. Reg. Lusit.

Chron. Alphons. V.

Maced. in Propugnac. Lusit. part. 1.

Emmanuel Rex, cognomento *Felix*, par Alphonso pietate fuit, felicitate superior, Lusitanæ gentis erga Patronam Virginem studium, & clientelam sua authoritate firmavit, & proprio illustravit exemplo, Henricum Infantem imitatus, Indicam navigationem, cæterasque in Africam, Asiam, & Americam expeditiones, Mariæ nomine, auspicijsque promovit, easque ad optatum finem Mariano favore perduxit, non sine ingenti Lusitani nominis gloria, & ingenti animarum fructu. Ædem prætereà ab Henrico Principe inchoatam, prope Tagi ostia miram in amplitudinem extulit: auxitque Joannes III. ejus filius, & successor, ut cecinit his versibus Resendius:

Hieron. Ozorius de reb. Emmanuel.

Maffeius Rer. Indic. l. 2.

Barrius dec. 1. l. 4. c. 12.

Andr. Resendius.

Vasta mole sacrum divinæ in littore Matri
Rex posuit Regum maximus Emmanuel:
Auxit opes hæres regni, & pietatis: uterque
Structurâ certant, religione pares.

Alijs, brevitatis causa, omissis Lusitaniæ Regibus, ad ipsam Lusitanam gentem calamum convertamus: de qua disertis verbis testantur Antonius Balinghemius, Eusebius Nierem-

Balingh. in Ephem. Martyr. ad diem 15. Augusti.
Euseb. Nieremb. de Troph. Marianis.
Bencius in litter. Annuis S. I. ann. 1590.
Spinell. de Exẽplis, & miraculis B. M. Virg.

bergius, Franciscus Bencius S. I. Beatissimam Virginem Cæli Reginam, habiram semper ab illa fuisse tum domi, tum foris Patronam: *Quæ prosperè*, inquit Bencius, *evenerunt, Deiparæ Virgini accepta referunt: huic nuncupant vota ad bellum profecturi: huc redeunt vota persolventes. Quin & ipsam Dei Matris imaginem religiosè ferunt in castra. Adnotarunt dies omnes, qui consecrati Virgini, lætos fuisse victoria: itaque nunquàm tentare prælium, nisi uno aliquo ex illis diebus, constitutum habent: aliter existimare piaculum est.*

Georg. Cardos. Lusitan. in litter. ad me datis.
Fr. Emmanuel da Esper. tom. 2. Hist. Minorũ cap. 11. & c. 18.
In arce Leiriæ, & in Convent. Minor. visitur imago B. M. Annuntiatæ ab Angelo, à tempore Philippæ Lancastriæ Reginæ conjugis Joannis I.
Concil. Toletan. X.
Acta Concil. Tol. X.
Petr. de Ribaden. S. I. in Flor. SS. die 8. Decembr.
Alvar. Gomes in Vita Francisc. Ximenes Arch. Tol. lib. 8.
Marrac. de Reg. Mar. pag. 269.

Illam potissimùm sub Invocationibus Annuntiatæ ab Angelo, & in Cælum Assumptæ Virginis Tutelarem colere, & habere soliti erant Maiores nostri: Annuntiationis quippe symbolum passim reperiebatur depictum in vitreis antiquorum templorum fenestris; parietibusque expressum, & in locis magis conspicuis: argumento, Deiparam ab Angelo salutatam præcipuo honore cultam ab antiquis Lusitanis, Regnique Patronum ab eisdem fuisse delectam. Is fortasse titulus initium traxit à tempore Concilij Toletani X. cui interfuit Potamius Archiepiscopus Bracharensis; in illo quippe, petente Recesvintho, pijssimo Hispaniæ Rege, decrevere cõmuni consensu Patres, ut festum Annuntiationis Virgineæ diebus octo ante Natalem Domini diem per universam Hispaniam solemni ritu perageretur; ratio verò transferendi hujusmodi festum in illam diem fuit, ut quietiùs, tum & religiosiùs à Fidelibus Hispanis celebraretur, cũ nullis id, aut Dominicæ Passionis, aut Resurrectionis memorijs, ut frequenter evenire solet, cum incidit in diem 25. Martij, impeditum esset.

Verosimilius tamen est, hunc ab Alphonsi Primi temporibus morem inter Lusitanos suam traxisse originem, & ab Angelo salutatam Virginem Regni florentissimi Patronam electam esse: in id enim maximè Deiparæ mysterium singulari pietatis sensu ferebatur Alphonsus; nec alio, quàm Marianæ Annuntiationis die pendi voluit singulis annis Sanctæ Mariæ de Claravalle sacrum illud vectigal quinquaginta marabetinorum aureorum, de quo supra mentionem fecimus; quod apud Lusitanos festum præ cæteris Deiparæ Virginis illustrius esset, ac religiosius; ipsaque Annuntiata ab Genio Cælesti Virgo Lusitanæ gentis, Regnique nuper erecti singularis Advocata, & pijssima haberetur Protectrix. Hæc tamen

in tanta rerum obscuritate, & temporum vetustate conjectádo magis, quàm affirmando scribimus, quorum censuram peritorum judicio libentissimè committimus.

Jam verò Assumptæ in Cælum Virginis patrocinio subesse Lusitaniam, eoque anteactis seculis magnopere gloriari solitam, certius est quàm ut probatione indigeat: illo videlicet nomine, quòd ipsius pervigilium, vel ipsemet dies festus Lusitanis semper felix, faustusque fuisset, ut illorum Annales evolventi facilè constabit: ab eo præsertim tempore, quo Joannes I. multorum causâ defectionis ad hostes, Lusitaniam in fide nutantem, partâ demum memorabili de Joanne I. Rege Castellæ ad Algiba rrotam Victoria, stabilivit, & sceptrum sibi, ac posteris vindicatum armis confirmavit, & alter Lusitanici Regni Author, & Vindex est habitus: quemadmodum Alphonsus Primus, omnium penè gentium suffragijs, & gratulationibus Rex salutatus. Multiplicatis deinde cursu têporis, circa Assumptionis celebritatem Lusitanorum victorijs, in Africa præsertìm, & in Orientis Solis India, longè illustrior evasit abeuntis in Cælum Tutela Virginis; & Lusitanæ in illam gentis cultus auctior, & memoria religiosior cæpit esse: in ipsius clientelam certatim dare nomina Reges, Urbesque; extrui passim templa: *Assumptionis* titulo omnes ad unam Cathedrales Ecclesiæ insigniri; ita ut ne unam quidem in Lusitania reperias, ducto à Bracharensi Ecclesia initio, quæ eo non sit titulo consecrata: In ultramarinis etiam regionibus, in Insulis per Oceanum mare sparsis, Lusitanorum Imperio subjectis, sacro *Assumptionis* nomine decorantur Ecclesiæ Episcopales ab antiquis Lusitaniæ Regibus erectæ, & opulentis redditibus instructæ: quò omnibus constaret, Deiparam in Cælum Assumptam Lusitanæ gentis, & Ecclesiæ Patronam esse, ac Tutelarem.

Chron. Joan. I.

Chron. Alphons. I

D. Roder. à Cunia Archiep. Vlyssippon.

Cardos. in Agiolog Lusit.

Ætate nostra hujusmodi titulus, honorque delatus est Sâctissimæ Dei Matri à Conceptione dictæ. Anno quippe salutis humanæ 1646. die 25. Martij illius Angelicæ Annuntiationi sacra, in publicis Regni Comitijs Ulyssipone coactis, Joannes hoc nomine IV. Rex pijssimus, cum sacri simul, & politici Ordinis viris principibus, solemni jurejurando fidem Beatæ Mariæ Virgini obstrinxit ad tuendam, colendamque pro viribus Immaculatam ipsius Conceptionem nulla prorsus originaria peccati labe fædatam: eamdem præterea, de com-

muni omnium Regni ordinum consensu; Lusitaniæ Patronam instituit, ac declaravit: sancita lege, ut vectigalis jure, & clientelæ titulo singulis annis Lusitania penderet Sanctissimæ Mariæ Virgini à Conceptione, quæ in nobili Villaviçosæ oppido augustissimam habet Ædem à Serenissimis Brigantiæ Ducibus extructam, numos aureos quinquaginta. Ad id verò solvendum Patronæ Virgini tributum, cudi statim monetam jussit Rex Serenissimus, expressa ex una facie Conceptæ Matris effigie, circumaddita inscriptione: *Sanctissima Dei Genitrix sine labe peccati originalis concepta*, ex altera quinque Christi Servatoris nostri plagis effigiatis, Lusitani Regni Insignibus. Hujusmodi regiæ pietatis obsequio, & eximio Christianæ Fidei argumento, satis prodidit religiosissimus Princeps cum commissis suæ ditioni populis, quàm sibi, suisque cordi esset altè impressus in B. Virginem cultus, amorque; quàm sibi gloriæ duceret, illius se clientem, & vectigalem, seu Dominæ, & Reginæ profiteri, eaque ratione ejusdē patrocinium, & favorem Lusitaniæ rebus, nec dum temporis cursu benè firmatis, sed continuis bellorum motibus concussis, promereri, ut eas suo vellet auxilio tueri, & patrocinio stabilire. Votorum compotes, non multis post annis Lusitani fuerunt, defuncto jam Joanne Rege, ipsius ope Virginis, cujus se vectigales, & clientes fecerunt.

Acta in Comitijs Lusit. Anno 1646.

Anno à Christo nato 1665. 17. Junij Marchio de Caracena delectus supremus belli Dux adversus Lusitanos ab Hispaniæ Rege suscepti, conflato ex varijs, & pugnacissimis totius Europæ nationibus exercitu, Villaviçosam, in qua Brigantini olim Duces parem ipsis Hispaniæ Regibus sedem posuerunt, circumsedit, eamque per dies aliquot totis viribus oppugnavit: irrito tamen conatu: oppidanis quippe adderat præsenti numine, & auxilio Sancta Maria de Conceptione, (sic vulgò dicunt) intra ipsas exigui Castelli angustias conclusa, cujus potissimùm templum situ eminens, ac proinde bombardarum ictibus magis expositum, grandium tormentorum globis Castellani petebant; oppidanos certè materno visa est studio fovere V. Deipara; ijs animos addere, oppidum tueri à periculis, à laboribus, ab excidio eripere; adeo ut cum pauci defensores essent, & assiduis à pugnacissimis hostium premerentur assultibus, strenuè tamen, invocato Cōceptionis Immaculatæ nomine, & sustinerent hostem, & lōge

arcerent, gravi semper ijs illato damno: nec semel cum arctiùs obsiderentur, foras erumperent, & hostium copias magna cæde afficerent: pugnante scilicet pro suis clientibus Deipara Virgine, cui paucis ante annis se vectigales reddiderat. Tenuit obsidio ad multos dies, donec Marchio de Marialva, lectissimis Ducum, & fortissimis Lusitanorum copijs stipatus ab Estremotio movit oppido, & suppetias venit obsessis; qui propitiato priùs per sacrificia, precesque Deo, & implorata Magnæ Matris ope, ejusque purissimæ Conceptionis titulo, seu tessera militari, bellatoribus assignata, hostes aggressus, copiarum numero, & loci editioris commoditate longè superiores, cruento admodum, & pleno discriminis prælio eos fudit, fugavitque: magna cædes fuit: plures, è primaria nobilitate, capti, & præclaris in bello muneribus jam defuncti: omnia simul tormenta cum militari apparatu, & impedimentis hosti erepta. Supremus copiarum Dux, conscenso protinùs equo valdè pernici, fuga sibi consuluit: locum à *Montibus claris* prope Villaviçosam, ubi pugnatum est, aggeres è terra immanes ab agricolis excitati ad condenda mortuorum corpora, Crucesque ligneæ ijs impositæ, & pyramis eminenti loco cum idonea inscriptione erecta, clarissimè testantur. Lusitani exercitûs Imperator tam insigni parta victoria, oppidũ triumphantis more invectus, templum à Conceptione edito in loco conspicuum, seu Capitolium adijt, militaribus cinctus copijs, ibique in genua flexus, illius precibus, ac patrocinio victoriam acceptam retulit; vota persolvit; quàm maximas potuit, accepti beneficij gratias egit: ac meritum *Patronæ* titulum, communi omnium gaudio, confirmavit. Et quod caput est, afflante Spiritûs Sancti aura, & Deipara auxiliante, paulò post inter utramque gentem, justis conditionibus, pax coaluit.

Lusitani igitur, & si Angelorum, hominumque Reginam diversis nominibus afficiant: illamque varijs, pro diversorum mysteriorum ratione, sacris titulis venerentur, innumeris ipsius interventu, à Deo beneficijs cumulati; uno tamen omnes, eodemque pietatis sensu, & consensu feruntur ad Marianam sibi gratiam comparandam, & favorem promerendum. Nullam certè, (ausim dicere) in universo Orbe Catholico gentem reperies Beatæ Mariæ Virginis Lusitanâ magis studiosam: nullam Matris dulcissimæ magis amantem: nullam,

quæ pluribus eam templis, facellis, ædibus, ac fodalitijs colat nullam, quæ maiori pietatis ftudio ubique tertatum Deiparæ nomen, cultumque promovere, ac illuftrare contendat. Si vellem facratum illius Ædium numerum inire, memoria deficeret, tempus deeffet: quæ enim in Lufitania Civitas reperitur, qui pagus, oppidumve; imò qui mons, ager, via, nemus, in quibus non invenias, aut facras Deiparæ domos, aut pofitas falté imagines vetufti cultus, & Mariani patrocinij teftes. Jacent quidem deftructæ Vrbes, oppidaque antiqua temporum curfu, injurijsque disjecta, aut Barbarorum furore fuisrunt ruinis alté fepulta; fed in ipfis oppidorum veftigijs, & rudetibus extant Virginis Ædes, & quandam fpirantes divinitatem Imagines; in ipfis vivit Mariæ memoria, cultusque viget nullo unquam tempore periturus. Ipfius laudes cives in Urbibus, in campis agricolæ, in agris ruftici, paftores in mõtibus, in cænobijs religiofi, in mari nautæ, in caftris milites, ubique ex omni genere, atque ætate mortales læti concelebrant: fub Deiparæ patrocinio degunt; fperantque fore ut habeant in morte folicitam apud Jefum filium Advocatam, quam, dum in vivis effent, clementiffimam habuere Patronam.

S. Iacobus Apoftolus.

Secundum à Deipara locum tenet S. Jacobus Maior Apoftolus: caufæ patrocinij fuerunt: quia is Hifpaniæ univerfæ, cujus pars cenfetur Lufitania, primarius exiftit Patronus: item quia innumera, illius precibus, à Deo beneficia obtinuerunt Lufitani, vigente præfertim anteactis feculis cõtra Saracenos bello: præterea quia prima Chriftianæ Fidei rudimenta didicere à S. Jacobo, Hifpanorum Apoftolo, & magiftro: rationi igitur, ac religioni confentaneum erat, ut quem primũ habuerant Fidei magiftrum, eumdem etiam fibi Patronum adfcifcerent. Nec obfcura præbuit fui patrocinij documenta Jacobus in ipfis ftatim furgentis Regni Lufitanici incunabulis, die 25. Julij fibi dicata Anno 1139. Alphonfus tum primùm Lufitaniæ Rex â militibus falutatus, innumerabiles Maurorum copias, nimiùm fexcenta millia peditum, equitumque ab Imperatore Ifmario in Campum Orichium eductas, divina magis, quàm humana virtute, (nam undecim tantum bellatorum millia fub fignis habebat) acie fuperavit. Apparuit Lufitanis pugnantibus Sanctus Jacobus equo generofo vectus, aureis inftructis armis, rubra Cruce diftinctis:

Marifius in Dialog. fub Alphonf. Reg. I.

Faria in Epitome.

Joan. Tamaius Salazar in Martyr. Hifp. die 25. Julij.

Petr. Marifius Dialogo fecundo. Ant. Vafconcel. S.J. Anaceph. de Alphonfo I.

eva-

evaginatum fulminis more visus à multis rotare gladium, & magnam edere Barbarorum stragem, seque *Boanergem*, idest *filium Tonitrui* in Christianorum favorem repræsentare: ejus ope, cæsi ad internecionem hostes; plenum cadaveribus cāpum, & latè stagnantem sanguine, reliquerunt. *Annal. Lusit. in Alphonso II.*

Iterum Alphonso II. Rege Lusitaniæ, duplex Frizonum, & aliarum gentium Borealium classis, quæ ad expeditionem sacram, Hierosolymas tendebat, divini adspirante Spiritûs aura, ad portum Ulyssiponis appulit, ibique vectores, dum commodam navigandi occasionem operiuntur, conjunxere cum incolis vires, animosque ad Salaciam oppugnandam, magni quondam nominis in provincia Transtagana Urbem; eam totis viribus aggressi, tandem expugnarunt; pulsisque inde Saracenis, valido Christianorum militum præsidio muniernut. Hujusmodi expeditionem sacram fecit belli causa, accessit Ulyssiponensis Episcopi præsentia, à quo ea est confecta, & consecrata, ut nonnulli Authores scribunt: visus præterea Cælo delapsus Jacobus humana specie augustior, radiantibus indutus armis, Lusitanis pugnantibus opem ferre, ijsque animos addere, ut acriùs oppugnarent Urbem, eamque in suam redigerent potestatem. Nec nisi præsenti illius ope tantum oppidum capi potuit; cum centum Barbarorum millia, quatuor auspicijs Regum, suppetias obsessis venerint; quibus cum acie pugnatum: anceps prælium fuit: sed haud dubia nostrorum victoria: nullus Regum vivus evasit: hostium triginta millia trucidata: oppidum victoriam secutum, & à nostris insessum, & permunitum. Tam illustris victoriæ memoriam Jacobi patrocinium obtinuit, & illius præsentia decoravit. *Tamaius Salasar in Martyr. Hispan. 25. Julij.* *Fr. Frāc. de Maced. in Propugnac. Lusit. pag. 91. part. 1.* *Marinus in Alphonso II.* *Cæsar. Heisterbach. in sua Hist. illustr. miracul. l. 8. c. 66.* *Anton. Vasconcell. S. I. in Anaceph. de Alphons. II.*

Pluribus supersedeo, ne lectoribus sim molestus; præsertim, quia ex ijs, quæ diximus, pronum erit de reliquis conjecturam facere. Hac etiam ætate visitur Palmellæ, (oppidum id est trans fluvium Tagum, Ulyssiponi adversum, in præalto montis vertice erectum), Equestris S. Jacobi Ordinis Cōventus, antiquitate venerabilis, structurâ magnificus, religione augustus, reditibus opulentus, cui præesse solet ex primaria nobilitate Præsul, authoritate, ac ditione Episcopis pene pari. Extant eo ipso in loco prisca Jacobeæ militiæ monumenta, & certa antiqui splendoris indicia: temporis tamen decursus, & recentior Christi Servatoris Ordo Equestris à Rege *Franc. Mennenius de Ord. Militarib.*

Dionysio posteà institutus, & à Joanne XXII. Romano Pontifice confirmatus, non parum Jacobi Ordinis in Lusitania, de honore antiquo, gloriaque detraxit; Regibus ipsis, & ex primaria nobilitate Dynastis, certatim in illum nomina dantibus. A multis etiam annis, Jacobo Patrono Castellanis relicto, Divum Georgium Martyrem Tutelarem sibi Lusitani adsciverunt; illiusque nomen hodie inclamare solent in prima adversus hostes impressione.

S. Georgius M.

De sacri hujus moris initio, non ita convenit inter Scriptores Lusitanos: nonnulli existimant inventum fuisse ab Henrico Lusitaniæ Comite Alphonsi Primi Regis parente; qui cum gente Burgundus esset, uti Lusitanarum rerum periores affirmant, & Burgundi Patronum habeât S. Georgium, illum etiam Lusitanis Henricus Patronum assignavit. Cæterùm hæc nobis ratio minimè probatur: nam Burgundi Patronos colunt Deiparam Virginem, S. Andream Apostolum, S. Claudium Archiepiscopum, SS. Ferruccium, & Ferreolum MM. & S. Benignum Martyrem, cum Divo Bernardo Abbate: maximè S. Andream, ut potè qui antiquis Burgundionibus in Scythia olim adhuc commorantibus, Evãgelium prædicasse traditur: *Ex illa posteà regione in Galliam ij transmigrarunt: fixisque ibi sedibus suum Apostolum, & magistrum retinuere Patronum.* Procedente tempore, Philippus cognomento *Bonus*, Dux Burgundiæ, cum Elisabetham Joannis I. Lusitaniæ Regis filiam, uxorem duxit, in ipso nuptiarum die Equestrem Aurei Velleris Ordinem instituit; nec alios huic Divos Tutelares assignavit, quàm B. Virginem Mariam; & S. Andream Apostolum; igitur Burgundiæ Patronus non est S. Georgius.

Georg. Cardosus in suo Agiol. Lusitan. 23. Aprilis.

Joan. Jacob. Chiffletius in sua Vezentione.

Saussai. de Glor. B. Andrea l.3. c.16.

Pontus Eutherus Delfius in Philippo Bonus.

Ann. Christi 1430.

Nicol. Serarius S. I. in lib. Judic. cap. 7. q. 26.

Hac igitur Authorum opinione rejecta, aliam in medium producimus, quæ Divi Georgij in Lusitanos patrocinium incepisse tradit à tempore Joannis I. Regis Portugalliæ, occasione matrimonij ab ipso initi cum Philippa, Lancastriæ Ducis filia, & Richardi Angliæ Regis nepte: contracto namque per id tempus inter utramque gentem pacis fædere, multi ex Anglia viri nobiles in Lusitaniam transmigrarunt, ibiq; sedem fixerunt, & suum Lusitanis Martyrem dedere Patronum, quemadmodùm & alios mores, tum sacros, tum politicos, uti advertunt nonnulli è nostris Historici. Divo igitur Jacobo Castellanis, quibus cum eo tempore bella gerebant

Fr Frãc. de Maced. in Propugn. part. 1. pag. 199.

Lu-

Lusitani, relicto, horum Patronus, ac rei militaris præses deinde adscitus, habitusque est Beatus Georgius. Cæterùm antiquius esse tanti Martyris inter Lusitanos patrocinium, celebris admodùm persuadet Vimaravi oppidi in Provincia Interamnensi obsidio, regnante Alphonso I. & prælium prope Trancosum; memorabilis etiam apud Algibarrotam de Castellanis victoria, septem ferè antequàm Philippa Lancastria in Lusitaniam veniret annis; ex vetustis enim annalibus cōstat, à Lusitanis S. Georgium, à Castellanis S. Jacobum in ipso conflictu bellico invocatos fuisse; ijsque Divorum Tutelarium nominibus, seu tesseris milites utriusque gentis internosci, & distingui solitos. His ritè expensis, superest, ut ingenuè fateamur, hujus sacri moris initium nobis compertum non esse: nec tanti refert, quod ejus originem ob antiquitatem assequi, aut invenire non possimus, cùm ipsa initij ignorantia vetustatis indicium sit, & venerationis argumentum. Nec me pudet fateri, quod viros ante me doctos fateri non puduit; latere scilicet multarum originem, & maximarum rerum, de quibus sola traditione constat à maioribus ad posteros derivata: nec ineptè dixerim uti flumina, quorum ob longitudinem occulti sunt fontes, nobiliora sunt; ita quorum latent initia, res illustriores, & sacratiores esse.

Georg. Cardosus in Agiolog. Lusitan. ad diem 23. Aprilis.

Constat multas, easque insignes à Lusitanis victorias Divi Georgij ope à Lusitanis partas; una pro cunctis sufficiat, de qua non semel meminimus, præsenti etiā Deiparæ V. auxilio ad Algibarrotam parta Anno à Christo nato 1384. atque ut tanti se beneficij memorem gratumque præstaret Nonius Alvares Pereria, supremus illius belli Præfectus, in ipso pugnæ loco templum ædificari jussit invicto Christi Martyri, & Beatissimæ Dei Matri sacrum. Joannes item Rex hujus nominis Primus munitum, non minùs arte, quàm natura castellum in summo editi montis vertice, intra ipsam Ulyssiponēsem Urbem ædificari mandavit, quod Georgij Martyris nomine insigniivit, patrocinioque commisit: lata etiam lege sancivit, ut annis singulis Sancti Georgij statua, æreis armis instructa, equo insigni, & cataphracto imposita, & militari more, armatis equitibus stipata, in solemni Sanctissimi Corporis Christi supplicatione, per frequentes Urbium, oppidorumque plateas veheretur, qui mos religione plenus in omnibus Lusitaniæ Urbibus, & maioris nominis oppidis receptus,

ptus, ad hanc uſque diem perſeverat. Joannes verò IV. Rex Sereniſſimus pro ſingulari ſuo in Beatiſſimum Martyrem ſtudio, paucis ante annis, curavit, ut ejus feſtum, quod incidit in diem 23. Aprilis, ſolemni, & Romano ritu in Regio ſacello perageretur, & multis per Urbem lætitiæ ſignificationibus haberetur illuſtre. Senatus etiam, Populusque Ulyſſiponenſis, ob accepta à Deo, Georgij interventu, beneficia, grati animi cauſa, conſuevit annis ſingulis ſolemnem inſtituere ſupplicationem ad ipſius Eccleſiam Cathedrali proximam, ibique Miſſæ ſacrificio intereſſe.

Georg. Cardoſ. in Agiol. Luſitan. 23. Aprilis.

Octav. Caietan. S.I. in Idea SS. Siciliæ.

M. Anton. Guerin. in Comp. Hiſt. lib. 1. fol. 7.

Illud hic obitèr adverto; magnam eſſe inter Scriptores diſcordiam circa Divi Georgij Caput: quot capita, tot ſunt hac in re ſententiæ: Hiſpani illud apud ſe habere exiſtimant in templo S. Georgij Azuelenſis in Vaſconia: Galli, in maiori monaſterio apud Turones: Siculi, in Urbe Syracuſarum: Itali, Ferrariæ à Clemente VIII. Summo Pontifice donatum, cum parte ipſius vexilli, Joanni Fontanæ ejuſdem Urbis Epiſcopo, Anno 1600. Veneti ad Sancti Georgij in Alga illud aſſervari mordicùs defendunt. Veroſimilius eſt, aſſervari Romæ in Eccleſia Sancti Georgij ad velum aureum, Zachariæ Papæ tempore inventum, ut multis probat Cardinalis Baronius in notis ad Romanum Martyrologiũ; & Stephaneſcus illiũs Eccleſiæ titulo Cardinalis.

S. Sebaſtian. M.

D. Sebaſtianus Martyr inſignis, & Primus Romanæ Eccleſiæ Defenſor à Caio Sanctiſſimo Pontifice creatus, hujuſce tituli honorem, non futilem, & inanem habuit, ſed rebus pro Fide Chriſti ſtrenuè geſtis clarum, & meritis plenum: ſagittis Romæ confixus volavit ad Superos: inde profectum credit Philippus Marchinus Novarienſis, ut Beato Sebaſtiano *Patrocinium* tempore contagionis peſtiferæ à Fidelibus deferretur; (ſi ſacra licet miſcere profanis:) nam cum apud veteres peſtis Hieroglyphicũ fuerint Apollinis ſagittæ in Græcos emiſſæ: nec non in ſacris litteris eadem lues infenſi mortalibus Numinis telum dicatur: juxta illud Pſalmographi: *Niſi converſi fueritis arcum ſuum tetendit, & paravit illum*: idcircò Fidelium pietas è tantorum numero Sanctorum appoſitè Sebaſtianum delegit ſagittis transfixum, adverſus morbum peſtiferum Tutelarem. Imò Agatho Papa id etiam præſtitit, Superum oraculo monitus Anno Chriſti 680. contagione teterrima ſub id tempus per Urbem latiſſimè ſæviente: *Tunc enim* ſcri-

Philipp. Marchin. in Philoſoph. problematib. de peſtil. problemat. 8.

Bollandus, & Henſchenius in Actis SS. to. 2. Januar. die 20

scribit Paulus Diaconus, *per revelationem dictum est, quòd pestis ipsa non priùs quiesceret, quàm in Basilica D. Petri, quæ ad* Vincula *dicitur, Sancti Sebastiani Martyris altarium poneretur: factumque est, ut delatis ab Urbe Roma B. Sebastiani Martyris reliquijs, mox ut in jam dicta Basilica altarium constitutum est, pestis ipsa quievit.* Situm est ejusmodi templum in Exquilijs, D. Petri nomine, & Catenis, seu Vinculis, quæ ibi religiosè asservantur, illustre, Titulo Eudoxiæ, Valentiniani III. Imperatoris uxoris. Visitur hodie in eadem Basilica vetusta S. Sebastiani effigies opere musivo eleganter expressa, supradicti miraculi, & beneficij monumentum.

Carol. Stengelius de reb. gest. S. Petri Apost. c. 6.

Floravant. Martinel. in Roma Ricercata.

Ab Urbe, seu capite, in reliquum orbis corpus ritus iste manavit, invocandi scilicet contagionis tempore Sebastianum, eumque Patroni titulo, & honore colendi; ut ipsius apud Deum precibus infectæ morbo Urbes, Regnaque luem depellerent: sic passim fieri videmus, ut fusè disserunt Bollādus, & Henschenius nostræ Societatis Presbyteri, in Actis SS. mensis Januarij, ad diem vigesimam Sebastiano Martyri sacram, per omnes ferè Europæ regiones, per Italiam, Galliam, Germaniam, Belgium, Hispaniam, Lusitaniam: hæc certè nulli pietatis studio, & B. Martyris cultu cedit. Visuntur in singulis ferè Urbibus, oppidisque Sebastiani templa, vel sacella ornatu conspicua, votis Fidelium, & peregrinationibus frequentata: solemnes quotannis fieri solent ad ejus templa supplicationes, ut pestiferam contagionem à subditis sibi populis, clientibusque avertat; & varijs lætitiæ significationibus sacra illius memoria celebratur. Sebastianus, egregium inter alios Lusitaniæ Reges, quandiù vixit, studij, & amoris in B. Martyrem dedit specimen: unam è sagittis, quibus fuit confixus, ad illum dono misit Gregorius XIII. quam is pretiosissima theca includi, & thesauri loco, in sacello regio asservari mandavit. Ejusdem Martyris brachium se habere, gloriantur Canonici Regulares S. Vincentij extra Urbem Ulyssiponensem: alterum Bracharenses Canonici in sua Ecclesia Cathedrali, brachio argenteo inclusum, & fenestella ex purissima crystallo perspicuum: quæ lentiùs, & accuratiùs examinare, nostri instituti non est.

Ulyssipone Regni totius Metropoli Divi Sebastiani visitur statua, cui prodigiosus sudor, & copiosus celebritatem peperit. Sæviebat tum temporis lues, & per omnes Urbis am-

Bolland. & Henschen. in Actis SS. Jannar. tom. 2. in additionib. p. 1139.

plissimæ regiones latè grassabatur; innumeros cives infecerat, multos absumpserat; omnes metu, ac terrore compleverat: sudor ille linteis piorum, sudariolisque exceptus, plurimis malè valentibus saluti fuit; ne unum quidē ex ijs, qui adhuc benè valebant, & ad videndum sudoris prodigium undique confluxerant, morbus corripuit. Ex eo die salutaris aura afflare totam Urbē cæpit, gloriosi Martyris tutelæ, patrocinioque commissam; nec multò post integra, & perfecta salus incolis restituta est: novum, & magnificum *Sebastiani titulo*, templum Cives posuerunt, accepti beneficij monumentum, in quo sacra illa imago collocata fuit.

Georg. Cardosus in litter ad me datis.

Non erit ab instituto nostro alienum de singulis Lusitaniæ nostræ Urbium Patronis, ac Divis Tutelaribus hìc paucis agere, sub quorum patrocinio, & cura vivimus; quorum open in publicis, ac privatis calamitatibus imploramus. Ebora Provinciæ Transtaganæ Caput, Sertorij quondam, Marianarum partium fautoris, ac Ducis Sedes, Patronum colit Beatum Mancium Christi discipulum, quem primum habuit Religionis Christianæ Magistrum; pretioso cujus sanguine irrigata est, & Martyrio illustrata. Conimbrica, Sanctum Jacobum Apostolum, à tempore, ni fallor, quod hominum memoriam excedit; Sebastiano tamen regnante, Joannes Suares dignissimus ejusdem Urbis Episcopus, qui Tridentino Concilio interfuit, illius patrocinium denuò renovari, & cōfirmari curavit: Jacobi Apostoli ope adjutus Ferdinandus Rex Legionis Conimbricam, Maurorum Urbem, arcemque firmissimam post longam obsidionem, tandem expugnavit, eamque suæ ditionis fecit: inde fortasse Jacobi in Conimbricenses protectio sumpsit initium. Bracharæ Augustæ S. Giraldus Episcopus Patronus existit. Vizei, & Leiriæ Divus Theotonius, Prior Canonicorum Regularium S. Crucis Conimbricensis, S. Bernardo Abbati coævus, & charus. Civitatis Portucalensis, à qua, ut nonnulli existimant, *Portugallia* nomen traxit, olim S. Vincentius Levita Martyr, cujus brachium in thesauro Cathedralis Basilicæ reliquiarum asservatur; translato postea ad eamdem Basilicam S. Pantaleonis Martyris corpore, & multis coruscante miraculis, eum sibi primarium Patronum delegerunt Portucalenses. Sacrarum illius exuviarum partem custodiri in Buzella, veteris Castellæ oppido, author est Joannes Tamaius in Hispanico Martyro-

Y logio:

logio: caput, Coloniæ in Germania, Canisius tradit, & Miræus: Saussaius verò Lugdani in Gallia repetiri contendit. Lamecum, Urbs vetusta, & nobilis SS. Sebastianum, & Vincentium Levitam Patronos habet, ac Tutelares. Pax Julia, (*Bejam dicunt*) S. Sizenandum Martyrem, in eadem Urbe natum. Scalabis Divam Irenem V. & M. à qua nomen *Santarena* sumpsit; cujus corpus marmoreo sepulchro Angelorum manibus in medio Tagi alveo fabricato, inclusum videtur ad hanc usque diem, non sine omnium gentium admiratione. Bragantia, amplissimi Ducatûs Caput S. Georgium Martyrem, quod die ipsi dicata à Lusitanis capta fuerit, & de Saracenis recepta. Vimatanum, S. Damasum, & B. Gualteriū, S. Francisci socium, ac discipulum. Tomarium, seu Nabantia, S. Thomam Cantuariæ in Anglia Archiepiscopum. Jerabrica, seu Alenquerium, B. Zachariam Minoritam. Elvia suo satis nomine celebris, Badajorio objecta, D. Georgium. Egitaniam, Portalegrium, aliaque magni nominis oppida, prudens omitto; properat enim calamus ad Ulyssiponem Regni Lusitani Caput, Urbem florentissimam, Oceani Reginam maris, Emporium Europæ celeberrimum: Patronum hæc sibi vendicat S. Vincentium Levitam Martyrem, cujus corpus possidet Cathedralis Ecclesia ad sinistrum aræ maximæ latus idoneo mausoleo inclusum. Galli illud apud se habere existimant in castro Albiensi, ab Audaldo monacho ex Hispania advectum; suas ad id probandum, & idoneas rationes adducunt; quibus etiam subscribunt nonnulli aliarū gentium Scriptores, maximè Diagus Hispanus: consulat curiosus Lector Andream du Chesne in Antiquitat. Parisiens. Andream Saussaium in Martyrologio Gallicano, Bollandū, & Henschenium in Actis SS. ad diem 22. Januarij. Mihi gente Lusitano, sed veritatis amanti, non est animus litem inter utramque gentem satis agitatam, interposita vel ratione, vel authoritate dirimere; cùm id fusè, & solidè præstiterint Dominus Rodericus à Cunia, Archiepiscopus Ulyssiponensis, & illo multò antiquior Stephanus, in Cathedrali ejusdem Urbis Ecclesia Præcentor; dictione rudi, sed sincera: Nuper Georgius Cardosus in suo Agiologio Lusitanorum Sāctorum, tam copiosè, ac luculentèr rem tractavit, adductis tanti pōderis, ac momenti rationibus, ut pro Lusitanis rem conficere videatur, & omnem tollere ambigendi locum. Sancti Martyris

Andr. Saussai. in Martyr. Gallic. 27. Julij.

Fr. Francisc. Diagus lib. 4. Annal. Valentian. c. 23.

Georg. Cardosus in suo Agiol. SS. Lusit. die 22. Januar.

tyris caput asservari Moguntiæ in Germania à Carolo Magno dono datum, affirmat gravissimus Author Serarius: Cenomanenses in Gallia illud apud se habere existimant. Ejusdem Martyris reliquias, unà cum S. Apollinaris capite, in Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ Glastoniensi in Anglia repositas fuisse, testatur Alfordus, ab Edgaro Rege donatas.

Nicol.Serarius l. 1. rer.Bugunt. cap. 17.

Michael Alfordus S.I. in Annal.Eccl. Anglic.to.3.p.374.

Cæpit esse Patronus Ulyssiponensis. B. M. Vincentius à tempore Alphonsi I. Regis Lusitaniæ: hoc enim regnante contigit ipsius corporis translatio à Promotorio sacro, quod deinde *Sancti Vincentij Caput* dici à navigantibus cæpit, in Ulyssiponem, Anno salutis humanæ 1173. Erant in eadem nave cum Martyris corpore corvi duo, assidui illius comites, & custodes, (quos divini Numinis providentia certos, & fidos tantæ veritatis testes esse voluit, de qua proinde nullus in posterùm dubitare posset) ita ut alter ad proram, alter ad puppim consisteret: adsuntque hodie in templo Urbis principe; nec inde unquam recedunt; & si non semper sint ijdē; ubicumque enim fuerit corpus, illuc congregabuntur & corvi, quibus æquum est, ut cedant Galli: inde profectum, ut Ulyssipo Patronum sibi desumpserit S. Levitam Vincentium; navem verò, qua vectum fuit sacrosanctum illius corpus, binis hinc inde, hoc est, à puppi, & prora, assidentibus corvis, pro Insignibus habeat.

IN

INDIÆ ORIENTALIS PATRONI.

SANCTUS Thomas Apostolus Orientalis Indiæ Patronus habetur, à tẽpore Joannis hoc nomine Tertij, Regis Lusitaniæ: certior enim factus Rex pijssimus de Sancti Apostoli corpore apud Meliaporam Urbem vetustam, & nobilem, invento Anno Christi 1522. Deo primùm, deinde ipsi Apostolo, uti par erat, grates egit: lata etiam lege sancivit, ut in posterùm Sanctus Thomas utriusque Indiæ Citerioris, & Ulterioris Patronus, & Tutelaris diceretur; & peculiare haberet Goa, Indiæ caput, ac Metropolis, vexillum ipsius Apostoli imagine insignitum: præterea, ut Lusitani Duces, ac milites in bellicis expeditionibus, & congressibus *Sancti Thomæ* nomen invocarent. Id Thomæi patrocinij initium fuisse perhibent. Causam verò huic asserendo, & illustrando dederũt, sacri illius corporis Meliaporæ Inventio; Evangelij in Orientis regionibus prædicatio; insignes de Lusitanorum in Indiam navigatione, & adventu prædictiones; & in odium Fidei à Barbaris ipsi mors illata. Præclarum sui in Lusitanos patrocinij specimen præbuit Sãctus Apostolus eò potissimùm in prælio, quo Joannes Castrius, Indiæ Gubernator, invictæ virtutis Heros, Idalcanum acie superavit, quamquàm is militum numero, & apparatu armorum longè præstaret; invocatis in prima contra hostes impressione, & in medio ardore certaminis Sanctorum *Thomæ*, & *Jacobi Maioris* Apostolorum nominibus. Nec soli Castrio Apostolus favisse contentus, Lusitanis etiam in India bellum contra hostes gerentibus non semel opem tulisse visus est; ut se illorum Patronum esse factis probaret.

Joan. Barr. decad. 3 *lib.* 7. *cap.* 11.

Maffei. rer. Indic. lib. 13.

Balthas. Telles S. I. part. 2. *Chron. Provinc. Lusit. l.* 8. *c.* 58.

Fr. Anton. Roman in Histor. gener. Oriental. Indiæ l. 1. *c.* 13. & *l.* 2. *c.* 31.

Joan. Petr. Maffeius S. I. rer. Indic. lib. 13 *fol.* 271.

Germani non immeritò credunt B. Thomam Apostolum maio-

maioribus suis Christi Evangelium annuntiasse, Divi Hieronymi, Sophronij, & Dosithei, Martyris testimonijs, & authoritate nixi. Idcircò in antiquis Litanijs Græcolatinis etiam num in Germania Inferiori usitatis, maximè ad ostia Rheni; proximus Sanctis Petro, & Paulo Apostolorum Principibus ponitur Sanctus Thomas: Gulielmus item Lindanus Episcopus primùm Ruremundensis, posteà Gandavensis, vir doctissimus, in Oratione ad Hollandos advertit, non esse alienum à veritate affirmare, Evangelicæ Fidei lucem à S. Thoma Apostolo in Germaniam invectam esse, cum id summæ fidei Authores testentur; quibus accedunt multa in ijs provincijs non levis momenti indicia, & sacella Thomæ Apostolo dicata, Coloniæ præsertìm, Leodij, Brouvieslerij, & alibi à Christi Fidelibus extructa. Cathedrales insuper Ecclesiæ Argentinensis, & Trajectina eum sibi Patronum, ac Tutelarem delegerunt. Utcumque sit illud omnium confessione liquet, à Sancto Thoma in India Orientali Christi Evangelium prædicatum: & Indici à Lusitanis Imperij Patronum fuisse delectum.

De loco, in quo sacrum illius corpus asservetur, gravis est inter Scriptores dissentio. In Martyrologio Romano habetur ad diem tertiam Julij translatum esse corpus S. Thomæ ex India in Edessam Mesopotamiæ Urbem, ac inde Orthonam in Apulia; de prima translatione scribunt Socrates, Sozomenus, Ruffinus, Sanctus Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, & alij à Baronio Cardinale citati: de secunda in Orthonam facta, extat unà cum Vita ejusdem Apostoli, & miraculis, libellus ab Joanne Baptista Orthonensi compositus. Cæterùm in *Urbe Sancti Thomæ*, *Meliapora* quondam dicta, superiori seculo fuisse repertum Beati Apostoli corpus, & ibidem asservari, Scriptores permulti authoritate graves, & eruditione præstantes, tantis, ac tam firmis probant rationibus, ut vix relinquant ea de re ambigendi locum, præsertim Joannes Barrius elegans, & gravis rerum Lusitanarum in India gestarum Historicus Lusitanus; Joannes Petrus Maffeius, qui Lusitanos Annales Indicos elegantissimè Latino sermone conscripsit. Joannes de Lucena, Horatius Tursellinus, Petrus de Ribadeneira, Petrus Jarricus, Athanasius Kirker, Franciscus Gartia S.I. Hieronymus Ozorius Episcopus Silvensis; quem Baronius Cardinalis appellat, gravissimum Indicarum rerum

C Baron. in notat. ad Martyr. Rom. ad diem 3. julij.

Genebrardus in Chronogr.

nostri temporis Scriptorem: Antonius Roman, Benedictinus, & Chronographi Lusitani, quos omitto, ne Lectoribus sim molestus. Innumeri etiam Evangelij prædicatores, maximè Societatis Jesu alumni, qui ex varijs Europæ nationibus in Orientis Indias navigarunt Lusitani, Itali, Galli, Hispani, Germani, Angli, Belgæ, Poloni, Lituani id ipsum suis testimonijs confirmarunt. Extare etiam Joannis Lusitaniæ Regis datas hac de re ad Summum Pontificem litteras, scribunt nonnulli, illasque à se visas esse testatur Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctor. Italor. ad diem vigesimam primam Decembris, in quam incidit S. Thomæ festum. Addit Osorius de rebus Emmanuelis felicissimi Lusitaniæ Regis, Indos ad Christi Fidem conversos vulgò credere, & affirmare apud se habere S. Thomæ Apostoli corpus, & ad hanc usque diem multis miraculis coruscare; ac frequentes à multis, & remotis regionibus institui ad ejus sepulturam Indorum peregrinationes. Illud etiam refert in paucis memorabile: Crucé marmoreo sepulchro insculptam, & quibusdam characteribus mysticis circumaratam sanguineis rubescere maculis consuevisse, ac subinde octiduo ante festum Natalis Domini sub lectione Evangelij vario colore tingi, & copioso manare liquore. Id quod etiam anno superioris seculi primo supra sexagesimum ingenti omnium admiratione fuit observatum; & nostræ Societatis Jesu Presbyteris sæpè ad aram Sácti Apostoli facientibus id prodigij contigisse memorant. A nobis hucusque relatis non leve authoritatis pondus addit Sanctus Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, è Societate Jesu, Divi Thomæ sepulchrum, Urbemque invisere solitus; ibique orare, & cæli gaudijs, delicijsque ad sacram illius memoriam affluere.

Hieron. Osor. Episc. de reb. Emman. lib. 3.

Aubert. Miræus in notit. Episc. l. 4. c. 25

Fr. Anton. Roman Benedict. Monach. in Hist. gener. Indior. lib. 2. cap. 31. & lib. 3. cap. 30.

Paulus V. Pontifex Maximus Christianis Thomæis, (sic vulgò dicuntur illorum posteri, quibus Sanctus Apostolus Christi Evangeliú prædicavit.) Cranganoris proximæ ijs urbis, Archiepiscopum assignavit, qui ipsis pontificia authoritate præesset, & eorum curam gereret, anno videlicet 1608.

Aubert. Miræus in notit. Episcopatuum Orbis Christiani.

Hæc mihi sententia de Sancti Thomæ corpore Meliaporæ apud Indos Orientis reperto, valdè probatur, Lusitano quidem patria, sed veritatis amanti, & multis per Europam peregrinationibus, externis etiam gentibus satis noto; ea tamen conditione, ut aliquas Thomæi corporis Reliquias Or-

thonæ in Apulia asservari non inficiar. Nec Baronius Cardinalis ab hac sententia videtur dissentire, dum hæc addidit in notationibus ad Martyrologium Romanum, die tertia Julij: *Dicere de hoc cogimur quod frequentèr de alijs reperitur: nempè unius corporis partes in diversa loca distributas occasionem dedisse multis opinandi, vel hìc, vel alibi contineri unum, idemque corpus.* Quod etiam alij Authores multis prosequuntur, maximè Joannes de Lucena, & Antonius Roman supra citati, præter Michaelem Inchofer, Societatis nostræ Historicum.

Lucen. in Vit. Xav. Roman in Hist. Indic. l. 2. c. 13.

Illud hic obitèr calamo currenti præstringemus: Alfredus Rex Angliæ, Christiana pietate clarissimus, ingentis pretij dona misit in Indiam Sancto Thomæ Apostolo, per Sighelmum Episcopum anno Christi 879. si credimus Michaeli Alfordo, Societatis nostræ Theologo in Annalibus Ecclesiasticis Anglic. Viullelmus Malmesburiensis, & Henricus Huntindonus hanc in Indiam legationem rejiciunt in annum 883. quorum sententiæ adhæret Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis Anno Christi citato.

Inchofer in Annotat. Hist. in Martyrolog.

Alford. in Annal. Eccl. Angl. ad Ann. Christi 879. f. 146.

Baron. in Annalib. Ann. Christi 883.

Cæterùm B. Thomæ Apostoli, tamquàm Primarij Orientalis Indiæ Patroni festum Meliaporæ, Cocini, Goæ, Coulani, Cranganore, & in alijs Indiæ ferè universis Urbibus, ac Emporijs magna celebritate peragitur: in Europa verò Ulyssipone Lusitaniæ Metropoli, Serenissimi Reges illius memoriam religiosè colunt in Aulæ Regiæ sacello die 21. Decembris, in quam incidit ipsius festum. Nec facile dici, vel exponi oratione potest, quàm pij, ac munifici, erga Sanctum Apostolũ sint Lusitani Reges? quàm amplis Urbem Meliaporam ejus sepulchro nobilem privilegijs affecerint? quàm impensè suis in Indiam tendentibus Lusitanis Ducibus, ac Proregibus cõmendent Apostoli cultum, & memoriam? quàm liberalitèr subministrari jubeant sumptus ad Apostolici templi dignitatem tuendam, & augendam religionem necessarios? Superest ut Apostolus in tẽpore subvenire velit Indiæ suo patrocinio, & tutelæ commissæ, ac gravissimo jam dudum calamitatum pondere laboranti; suisque apud Deum precibus obtinere, ut ad pristinum felicitatis redeat splendorem religione florens, domi pacata, foris gloriosa.

S. Iacobus A. Sanctus Jacobus Apostolus *Maior* cognomine in India Orientali Lusitanorum in prælijs olim Patronus fuit, quemadmodum, & in ipsa Lusitania, idque passim tradunt Histo-

rici, qui de rebus Indicis Annales texuerunt. Hoc ipsum suo confirmavit exemplo Alphonsus Albuquercius, ob rerum gestarum famam *Magni* cognomen adeptus, in Oratione, quam habuit ad milites Lusitanos Goam oppugnantes : commissâ enim cum hostibus intra urbem ipsam pugna, qui primùm violentèr irruperant Lusitani, non alium, quàm Sanctum Jacobum Apostolum magnis vocibus inclamabant, *Santiago*, *Santiago*, iisque additi pugnantibus animi; auctæ vires; cæsi, aut fugati hostes sunt; Goa captâ, & valido militum præsidio munita; sedes etiam Prætoris Lusitani, & Imperij caput in Oriente instituta. Albuquercius suas, & suorum victorias Jacobo Apostolo ferebat acceptas; ex India ad Ecclesiam Compostellæ, in qua sacrum illius corpus asservatur, Fidelium votis, & peregrinationibus inclytam, pietatis, & gratitudinis causâ, ingentis pretij dona misit. Eumdem secuti sunt alij Indici Proreges, arciumque Præfecti; donec suo Hispanis relicto Jacobo Apostolo, Sanctum Georgium Martyrem, unà cum Divo Thoma Apostolo peculiares sibi Patronos in bellicis conflictibus invocare cœperunt; eosque Lusitanæ Militiæ in India Orientali Tutelares habere.

Albuquercius Junior in suis Commentarijs.

Sanctus Franciscus Xaverius Societatis Jesu alumnus Indiæ Orientalis, & Japoniæ Apostolus, communi populorum consensu jam inde ab illius obitu Patronus Indicæ Gentis dici, & celebrari cœpit; à nautis maximè, & negotiatoribus, qui mare Sinicum, & Japonicum, commercij causa, navigationibus frequentant: eo nomine; quòd post Xaverij mortem illius apud Deum precibus placata sint maria, fœdissimis anteà tempestatibus valdè obnoxia. Ubique Franciscus tam multa dedit heroicarum documenta virtutum, tam illustria patravit miracula; tam promovit inter barbaras illas gentes Christi Religionem; easque beneficijs innumeris ad hanc usque diem afficere non desistit, ut omnes illum sibi Patronum, & Advocatum habere voluerint; & si hujusmodi titulus communi aliquo Indicæ, vel Lusitanicæ gentis consilio, vel decreto non fuisset hactenùs ipsi delatus. Sacrum illius corpus Goæ in templo Domûs Professæ Societatis Jesu nobili mausoleo conditum asservatur, miraculis illustre, & Fidelium votis, ac precibus religiosè cultum. Eo se Goa Indiæ caput, & metropolis, seu firmissimo propugnaculo munitam existimat adversus hostes undique irruentes: nec tam fortissimis ci-

civibus, ac firmissimis muris fidit, quàm Xaverij precibus apud Deum, & patrocinio. In Xaverio certam publicæ salutis, & felicitatis spem collocatam habet: nec afflictis Indiæ rebus suo auxilio defuturum credit, quem piè colit, & veneratur; cujus opem in publicis, & privatis calamitatibus non semel experta est.

Orientalis Indiæ Patronis adnumerare meritò possumus Beatissimam Virginem Mariam, illius enim ductu, & auspicijs animosè suscepta, & feliciter confecta est Lusitanorum in Indiam navigatio, non sine aliarum gentium invidia, & admiratione. Maffeius certè sic in rem nostram elegantèr scribit Indicarum rerum lib. secundo: *Patefacta jam India, primum omnium Emmanuel toto Regno supplicationes indixit; dein Mariæ Virgini ejus navigationis Præsidi extructam ab Henrico Principe Ædiculam in ipso aditu portus Vlyssiponensis miram in amplitudinem extulit, auxitque. Ad ejus templi custodiam, & cæremonias, & navalis præsertim turbæ, ducumque animos ritè expiandos eximia sanctitate monachi acciti ex Hieronymiana familia: locus sumpto à Christi incunabulis nomine* Berhleem *dictus, imprimis totius Hispaniæ, tum structura, tum religione visendus.* Ex quibus satis constat ab Henrico Principe Joannis hoc nomine Primi Regis Lusitani filio, Indicæ expeditionis authore, initium duxisse Deiparæ Virginis in Lusitanos parrocinium, qui primi emenso mari, & longissima navigatione confecta, regnante Emmanuele, ad extremas Orientis solis Oras ausu incredibili penetrarunt; & in eas Christi Fidem cum Deiparæ simul cultu, & patrocinio intulerunt. Felicissimo sub Mariæ V. Sidere India patefacta; capta vi armorum oppida; arces insessæ; expugnatæ urbes; Fidei, & Lusitani nominis hostes profligati; partæ de ijs victoriæ; extincta idolorum superstitio; Christiana Religio amplificata; sedes Imperij Goæ stabilita. Ad Marianum præsidium soliti confugere Lusitani, ejusque auxilium implorare, & votorum compotes passim fieri. Hanc ob rem Franciscus Bencius excellens Societatis nostræ Orator, & Poeta eximius sic scribit: *Lusitani, quæ prospera evenerunt, Deiparæ Virgini accepta referunt: huic nuncupant vota ad bellum profecturi: huc redeunt vota persolventes: quin etiam Dei Matris Imaginem religiosè ferunt in castra. Adnotarunt dies omnes, qui consecrati Virgini, lætos fuisse victoriâ. Itaque nunquam tentare prælium, nisi uno aliquo ex illis* die-

Osorius lib. 1. de reb. Emmanuelis.

Franc. Benc. S. I. in Annuis litter. Lusitaniæ.

diebus constitutum habent: aliter existimare, periculosum videtur. Cum Bencio sentiunt Georgius Kolvenerius, & Eusebius Nieremberg Soc. J. (ut omittam Scriptores Lusitanos). Addit Bossius de signis Ecclesiæ, Orientis Indiam Lusitanis apertam fuisse, & Christi Fide illustratam, & Deiparæ Virginis patrocinio consecratam. Mariæ umbra, vel luce tectus Xaverius Japoniam adijt; eamque vanæ superstitionis tenebris involutam Evangelicæ doctrinæ radijs illustravit. Idem prædicationis officium inter Monomotapæ incolas exercuit Gonçalus Silveria, egregius Societatis nostræ Ecclesiastes, & Martyr insignis; quemadmodum, & inter Sinas Matthæus Riccius, inter Armusianos Gaspar Barzeus; sic in varijs Indiæ utriusque provincijs alij item ex alijs familijs sacris viri religione præstantes, quorum multi, ut uberior esset animarum fructus, eas fuso pro Christo sanguine irrigarunt. *Kolven. in Kalend. Marian. Euseb. Nieremb. S. I. Bossius de sign. Eccl.*

Alphonsus etiam Albuquercius, de quo supra meminimus, Indici author, & propugnator imperij, erecta, & constituta in urbe Goa Lusitanici Proregis sede, testatum omnibus facere voluit, illam Beatæ Virginis ope metropolim à Lusitanis armis expugnatam fuisse, misso in Hispaniam sui amoris pignore, seu grati animi monumento ad Deiparam Virginem de Guadalupe, quam sibi in bellicis expeditionibus delegerat Tutelarem. Audiamus Ludovicum Nonium in sua Hispania ita loquentem apud Jacobum Gretserum, in tract. de Imaginibus Deiparæ à S. Luca depictis: *Inter multa*, inquit, *Regum, Principumque donaria videre est majoris tormenti bellici, ferreum globum, quem Alphonsus Albuquercius Avorum memoria Indiæ Prorex, in monumentum miraculi, quo eum Diva Virgo in Goensi obsidione tutata est, misit; nam cum Scapha flumen subiret, comes quidam ejus ita tormenti globo discerptus fuit, ut illius cerebro fœdatus fuerit; quo ille periculo commotus in Beatæ Virginis Guadalupiæ se tutelam commendat; vix orationem finierat, cum tormento excussus globus pectus illi percussit, sed innoxiè, & ad pedes ejus delapsus fuit, licet vix à quadraginta passibus fuisset excussus: nunc argenteis incrustatus bracteis, hic servatur, cum quo monile misit multis gemmis, & adamantibus ornatum.* Hæc Nonius. Uno verbo cunctos complectar. Quicumque Lusitani duces in Asiam, Africam, vel Americam, victricia intulere arma, cum ijs simul Deiparæ cultum, & patrocinium invexerunt. Itaque eodem ferè, quo Lusitania titulo, ut suo loco diximus,

in Magnæ Matris tutelam se dedit, eo ipso Indiæ Orientalis Lusitanorum armis subacta, imperioque adjecta, se commisit.

Aliam nobis Divam Indiæ Orientalis Patronam intrudere nuper voluit Anno 1670. quidam modernus Author, qui multùm gratiâ apud Romanos Principes valebat, dum Romæ morarer ego, & Pœnitentiarij Apostolici munus ad Sancti Petri in Vaticano obirem: Beatam scilicet Rosam Virginem in Urbe Limensi apud Indias Occidétales natam, pietatis fama, & miraculorum numero illustrem, quam Summus Pontifex Clemens IX. Beatarum Virginum fastis adscripsit Anno 1668. Clemens verò X. ipsius successor in Sanctarum Virginum numerum retulit die 12. Aprilis Anno 1671. nam cum anniversarium illius festum ad Sanctæ Mariæ supra Minervam celebrandum esset die 10. Septembris, edicta indulgentiarum à Pontifice concessarum omnibus Christi Fidelibus, qui supradictum Sanctæ Mariæ templum consueto more intra præscriptum ab illo tempus visitassent, ijs disertis verbis scripta ad magis conspicua Urbis loca affixa legebantur: *Beatæ Rosæ universalis, & magis principalis utriusque Indiæ Occidentalis, & Orientalis Patronæ.* Hæc quàm sint à veritate aliena, nemo est, qui nesciat, cùm certo certius sit, Beatam Rosam Indiæ Orientalis Patronam non esse, nec fuisse unquam; quæ cum sint meridiana luce clariora, supervacaneum ducimus in ijs refellendis tempus terere. Quod attinet ad Indias Occidentales Hispanorum Imperio subjectas, pro certo etiam habemus, illatum Patronam non esse, sed Limensis tantùm Urbis, vel Peruviæ Provinciæ; eam ob caussam, quòd ipsa in Urbe lucem vidit Rosa; floruitque virtutibus, & rebus mirè gestis claruit.

ÆTHIOPIAM

SUperiorem, vel supra Ægyptum (ut illam ab Inferiori, vel infra Ægyptum distinguamus) Indiæ Orientali meritò adjungimus, quòd ab ista religionis Christianæ Magistros, & Episcopos olim acceperit, qui multis illam erroribus infectam, & à Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra diuturno schismate dissidentem, veræ Fidei; ac Catholicæ concordiæ reddiderût. Hanc sub Beatæ Mariæ Vir-

Virginis tutela quondam fuisse, & recentiori ævo esse certius est, quàm ut probatione indigeat; Eunuchus enim Reginæ Candacis à Philippo Diacono sacro fonte ablutus, primum in oppido Auxumensi templum Divæ Virgini posuit. Balthasar Telles elegans Societatis nostræ Historicus in sua Æthiopiæ Historia, quam materna lingua composuit, refert, vigere incolas inter illius oppidi traditionem de templo à Regina Sabà Auxumi olim extructo, à Candace postea Regina, vel ejus Eunucho Christo Dei Filio, ejusque Matri Sanctissimæ dicato. Christophorus etiam à Gama invictæ virtutis Heros, ab Indiæ Prorege missus cum lectissimis Lusitanorum militū copijs, ut Æthiopiam Maurorum vi, tyrannideque oppressam in libertatem assereret, primam in Ambaçaneta arce de Mauris recuperata Deiparæ à Victoria ædem excitavit, cujus auspicijs bellum felicissimè confecerat. Aliam structurâ magnificam, & famâ celebrem ab Helena Augusta Bedemariani Imperatoris conjuge in Regno Gojamensi magnis sumptibus erectam reædificari curavit more Romano Imperator Seltamsegued Beatissimæ Virginis nomine insignitam. In oppido Gorgorra (sic vocant) nobile Deiparæ templum extruxit Petrus Paes, Societatis nostræ Sacerdos lapide quadrato, solemnibus cæremonijs consecratum ab Alphonso Mendes S.I. Abyssinorum Patriarcha. Consecrationi interfuit Imperator habitu ad maiestatem composito, cum universæ nobilitatis flore: sub tantæ enim Matris umbrâ, ac patrocinio vivere ambiunt Abyssini, & ipsius se clientes profiteri. Illius sanè ductu, opeque de Cælo præstitâ Lusitani, mortuo jam Gama Duce, sacrum Matris Misericordiæ Vexillum in primo contra hostes agmine præferre soliti erant, ejusque nomen magnis vocibus inclamare: quo effectum, ut Æthiopiam Barbarorum tyrannide, & armis oppressam, partis de sævissimis hostibus victorijs relevarint, & pristinæ libertati restituerint, ut fusè describit Telles supra citatus: & quod caput est in regio oppido *Dancàs* nomine, Patriarchalis Sedes constituta fuit, & Ecclesia Cathedralis Sanctissimæ Virginis nomine, & Natalibus consecrata; ut sub illius renata sidere ad Romanos ritus, & Catholicam pietatem composita feliciùs adolesceret, & maiora caperet incrementa Religio Christiana nullis contra Fidem erroribus inquinata.

Balthas. Telles S.I. de Æthiop. lib. 1. cap. 25.

Idem Anth. lib. 4. Hist. Æthiop. c. 22. & lib. 5. c. 6.

Cæterùm proximis nobis temporibus Abyssini ejurata re-

ligione Catholica, & Romana, ad pristinos errores, & vetera schismata redierunt, à mandatis in exilium Fidei præconibus, & magistris; nec paucis eorum crudeli morte peremptis. Brevi tamen suæ pervicaciæ, & inconstantiæ pœnas dederunt; captis magnâ ex parte à barbaris illorum oppidis, vel etiam direptis, ac incensis, vastatis agris, pecoribus abactis, incolis, vel occisis, vel in dirissimam servitutem abductis.

Andreas Mendo excellens Societatis nostræ Theologus in opere, quod composuit de Ordinibus Militaribus, disquisit. 1. quæst. 2. §. 2. affirmat Sanctum Antonium Magnum esse Patronum Imperij Abyssinorum, ac sub ejus nomine, & tutela extare Ordinem Militarem Sancti Antonij in Æthiopia, cujus Equites pro Insignibus Crucem præferunt liliatam filis aureis circumdatam. Ordinem instituit Joannes Æthiopum Imperator, Anno Christi 370. Eumdem approbavit primùm in Oriente Sanctus Basilius, deinde multis post seculis Pius V. Pontifex Romanus in Occidente. Ita Mendo supra citatus, quæ Lectoribus curiosis examinanda relinquimus.

ARAGONIA

NOBILISSIMUM Hispaniæ Citerioris Regnum, Christianâ pietate clarissimum, primo Deiparæ Virginis templo, cultuque felix, armis potens, rerum olim præclarè gestarum famâ celebre, & illatis in Italiam, & Siciliam Insulam armis victricibus gloriosam. Castellæ Regno jam pridem unitum, proprijs tamen legibus, ac moribus gubernatur. Cæsaraugustam Urbem, ab Augusto Cæsare dictam, habet Metropolim ad Iberum fluvium sitam; à Joanne XXII. Romano PP. Archiepiscopali dignitate ornatam. Vetusta Regni Aragonici arma fuerunt, Crux rubra viridi arbori inserta, in alveolo aureo: postea, Crux argentea, in areola coloris cærulij. Antonius Beuter gravis Author, sic Hispanicè describit Insignia Aragoniæ: *Vencida la batalla de Osca, tomò El Rey D. Pedro vitorioso por armas en campo de plata una Cruz colorada: y en cada un quarto del escudo una cabeça de Moro coronado, ò ceñido con la cidari; y estas son las primeras Armas de Aragon.* Alphonsus II. Rex Aragoniæ, (si fidem habemus Dionysio Bonfant Scriptori Sardo) vetusta reliquit Insignia, idest Crucem, & quatuor Regũ Maurorũ capita cidari redimita, & eorũ loco, fascias quatuor, barras (vulgò dicimus) rubras, aureo cãpo exceptas, sibi desumpsit, quas proprias Cataloniæ esse, & Comitũ Barcinonis judicamus, à Ludovico Imperatore donatas Jofredo Velloso III. Barcinonis Comiti, ob egregiam navatam operam in bello, quod Imperator gessit adversus Normannos Anno Christi 877. alijs Ann. 863.

Joann. Marian. S.I. de reb. Hisp.

Hieron. Blanca in Cõment. rer. Arag.

Morillus in Hist. Cæsaraug.

Zurita l. 1. Annal. Arag. c. 32. & 52.

Anton. Beuter. l. 2. Chron. Hisp. & Valent. c. 9.

Garibai tom. 3. rer. Arag.

Illud scitu dignum legimus apud Ambrosium Machinum Archiepiscopum in Sardinia Calaritanum, & apud Franciscum Boschetum, ab Innocentio scilicet, hujus nominis III. concessum fuisse Petro Aragoniæ Regi, ut Papilione uti posset, Sancti Petri Clavibus, & Tiara Pontificia, cum regijs simul Armis Aragoniæ insignito. Eumdem præterea

Ambros. Machinũ in defens. Primatûs Eccl. Calarit. à folio 182.

Regem fuisse tum temporis creatum Romanæ Ecclesiæ Vexilliferum, seu Confalonerium, affirmat; quam alij alijs temporibus Reges dignitatem cum prædictis Insignibus retinuerunt, ad Jacobum usque secundum, cui denuò collatus fuit Romanæ Ecclesiæ Polemarchi, vel Signiferi titulus, recuperandæ Hierosolymæ causâ. Cæterùm quia sacra illa expeditio effectu caruit, idcircò Aragoniæ Regibus, de Summi Pontificis consensu, permissum fuit, inquit Machinus, ut id muneris, & honoris in Calaritanum Antistitem transferrent, qui proinde inscribi consuevit, *Primas Sardiniæ, & Corsicæ; Sanctæ Rom. Ecclesiæ Vexillifer.*

Fr. Frãc. de Maced. in Diatriba de Advent. S. Jacobi in Hispan.

Quod attinet ad Divos Tutelares: nulla in universo Orbe Catholico Provincia reperitur Mariani patrocinij jure, vel honore, aut antiquior, aut illustrior Aragonicâ: enim verò cùm ad huc in vivis esset B. Virgo Maria Sãcto Jacobo Apostolo in Hispanijs Evangelium prædicanti, & propè Iberum fluvium Cæsaraugustæ orami columnæ marmoreæ, seu pilari insistens apparuit putissimâ nitens luce, & multis Angelorum millibus comitata: illique injunxit, ut ipso in loco Ædem sibi ædificaret, eo nomine quòd Hispanam gentem inprimis sui amantem, ac studiosam fore prævidebat: atque extunc illam in suam recipiebat clientelam. Appositè in rem nostram Ferreolus Locrius in Maria Augusta: *Jaspidea*, inquit, *illa columna, quam Regno Diva Mater intulit; quamq; stantem, & continuo prementis pede Virginis firmatam, non Mahometanorum, non Saracenorum, non quorumcunque desperatissimæ colluvionis Barbarorum impetus dejiciat, ac prosternat; sed æternum sibi secura perstet in Catholicæ Fidei perenne firmamentum.*

Ejusdem templi meminit Cardinalis Baronius ad Annum salutis humanæ 1118. his conceptis verbis: *Antiquus cultus religiosissimæ Ecclesiæ Beatissimæ Virginis* de Pilari *nuncupatæ; quæque hactenùs non solùm Hispanorum populorum, sed externorum etiam visitatione frequentatur, universo Christiano Orbi illustri famâ notissima.* Quid aptius his elogijs ad Aragonici Regni dignitatem commendandam? Quid efficacius ad asserendum Deiparæ Virginis patrocinium adduci potest? cùm sanctissimis columnæ plantis insistendo Cæli Regina Aragonici quodammodo Regni possessionem adierit; ejusque Dominam se, ac Patronam fore promiserit; ut testatur Rode-

Joan. Tamai. Salazar in Martyr. SS. Hisp.

ricus Archiepiſcopus Toletanus: *Ipſa Dei Mater*, inquit Hippolytus Marracius, *pollicita eſt ſe futuram Aragonicæ gentis Tutelarem: Ego eam ſub patrocinium meum recipiam.* Quod raró, aut nunquam alijs gentibus contigiſſe legimus: licèt enim Meſſanenſes in Sicilia Deiparæ Virginis Epiſtolâ quadam ad illos miſſâ glorientur, in qua ſpondet ſe illorum fore Protectricem, & apud Filium Jeſum Advocatam; multi tamen viri docti huic Epiſtolæ fidem non adhibent; illamque idoneis in ſpeciem rationibus impugnant, & commentitiam eſſe probant; (licèt nos in alia ab ijs ſententia ſimus) quemadmodum, & aliam ad Florentinos ſcriptam: Aragonibus verò favent omnium ferè gentium Scriptores, paucis exceptis, qui de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpania dubitarunt: favet etiam antiqua, & recepta ab omnibus Hiſpaniarum Eccleſijs traditio, cujus tanta vis eſt, & authoritas, ut non alijs indigeat, vel ſcriptorum teſtimonijs, vel rationum momentis, quibus nitatur, ſuâ enim ſtat virtute nixa, & rem ſatis probat: inde, ſeu à fonte, manavit ſingularis Aragonicæ gentis in Deiparam ſtudium pietatis; inde vetuſtus clientelæ titulus; inde præclara Religionis obſequia fluxerunt cum ſervitutis jure conjuncta: ſummi, medij, infimi ambire Virginis gratiam; ad ipſius umbram, patrociniumq; confugere, nomen repetere, opem expoſcere, modis omnibus Matrem dulciſſimam colere, & amare: nec illa ſuo deeſſe officio Patronæ, & Advocatæ unquàm deſtitit; illos ut filios diligere, ut clientes protegere, præſentemque ijs laborantibus opem ferre conſuevit. Quò dictis fidem faciamus, nonnulla in medium producemus Mariani in Aragones patrocinij exēpla ab ejuſdem Regni Annalibus deprompta.

Gulielmus Jacobi Regis, cognomento *Expugnatoris*, avunculus, Deiparæ Virginis ope, exiguâ militum manu, ingentes Maurorum copias fudit, fugavitque. In medio ardore certaminis Sanctus Georgius ſe ſpectandum præbuit Chriſtianis pugnantibus à Deipara miſſus, cæleſtibus inſtructus armis, equo generoſo vectus, Cruce flammea inſignitus; à quo fortiſſimi quique hoſtium cæſi ſunt, reliqui in fugam acti; victoriam pax aurea, & felicitas conſecuta. Gulielmus eo ipſo in loco, quo pugnatum eſt, grati animi causâ, Magnæ Dei Matri templum condidit, addito Monachorum Cœnobio, quod æternum foret partæ Virginis ope victoriæ monumentum.

Euſeb. Nieremb. in Troph. Mar. lib. 2. cap. 7.

Georg. Kolven. to. 1. Kal. Mar. ad diem 11. Aprilis.

Hieron. Blancas de reb. Arag. Ann. 1134. Morillus in Histor. Cæsaraugusto. 1. tr. 2. c. 31. & 50. Joan. Tamai. Salazar triumph. 36. pag. 199. Nieremb. lib. 2. Troph. Mar. cap. 9.

Regnante in Hiſpania Alphonſo, quem dixerunt *Imperatorem*, Rex Saracenus ingenti coacto exercitu Cæſaraugustam Urbem obſedit; eamque ſumma vi oppugnare cæpit: oppidani etſi pauci defenſores eſſent, ſtrenuè tamen, & ſuſtinebant hoſtes, & arcebant; adeo ut non ſemel cùm arctiùs obſiderentur, erumperent, & Maurorum copias fugarent, orantibus interim viris ſacris, & Chriſtianis militibus vires addentibus: ijs tamen aliquando diurno labore feſſis, & alto ſomno oppreſſis, Saraceni in omnem capiendæ Urbis occaſionem intenti, intempeſtæ noctis uſi ſilentio, ligonibus, alijsque ferreis inſtrumentis adhibitis, murorum partem ſuffoderunt, & ingentem aperuerunt hiatum, per quem facilis erat in Urbem irruptio: irrumperent ſanè, niſi Deipara ſuorum memor Civium, & clientum pro muris excubias tùm temporis ageret, ijſque ad extremum diſcrimen adductis præſenti auxilio non affuiſſet; Cælo repentè delapſa, Angelorum cincta cohortibus ſe oppoſuit invadentibus jam Urbem Saracenis, & immanem murorum hiatum Virgineâ maieſtate replevit: Barbari eo divino oſtentò territi terga verterunt, multis eorum deſideratis: obſidione ſolutâ reſpirarunt Cives; tantoq; defuncti periculo Mariæ SS. grates, uti par erat, egerunt; & ut extaret perennis tanti beneficij ad poſteros memoria, eo in loco Ædem *Liberatricis titulò Virginis* poſuerunt.

Bernard. Gomez de reb. geſt. Jacobi l. 11 fol. 431. Tamaius Salazar tom. 6. Martyrol. Hiſp die 7. Decẽb. & in Triũph. Mar. to. 1. triumph. 47. Anton. Spinell. S. I. de B. Virg. cap. 29. §. 33.

Jacobus Rex, Expugnator Urbium dictus, quemadmodum Demetrius Poliorcetes, Deiparam ſummo pietatis ſenſu coluit; eamque in bellicis expeditionibus Patronam habuit ſingularem: illius auſpicijs multarum navium claſſe vectus Maioricam Inſulam in mari Balearico aggreſſus Anno redempti Orbis 1228. poſt varios belli eventus Patronæ demum Virginis, & Sancti Georgij Martyris auxilio, Urbem Inſulæ Primariam vi cepit, non ſine magnâ Civium cæde: Rex ipſe Albohibus, acerrimus Chriſtiani nominis hoſtis à militibus interemptus victoriæ coronidem, & coronam impoſuit. Subactâ Inſulâ Jacobus, ut ſe memorem, gratumque Deo præſtaret, Ædem Urbis principem in honorem B. Virginis conſecrari juſſit; poſtquam fuerat inſtitutis ab Eccleſia cæremonijs expiata: & ut poſteris de ſingulari ſuo in Deiparam ſtudio, ac pietate conſtaret, innumera in ejus memoriam tẽpla per Aragoniam, Cataloniam, & Inſulas Baleares ædificavit: alij plura, alij pauciora numerant: Antonius Balinghem,

Geotgius Kolvenetius, Antonius Spinellus ad duo millia petveniſſe ſcribunt. Illud certum, Jacobum auxilio Deipatæ fretum trigeſies collatis ſignis contta Satacenos pugnaſſe, ac ſemper extitiſſe victorem.

Ex ijs, quæ diximus liquidò apparet, cæpiſſe B. Mariæ Virginis in Aragones Parrocinium ab ipſis Chriſtianæ Religionis exordijs, à tempore ſcilicet Sancti Jacobi Apoſtoli in Hiſpania prædicantis, ductumque per tot intermedia ſæcula ad noſtram uſque ætatem petveniſſe multis probatum miraculis, multis illuſtratum victorijs, innumeris beneficijs confirmatum, & è contra, ſuis etiam Atagonicæ gentis ſtudij, & amoris in magnam Mattem ſignificationibus utcumque repenſum. Supereſt ut illa Pilæ marmoreæ, æterniratis ſymbolo inſiſtens, Rempublicam ſuo ſemper patrocinio favere velit domi pacatam, foris glorioſam.

His ego rationibus, & exemplis ductus B. Vitginem Mariam primariam Atagoniæ Pattonam eſſe putabam: cæterùm poſt decretum Urbani VIII. editum Anno Chriſti 1642. quo unum tantùm è præcipuis Patronis unicuique Regno, ſeu Provinciæ ſub feſto de præcepto celebrari permirrit, Atagones primarium ſibi Patronum delegerunt Sanctum Georgium Martyrem, ut à viris doctis, & in rebus Aragoniæ benè verſatis, accepi. Initium Patronatûs Aragoniæ Hietonymus Zurita, Antonius Beutet, Fabritius Gaubettus, & Hieronymus de Blancas teferunt in memorabilem victoriam Alcoracenſem, quam de Mauris prope Oſcam, Sancti Geotgij ope, obtinuit Petrus hujus nominis Primus Rex Aragoniæ: res in hûc ferè modum evenit. Obſidebat Petrus Oſcam Urbem primariam arte, & naturâ munitam, multiſque bellarorum millibus benè munitam: ſuppetiàs tulere obſeſſis Almohacenus Rex Cæſarauguſtæ, & innumetæ ex Africa Maurorum copiæ: præteteà lectiſſimam militum manum in auxilium miſit, jure fæderis, & amicitiæ, Alphonſus Rex Caſtellæ, Ducibus Garcia Cabrera de Naxera, & Gondiçalo Comite: erant centum quinquaginta millia bellatotum. Cæterùm Petrus, & ſi viginti tantùm Chtiſtianorum millia ſub ſignis haberet, animum non deſpondit; ſed fiducia in uno Deo collocata, manum cum hoſtibus conſeruit: integrum pugna diem tenuit: donec S. Georgius Cælo delapſus apparuit argenteis radians atmis, flammeâ pectus medium Cruce diſtinctus; qui ma-

Author Anonymus in litteris ad me datis Tarracone 29. Junij Ann. 1671.

Eſculan. Hiſt. Valent. dec. 1. lib. 9. fol. 1050.

Laurent. Finochiar. S. I. de gloria S. Georg. p. 3.

Salazar diſcurſ. 17. cap. 2.

gnam edidit Maurorum stragem, (quadraginta millia cæsa fuisse dicuntur); Petrumque juvit ut insignem de Barbaris, ac fœderatis gentibus victoriam reportaret, quam paulò post Urbis deditio consecuta est: in loco ubi pugnatum, Rex victor, tanti beneficij memor, templum Divo Georgio extrui jussit, eumque deinceps in bellicis expeditionibus Patronum habere voluit. Transijt ad posteros sacer iste mos solemni veluti lege stabilitus, & crebris miraculis confirmatus. Singulis Annis die 8. Novembris hujus victoriæ memoria celebratur: Oscensis enim Urbis Magistratus habitu insignis, & ad maiestatem compositus, cum Basilicæ Principis Clero, Sancti Martyris templum adire solet, ibique solemni Missæ sacrificio interesse, in gratiarum actionem, ut nos monuit ex Aragónia vir quidam doctus, & eruditus, cui meritò fidem habere debemus. De apparitione Sancti Georgij, victoriaque de Mauris parta, nullus esse potest ambigendi locus, cùm de illa certo constet, tùm ex tabulis publicâ fide confectis, quæ in archivo ejusdem Urbis asservantur; tùm ex Bullis Sũmorum Pontificum Romanorum, quarum virtute Oscensis Ecclesia in Cathedralem secundò erecta est.

Illescas part. 1. Hist. Pontific. lib. 5. Mariana de reb. Hispan. l. 10. c. 3.

Cæterùm Joannes Briz Martines, Abbas Benedictinus, in Historia de antiquitatibus Monasterij S. Joannis de la Peña, quam diligentèr conscripsit, & in lucem edidit Anno 1620. tradit, certò quidem constare de Apparitione S. Georgij Christianis eo in prælio facta, & de victoria ipsius ope ab ijs obtenta in campo Alcoracensi: Templum tamen his antiquius esse affirmat, & Patrocinium S. Georgij in Aragones; quod multis, & idoneis rationibus probat: & concludit, Georgianũ Patrocinium duxisse originem à primis Aragoniæ, & Vasconiæ Regibus Garcia Ximenes, & Inigo, seu Eneco Arista, qui Magni Constantini Imperatoris exemplum secuti, D. Georgium in prælijs adversus patriæ, & Religionis hostes, Patronum sibi delegerunt: ab ijs mos iste ad successores Reges derivatus, semperque retentus ad hanc usque diem perseverat. Hanc Martines sententiam vetustis tabularum testimonijs, & fidei incorruptæ, ut ipse existimat, Annalibus sic corroborat, ut viri etiam docti, ac in rebus Ecclesiæ sacris valdè periti, illam non improbent.

Joan. Briz Martines in Hist. de antiquit. Monast. S. Joan. de la Peña lib. 4. cap. 9.

Illud hîc advertere oportet: Equites S. Georgij in Aragonia totius Regni personam repræsentare, cùm videlicet gene-

ralia comitia non habentur, munusq; obire in rebus maioris momenti ad Reipublicæ bonum, & utilitatem pertinentibus: quod singularis privilegij genus est: multisque ij rationibus, & testimonijs ab antiquis tabularijs depromptis ostendere contendunt, primos illos Aragoniæ, & Vasconiæ Reges initium dedisse Patrocinio S. Georgij, ut Martines scribit; non verò Petrum hujus nominis Primum, de quo supra meminimus. Unum tamen, aut alterum hîc adducere exẽplum non omittam, quo probemus invictum Christi Martyrem Georgium egregium se gessisse Aragonicæ gentis Patronum, sive illius Patronatûs titulus sit recentior, sive antiquior.

In bello Balearico, uti suprà scripsimus, cùm de B. V. Mariæ Patrocinio nobis sermo esset, Christianis se spectandum præbuit S. Georgius equo albo, & feroci insidens, argenteis indutus armis, galea, & thorace insignis; nunc hasta intẽta, nunc evaginato gladio in Mauros irruere visus, ferro fulgurare, geminare ictus, aciem impellere, eamque loco movere: apertis deinde portis in Urbem Insulæ principem victor irrũpere, & cuncta ferro, flammisque miscere: quatuordecim Maurorum millia unà cum eorum Rege Albohibo cæsa fuisse dicuntur; Urbe capta, & à Christianis valido militũ præsidio munita, tota mox Insula in Aragonici Regis potestatẽ venit: Jacobus tanti belli Dux, & Author, in B. Georgium Aragoniæ Patronum occupatæ à nostris Urbis, & subactæ Insulæ laudẽ retulit.

Anton. Beuter. lib. 2. cap. 21. *Euseb. Nierēb. S. I. de Troph. Mar. l. 2. c. 7.* *Zurita in Jacob. Expug.* *Tamai. Salaz. to. 6. Martyr. Hispan. ad diem 7. Decembr.*

Nec silentio involvendum memorabile ad Navas de Tolosa (sic locum vocant) prælium die Julij 17. Anno Christi 1212. contra Mahometanos cõmissum, in quo de summa rei Christianæ in Hispanijs agebatur; conjunctis inter se animis, ac viribus Alphonsus Castellæ, Petrus Aragoniæ, & Sancius Vasconiæ Reges adversus Mahomadem Miramolinum, Jucephi filium, cognomento Viridem, qui innumeris instructus bellatorum copijs ex Africa trajecerat in Hispaniam, acerrimè pugnarunt. Petrus S. Georgij effigiem in Regio vexillo ferebat expressam: erat illud coloris candidi, Cruce lata, & rubra mediam secante areolam, insigne: cujus auspicijs, ductuque erectus in certam spem victoriæ, pugnam strenuè inivit, feliciterque confecit: ceciderunt eo in prælio ducenta Barbarorum millia, paucis dumtaxat Christianorum desideratis: locum ubi pugnatum est, hoc ipso tempore strages, & fossæ re-

Anton. Beuter. lib. 2. cap. 20. *Anton. Balinghem. S. I. in Ephem. Mar. fol. 375.*

repletæ cadaveribus indicant. Ex ijs, quæ diximus facile erit de reliquis conjecturam facere. Hostes ipsi sæpè victi à Christianis fassi sunt, visum à se in medio pugnandi ardore bellatorem quendam humana specie augustiorem, candidissimo equo vectum, cælestibus radiantem armis, Cruce flammea pectus medium intercurrente, pro militibus Christianis inter acies acerrimè dimicantem, nullis hostium ictibus, vulneribusvè obnoxium. In antiquis Aragonicæ Ecclesiæ Breviarijs habetur Officium duplex S. Georgij; & cum quatuor cappis, ut Sacrorum Rituum periti dicunt, celebrari solebat, teste Joanne Tamaio Salasario in suo Hispanorum Sãctorum Martyrologio, ad diem 23. mensis Aprilis.

Illud notatu dignum videtur: nullus, ut existimo, Sanctorum Tutelarium, una Deipara Virgine excepta, plures habet nationes sub suam clientelam receptas, quàm S. Georgius. Illum enim Constantinus Magnus sibi adscivit, & Imperio Romano Tutelarem: illum Angli, & Lusitani; illum Aragones, Valentini, & Catalani in Hispanijs; in Italia Genuenses, Dani in Septemtrione, Græci in Oriente, Hungari in Pannonia Patronum colunt, & venerantur. Georgiani etiam, veteribus Iberi Asiatici, sic dicti, scribit Vitriacus, eò quod Sanctum Georgium, quem in prælijs suis contra gentem incredulam habent Patronum, summa reverentia colant, & præ alijs Sanctis specialiter honorent. Et, quod caput est, ipsa Ecclesia Romana Christi Servatoris sponsa, & cælestis doctrinæ Magistra, si quando in illam vis ingruat hostium, ad hos vincendos, ac debellandos, cum Sanctis Martyribus Sebastiano, & Mauritio, Georgium quoque invocare solet, ejusque auxilium implorare.

Vitriacus in Hist. Orient. cap. 80. Joan. Persa in suis Relat. Madriti editis Ann. 1608.

CA-

CATALONIÆ

PRINCIPATUS Barcinonēſi Comitatu nobilis: faſcias quatuor, ſeu lineas rubri coloris in aureo campo pro Armis habet; quas olim Imperator Ludovicus Pius Jofredo Villoſo Comiti de Nortmannis hoſtibus Victori, virtutis causâ, donavit. Jofredus enim ſcutum aureum ſymbolo vacuum præferebat, cùm egregiam bellando contra Nortmannos operam Imperatori navavit, & multa adverſo pectore vulnera accepit: Ludovicus igitur intincto in ſanguinem ab ijs fluentem digito, lineas, ſeu faſcias quatuor ſanguineas in areolâ aureâ duxit, ac expreſſit, quas in poſterùm Comitum Barcinonenſium *Inſignia* eſſe voluit.

Deiparam Virginem Cataloniæ *Patronam* eſſe putabam, ſacroſanctæ Imaginis causâ apud montem Serratum (id loco nomen) inventæ; cæleſtis flammæ indicio, quæ ſingulis Sabbatis loco Angelis charo incubare videbatur, eamque intento veluti digito, demonſtrare: repurgato ab incolis loco ſilvis obſito, ac mortalibus penè impervio, reperta eſt imago Deiparæ Filiolum Jeſum ſiniſtro brachio ſuſtinentis, venuſta facie, gratiæ plena, & maieſtatis; quæ omnium ad ſe oculos, animosque convertit. Inde in Ædem ſupercilio montis impoſitam ſolemni pompâ tranſlata, miraculis coruſcare cœpit, & vicinos monti populos fama excire, ut votis illam colerent, & peregrinationibus frequentarent. Nec verbis exprimi poteſt quàm plenus Religione ſit locus. Nemo eſt qui primo ſtatim ingreſſu excitari ſe arcano quodam ad divina motu non ſentiat: id omnes teſtantur quicumque ſint, & undecumque veniant. Parietes ipſi cæleſtem quemdam pietatis odorem, & ſingularem dulcedinem ſpirare videntur, & Fidelium mentes ad rerum divinarum medita-

tationem excitare. Nulla in universo terrarũ Orbe illustrior, aut religiosior, exceptâ in Italiâ Lauretanâ, B. Virginis Ædes, invenitur; ita ut de illâ canere jure possis:

Non est in toto Sanctior orbe locus.

Quem versiculum in Scala sancta (sic appellant) Basilicæ Lateranẽsi proxima inscriptum non semel legimus dum Romæ moraremur.

Cæterum Viri docti, ac eruditi, & in rebus Cataloniæ benè versati me per litteras monuerunt Sanctum Georgium Martyrem Catalonorum Patronum esse, quemadmodùm & Aragonum; & si Deipara Virgo præcipuâ ab ijs Religione colatur. Magister Prades libro de Adoratione Sacrarum Imaginum scribit cæpisse Georgiani Patrocinij nomen, ac titulum ab eo ferè tempore, quo novem Germani Duces bellum gesserunt in Cataloniâ adversus Mauros, juratos Christiani nominis hostes, Comite, ni fallor, Barcinonis Raymone Borelio viro fortissimo: in hunc ferè modum res evenit. Barcinonem Urbem Cataloniæ primariam occupaverant Mauri die Junij 27. Anno Christi 960. quam valido militum præsidio munierant, incolis vel in diram servitutem abductis, vel barbarâ feritate peremptis. Hujus infortunij conscius Comes Borelius contractis undique bellatorum copijs, Urbem obsedit; nec multis post diebus armorum vi expugnavit ope Sancti Georgij candido equo insidentis, & magnam Maurorum stragem edentis: deleti ad internecionem hostes, Barcino recuperata, & Christianorum ditioni reddita, documento fuerunt insignem illam de Saracenis victoriam divinâ magis, quàm humanâ virtute partam esse. Sancti Georgij nomen pro militari habebant tesserâ milites Germani, qui Catalanis auxilio venerant: ab ijs, deinceps mos acceptus invocandi Sanctum Georgium in primâ adversus hostes impressione.

Prades lib. de Adorat. l. 3. c. 9. §. 7.

Anton. Beuter in Chron. Hisp. & Valent. l. 2. c. 14.

Joan. Tamai. Salaz. in Martyr. Hispan. tom. 2. ad diem 23. Aprilis.

Petrus etiam Aragoniæ Rex victor evasit in prælio Alcoracensi, scribit Prades, ope B. Georgij Martyris, sub cujus symbolo, auspicijsque pugnabant aliquæ Catalanorũ cohortes, quæ Regi tulere suppetias bellum contra Mauros gerenti. Boschus præterea narrat, Insignia Senatus Catalonici *Deputacion* (communi sermone vocant) esse rubri coloris Crucem, in areola candida, idque victoriarum causâ, quas olim Catalani, & Aragones Sancti Martyris patrocinio, & favore

ni-

nixi, de Mahometanis hoſtibus reportarunt. Id ipſum confirmat Hieronymus Surita gravis Author, & eruditus in Jacobo Rege Aragoniæ, quem vulgò dicunt *El Conquiſtador*, dum agit de bello Balearico, & expugnatione Inſulæ Maioricæ; additque hanc adverſus Mauros expeditionem, in gratiam maximè Catalanorum à Jacobo ſuſceptam, eorumque expenſis, & auxiliaribus militum copijs ex animi ſententiã confectam eſſe.

VALENTIA

VRBIS Primariæ nomen eſt in Hiſpania Tarraconenſi Regni cognominis caput: à Græcis Zacinthijs propè Turiam fluvium condita, loco idoneo, ſalubri cælo; ædificijs elegans, templis auguſta, hortis amæna, pontibus quadrato lapide ſuburbia urbi jungentibus ſuperba. Valentiæ nomen illi impoſuit Decius Junius Brutus Romanarũ legionum Præfectus, & Romæ ſubſtulit, quod olim à Romo Hiſpaniæ Rege acceperat, ut una, & ſola eſſet in orbe terrarum Roma Caput, & Regina mundi; nec æmulam in Hiſpanijs, ſimilemvè haberet. Sancti Laurentij Levitæ Martyris natalibus gloriatur, ſi fides habenda eſt nonnullis Valentinæ gentis Authoribus; quamquàm nos in alia ab ijs ſententia ſimus. Calicem præterea è lapide Chalcedonio, quo humani generis Aſſertor Chriſtus Dominus uſus eſt, cum venerabile Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, Valentiæ aſſervari ijdem Authores aſſirmant à B. Laurentio in Hiſpaniam miſſum. Tanti momẽti rem, ſicut approbare non audeo, ſic reprobare formido; eam proinde in medio ſuſpenſam relinquo. Illud omnium confeſſione liquet, Divum Laurentium nec Valentinæ gentis, nec Urbis Patronum eſſe; ſed Sanctum Georgium Martyrem, & Sanctum Vincerium Ferrerium. Nec Beatiſſimam Virginem Mariam ab hoc numero, honorevè penitùs excludimus. De ſingulis nonnulla ſcitu digna referre operæ pretium erit.

Fr. Franc. Diago in Annal. Valent. lib. 2 cap. 8.
Anton. Beuter. in Chron. Hiſp. & Valent. l. 2. c. 41.
Mar. de reb. Hiſp. l. 12. c. 19.
Ferrar. in Topogr. verbo Valentia.
Salazar in Martyr. Hiſp. ad diem 4. Auguſt.
Diago lib. 4. Annal. cap. 20.

Jacobus I. Aragoniæ Rex, Deipara auxiliante, captam vi armorum Valentiam, ſacro illius nomini dicavit, patrocinioque commiſit: nam portarum claves, quas Urbis incolæ Regi detulerant, cum ipſius poteſtati, & arbitrio ſe permiſerunt, is ad Deiparam dono miſit, quam de *Podio* vulgò dicunt, Fidelium cultu, ac peregrinationibus celebrem: eo religionis obſe-

Episcop. Guimaran.
Bernard. Gomes in Hiſt. Jacobi Expugnatoris.
Franc. Buyl Episcop. Alguer. in Hiſt. del Puche cap. 17.

obſequio apertè teſtatus, Urbem illam Regni Valẽtini principem, Dei Matris ope, Chriſtianorum imperio adjectam eſſe, & ab infami Mahometis ſectâ ad Chriſti cultum, & Deiparæ clientelam traductam. Porrò hæc Imago Deiparæ in vicini montis ſpecu, Saracenis Hiſpaniæ dominantibus, diù latuit, ab incolis Barbarorum furori, & impietati ſubtracta; donec quinque poſt ſeculis inventa fuit, cæleſtis cujuſdam flammæ indicio, quæ ſingulis Sabbatis noctu illi incubare loco videbatur, & ſolis inſtar radios in orbem diffundere, ac longè clariùs emicare, quà montis dorſo podium quoddam modico ſaxorum projectu aſſurgebat, & ſubjectam obumbrabat vallem, fontibus irriguam, arboribus coronatam. Id, proximæ Arcis milites inter noctis tenebras excubias agentes, non ſemèl viderunt; ignari tamen, quid cæleſtis illa flamma portenderet. Tandem Bernardus Guillen de Entença Arcis ejuſdem Præfectus, de re totâ certior factus, eo in loco altè effodi terram juſſit, ac circumcircà diligentèr inquiri. Et ecce ibi Sacra Deiparæ Virginis effigies marmoreà ſub ærea campana è tenebris eruta in lucem venit, quæ circunſtantes ingenti gaudio affecit, & pari ſimul religionis ſenſu implevit. Erat illa ſubnigri coloris, cujusmodi antiquæ imagines, & venerabiles eſſe ſolent, formâ præſtanti citra artificium, eoq; acriùs ad pietatem movente. Puerum Jeſum ſiniſtro brachio ſuſtinebat: Angelorum manibus fabricata creditur è lapide Mariani in Valle Joſaphat ſepulchri, ab eiſdem delata Valentiam paulò poſt Deiparam in Cælum aſſumptam, ſi fidem habemus traditioni, & magni nominis Authoribus Valentinis, qui id affirmãt. Excitata deindè eo ipſo in loco Ædes, ibique Imago Deiparæ collocata, omnem ad ſe gentis amorem, & religionem traduxit.

Euſeb. Nier. S.I. in Triumph. Marian. l.1.c.8. & l.2.c.16.

Anton. Beuter. lib.2. cap.40.

Gregor. Kolv. part.2 Kalend. Mar. die 29. Septemb.

Franc. Tarrapha de Regib. Hiſp. in Henrico II.

Hæc Jacobum Regem impulerunt ſuopte ingenio jam propenſum, & Deiparæ valdè ſtudioſum, ut templum ſtrueret regiâ pietate, & munificentiâ dignum, in quo ſacram illam effigiem de *Podio* vulgò dictam repoſuit, cujus patrocinio Valentinæ Urbis cuſtodiam prudens, ac pius, conſignatis ultrò portarum clavibus, commiſit; ratus nòn alio Regni Metropolim magis tutam fore propugnaculo, quàm ſub Magnæ Matris umbra, & clientela.

Anno 1238.

Cæterùm, non exiguum ſuæ in B. Virginem pietatis fructum tulit Jacobus Anno humanæ ſalutis 1237. quo Zaenus Rex

Anton. Beuter. lib.2. cap.32.

Rex olim Valentiæ, ingentibus Maurorum copijs stipatus expugnare tentavit Arcem in Podio Mariano ab ipso Rege erectam. Die 18. Octobris obviàm prodijt Zaeno Bernardus Arcis Præfectus parva militum manu cinctus, cum Gulielmo de Aguilone strenuissimo equite, spe vincendi in uno Deo, & Deipara collocata. Inito prælio apparuit Christianis pugnantibus Sanctus Georgius à B. Virgine, uti par est credere, de Cælo missus, bellatoris more, argenteis armis conspicuus, & candido vectus equo, cujus ope nostri insignem de Saracenis victoriam reportarunt, tribus tantùm è Christianis in prælio desideratis.

Diago l.7.c.17. Ximen. de recuper. Hispan. Boyl in Histor. del Puche cap. 10.

Iterùm Berenguerius adjunctis sibi quinque spectatæ fortitudinis ducibus, quos Rex Jacobus, præsidij causâ, Valentiæ reliquerat, quoddam Maurorum Castrum *del Chio* dictum, Urbi ipsi proximum, & valdè infestum, obsidione cinxit. Periculi imminentis metus, & obsidionis famâ vicinos circum populos Saracenorum excivit, ut raptis confestìm armis ad ferendam obsessis opem, advolarent. Cōmisso adversus Christianos prælio, die Sabbati Deiparæ sacro, quam sibi, suisque Berenguerius delegerat Tutelarem, profligati hostes, victores Christiani fuerunt, qui dextro ante pugnam omine, ut se inter Maurorum cuneos discernerent, sinistro brachio inseruerant palmæ ramum, futuræ victoriæ symbolum, vel argumētum.

Anton. Beuter l.2. c.41. & alij Scriptores Valentiæ.

Mariani etiam patrocinij illustre edidit testimonium, vel specimen Rex Jacobus, solemni pompa, triumphantis more, Valentiam invectus, spontanea Zaeni Regis deditione nuper occupatam: præibant militates copiæ armis auro, atque argento interlitis conspicuæ, apertis ad liberum prospectum galeis spectabiles; dejectis ab humeris per transversum pectus fascijs elegantes, Martium spirantes ardorem, vexillis distinctæ ad colligendam auram explicatis. Eminebat inter cætera quoddam Deiparæ Virginis effigie insignitum, ut omnibus certò constaret, illius potissimùm auspicijs bellum gestum, & primariam Regni Urbem in Christianorum potestatem redactam. Regem comitabantur Tarraconensis, & Narbonensis Antistites; nec non alij magnæ authoritatis Præsules sacro ritu ad maiestatem compositi. Tēplum ingressi, (quod Gothi anteactis seculis Sancto Salvatori dicaverant, & Magnus posteà Cid Ruy Dias Sancto Petro Apostolo) Jacobus

Anno 1238. Beuter l.2. c.40. Bernard. Gomes in Hist. Jacobi I. Aragon. Regis.

Diago l.7.c.25.

accepti beneficij memor B. V. Mariæ consectati jussit, ut in posterum Valentini Cives sub illius umbra, ac patrocinio vivetent, eamque domi, ac foris Patronam colerent. Alphonsus certè, (ut hæc obitèr dicamus) cognomento Magnus, Neapolis subactæ laudem Podiensi Deiparæ tribuisse memorant, cujus auspicijs Atagoniæ Reges, & Valentiæ bellare soliti erant, & præclaras de hostibus victorias obtinere.

Boyl in Hist. S. Mariæ de Podio.

Eusеb. Nieremb. de Triumph. Marian. l. 2. c. 26.

A nobis huc usque scripta probare videntur, Deiparam Virginem Valentinæ Urbis, vel gentis Pattonam esse: cæterum viri docti, & graves pet litteras Tartacone datas 9. Junij, Anno 1671. nos monuerunt, id nequaquàm verum esse; sed S. Georgium Martyrem Valentiæ olim Patronum fuisse; modò vetò esse S. Vincentium Ferrerium. Porrò S. Georgij patrocinio initium dedit Annus salutis humanæ 1096. quo Petrus Rex, Jacobi cognomento Expugnatoris Pater, commisso contra Mauros gravi, ac periculoso prælio Alcoracensi, ope Geotgij Martytis victor evasit, fugatis, ac fusis hostibus, cæsis quadraginta eorum millibus, ut in loco dicemus; licet alij Aragoniæ, & Cataloniæ Scriptores affirment, multò antiquius esse D. Georgij patrocinium, ab antiquis scilicet Aragoniæ, & Vasconiæ Regibus acceptum. Ergo Pettus in Religionem vertit memorem se, gratumque præstare erga Georgium, cujus patrocinio victoriam ferebat acceptam; extructâ in illius honorem Æde magnificâ, quæ tanti beneficij memoriam æternaret, eumque deinceps in prælijs Patronum habere voluit, quem etiam suis in Regno Atagoniæ successoribus bellotum Præsidem, solemni veluti lege, ac testamento reliquit: inde profectum, ut captæ posteâ Valentiæ, Regnoq; cognomini victricibus armis subacto, eumdem Christi Martyrem Jacobus filius Tutelarem assignaverit, cujus pattocinium, & favorem multis in rebus erat expettus. Itaque Valentiam primùm Urbem ingressus, ut supta vidimus, Christianorū militum legionibus cinctus ad bellicam elegantiam compositis, præire jussit S. Georgij militate vexillum; sequebantut turmæ equitum complutes, omnes armis auro, atque argento distinctis conspicuæ, omnes militaribus donis ornatæ; cogebant postremum agmen Infulati Præsules non pauci, habitu corporum, & oris dignitate spectabiles; de quorum consensu Jacobus templum Divo Georgio posuit in memoriam captæ Urbis, & grati animi monumentum. Singulis etiam

Author Anonymus.

Esculan. in Histor. Valent. dec. 1. lib. 9. fol. 1050.

Aynsa lib. 1. Hist. Oscensis.

Gaubert. p. 34.

Salaz. disc. 17. c. 2.

Anton. Beuter lib. 2. cap. 40.

etiam annis die 28. Septembris, quo Valentiæ deditio facta est, institui consuevit supplicatio solénis in gratiarum actionem.

Superest, ut unum, & insigne exéplum adducam ad asserendum, & illustrandum B. Martyris in Valentinam gentem patrocinium, ne plura referendo lectoribus sim molestus. Proximum Valentiæ oppidum, dorso montis cujusdam impositum eminebat, Alcoy nomine, naturâ magis loci, quàm hominum industriâ permunitum. Id hostes capere quà vi, quà dolo armis agitarunt, ducibus Alabesio, & Redoano, & qui multorum ducum instar erat, Alazarcho Maurorum fortissimo; quibus in auxilium venerat Equitum Granatensium Ala. Sacro intererant præsidiarij milites Christiani summo manè, curis vacui, metu liberi, cùm Mauri instructo ad pugnam agmine, oppidum silentèr aggressi, fossam superare saltu, portas ferro perrumpere moliuntur, seque in interiora Arcis immitere cæperunt, sed frustra: de Cælo namque repentè delapsus apparuit Sanctus Georgius bellatoris habitu, & facie mirum in modum radiante insignis, flammea Cruce signatus, eâq; Maurorũ oculis objectâ specie, tantũ ijs terroris injecit, ut relictâ protinùs oppugnatione oppidi, in fugam se dederint, hærentibus fugientium tergo Christianis, & magnam eorum stragem edentibus. Ipso in loco ad alendam tanti beneficij memoriam templum fuit à nostris erectum D. Georgio consecratum, & illius statua militaris in medio oppidi foro supra marmoream columnam collocata, cataphracto equo insidentis, & Mauros debellantis specie. *Beuter. in Chron. Hispan. & Valent. cap. ult.*

Cæterùm post decretum Urbani VIII. de uno tantum Patrono primario eligendo, de quo non semel meminimus; Valentini, relicto S. Georgio antiquo in bellis Patrono, Sanctum Vincentium Ferrerium, civem suum, & eximium verbi Dei præconem, virtutibus, & miraculis illustrem, Primarium sibi Patronum cooptarunt: tum quia Valentiæ natales habuit, tum quia multis eam beneficijs afficere non desistit. *Author Anonym.*

NAVARRA

REGNUM olim in citeriore Hispania amplum, & bellica laude clarum, Cantabriam, & vicinas Urbes complectebatur: hac ætate ab una parte clauditur Pirenæis montibus; ab altera Ibero fluvio terminatur, Tudelam si excipias cum nonnullis obscuri nominis oppidis trans fluvium positis. Pompeiopolis Regni caput, à Pompeio Magno, qui illam condidit, nomen accepit, ad Argam fluvium opportunò loco sita, salubri cælo, fertili utcumque solo. Anno salutis humanæ 1512. Ferdinandus cognomento *Catholicus* Julij Secundi Pontificis Romani authoritate nixus, id sibi Regnum armis vindicavit, & Hispano adjunxit: jure, an injuria? meum non est definire. Unam tantùm habet Urbem Episcopalem Pompeiopolim, Cæsaraugustano quondam, modò Burgensi Archiepiscopo suffraganeam.

Philipp. Ferrarius in Topograph.
Michael Antonius Baudrad in Topogr. Lexicon part. 1.
Illescas Hist. Pontif. to. 2. sub Julio Secundo.
Aubert. Miræus in Notit. Episcop. Orbis Christiani.

Alij alia de Insignibus, seu Armis Navarræ tradunt: nonnulla scitu digna in lectorum gratiam referemus. Garciæ Ximenio Regi Parmam rubram Insignia fuisse symbolica icone prorsùs vacuam, multi dixerunt. Quibusdam tamen placuit affirmare Quercum, seu Ilicé viridé, incubante sūmo fastigio Cruce rubra, ab ipso cōtra Mauros pugnaturo in aere visam, felici victoriæ instátis omine pro militari symbolo acceptam esse. Eneconem verò, seu Inigum Regem, causa cognominis *Arista* sibi à vulgo impositi, Aristis scuti campum consevisse; ac posteà ex pari alterius Crucis miraculo sibi apparentis, argenteam Crucem in dextra scuti parte additam fuisse *Tau* litteram specie referentem. Sancium denique hoc nomine Primum cognomento *Abarca*, quod ipsi inter pastores ovium educato nomen adhæsit, alludentem, binas Abarcas aureas Aristis ardentibus adjecisse. Hæc tamen Insignia multorum opinione recepta, & vulgi sermonibus celebrata non admittit, vel saltem ex parte reprobat Arnaldus Oihenartus Mau-

Ludov. Morer. in Diction. Histor. Gallic. v. Navarra.
Michael Inigus Este lib. de Corona Princip. Christian.
Anton. Beuter in Annal. Hispan. & Valent. lib. 2. cap. 5.
Hieron. Blanca in Côment. Reg. Aragon.
Francisc. Aynsa in Histor. Oscensi.
Garibai tom. 3. lib. 21. cap. 8.

seo-

Arnald. Oihenart. in Notit. Vasconiæ l.2. c.16. ſcolenſis in ſua Notitia utriuſque Vaſconiæ, ut potè errore magis populi imperiti credita, quàm ſolidis rationibus peritorum virorum, vel maiorum authoritate, & traditione fundata: tametſi ea quæ de Arbore viridi in Scutis antiquorum Regum impreſſa feruntur, approbare videatur; adjuncta ſimul Crucis effigie è ſummo Arboris apice prodeuntis. Illud tanquàm certum nobis inculcat Arnaldus, hujuſmodi Inſignia ſerò admodùm, nec niſi regnante in Vaſconia Sanciò hujus nominis ultimo, Regijs diplomatis apponi cæpiſſe; Superioribus enim Regibus ſola Crucis forma in calce tabularum delineata obſignare moris erat: initio verò illarum non ratò præfigebatur quæ Crucis ſigno, & tribus Græcis litteris, X P Z, quibus Chriſti nomen compendiariò ſcribi ſolet, compoſita, Chriſtum Cruci affixum deſignabat. Primus itaque Sancius ultimus ſymbolū ſuum militare *Aquilam furuam*, expanſis alis, roſtro argenteo armatam diplomatis ſuis appingi voluit, uti obſervavit is Author, illis non ſemel inſpectis Pompeiopoli in tabulario Regis Theobaldi. Antiqui tamen ſpeciem ſymboli mutavit Sancius, ut nonnulli Authores ſcribunt, inſignis occaſione victoriæ de Mauris partæ ad Navas de Toloſa (id loco nomen) die decimaſexta Julij, Anno ſalutis humanæ 1212.: ac in ejus locum ſucceſſit Ferrearum effigies catenarum, quas Miramolini Regis prætorium circumvallantes, ac munientes forti, & intrepido animo Sancius cum ſuis perrupit. Hanc citatus Author opinionem rejicit, & ſuam in hunc modum nobis inculcat: *Scutum Regum Navarræ non catenis, ſed carbunculo radiato aureo ſphærulis interſtincto, inſtruitur, addito coloris praſini umbilico.* Ita Renatus Langolius in m.s. libro: in alio item codice m.s. regnante in Gallia Carolo V. compoſito, idem omninò invenitur. Commentarius etiam Inſignium apud Puteanos fratres Petrum, & Jacobum, editus Anno Chriſti 1580. pag. 170. ſcutum exhibet quadripartitum, cujus pars altera phænicea carbunculo aureo ſphærulis diſtincto, impreſſa in campo praſino ſmaragdi ſpecie, ſecta eſt: altera francica baculo ſymbolico argento, & coccino interſitis, obliquè incubante. Hæc nobiles aliquot Scriptores ſua authoritate confirmant, maximè Joannes Feronus, Hieronymus Barra, Joannes Jacobus Chifletius in libro de Inſignibus Equitum Ordinis Velleris Aurei: Michael Linigus in libro de Corona Principum

cipum Christianorum, sic Italico sermone scribit: *Prima un' simplice escudo rosso; dopoi una bella Joya attorniata d' otto bordoni d' oro, che fann' la figura d' una rota.*

Pergit ulterius Arnaldus: *Caterùm de Smaragdo, qui area umbilicũ occupat, ipsum de manubijs prælij ad Navas de Tolosa collectis esse, & ad Sancium Regem pervenisse, tradit Author Chronici, qui scribebat imperante Carolo V.* Idem sentit Argote de Molina, alijque non obscuri nominis Authores. Unus Antonius Muretus singularis est in Oratione ad Pium IV. Sũmum PP. habita postridie Idus Novembris, Anno 1560. pro Antonio Rege Navarræ, in qua disertis verbis affirmat *idcircò Smaragdum Insignibus suis à Sancio adjectum esse, ut memoriam aleret sempiternam Mauri Regis eo in prælio de las Navas interempti. Pingebatur autem Smaragdus primùm figura rotunda & globosa, posteà quadrangula, vel alia etiam minùs usitata conformari solebat.* In hunc modum ratiocinatur Arnoldus de Regio stemmate Navarræ: cujus sententiam accuratiùs examinare, officij nostri non est: illam tamen fusiùs hìc describere volui, quia hujus Authoris codex rarus est, & in Lusitania vix reperietur. Legat qui velit librum de Tesseris gentilitijs elegantèr compositum à Silvestro Petrasancta, Societatis nostræ Theologo; vel librum Gallico sermone conscriptum à Carolo Orontio, Regis Christianissimi Consiliario, de Armis, vel Insignibus, in quo non pauca scitu digna inveniet de Armis Navarræ. Joannes Mariana S. I. libro xi. cap. 24. de rebus Hispaniæ ita rem describit: *Sancius Vasconum Rex, ut tantæ victoriæ monumentum esset, ad rubrum clypeum, quo maiores utebantur, catenas circa limbum addidit, in medio æquore Smaragdum; cùm catenas perrupisset primus, quibus castrorum ea pars, ubi Rex barbarus tendebat, munita erat.*

Author Anonymus.

Argote de Molina lib. 1. de Nobilit. Andal.

Quod attinet ad Divos Tutelares Navarræ, nullum habuit qui universo Regno præsideret ad annum usque 1621. quamquàm Pompeiopolis, aliæque vicinæ urbes peculiares sibi Patronos pro suo quæque studio, & pietate cooptassent. Anno tamen citato in publicis Regni comitijs in Aula pretiosa (sic loco nomen) omnium Ordinum suffragijs statutum fuit ut Officium sub ritu duplici Sancti Francisci Xaverij, de consensu Summi Pontificis, à Clericis recitaretur: eaq; in Urbe Roma gratia facilè impetrata, Deputatio (ita vocant Supremum Regni Magistratum) de illa certiorem fe-

cit Episcopum Pompelonensem, ac Ecclesiæ Cathedralis Canonicos: quibus etiam per litteras significavit, in comitijs Regni generalibus de communi omnium Ordinum consensu decretum fuisse, ut Sanctus Franciscus Xaverius in posterum totius Navarræ Patronus esset. Designata igitur die secunda Augusti Anno 1622. convenerunt Deputati ex Ordinibus sacro, militari, & populari in templum Societatis Jesu, ibiq; peracto Missæ sacrificio S. Franciscum Xaverium Regni totius *Patronum* solemnibus cæremonijs, & communi omnium gaudio delegerunt, ac declararunt die 25. Februarij. Idque ipsum fuit pari celebritate confirmatum in alijs Regni comitijs generalibus Pompeiopoli coactis Anno Christi 1624. Prorege tum temporis Comite de Castrillio. Sancitum præterea ut ejusdem Urbis Episcopus D. D. Christophorus de Lobera, alijque Prælati, ad quos jure officij, & dignitatis pertinebat, S. Francisci Xaverij festum de præcepto pro suis quique provincijs, ac Ecclesijs subditis sibi populis indicerent, cum Officio duplici, & octava, aliorum Patronorum more. Sancitum; factum ab Episcopo Pompeiopolitano, ab Episcopo Tirasonensi, ab Abbate regij Conventus de Fitero habētę jurisdictionem amplissimam, & Insignia Episcopalia; ab alijs item per universam Navarram Prælatis, non sine magno incolarum plausu, & festa populi gratulatione. In Officio prætereà Ecclesiastico, & ritualibus sacris descriptus, & in publicas tabulas relatus *Sanctus Franciscus Xaverius Primarius, & Unicus Navarræ Patronus*: ac eo honoris titulo ubique affectus. Nec quicquam de hujusmodi nomine, vel dignitate detractum immutatumvè fuit Anno 1642. occasione decreti Urbani VIII.: quo Summus PP. dierum festorum numerum restringit, ac præcipit ut dies Primarij cujusque Regni, aut Provinciæ Patroni festus habeatur: imò tum maximè confirmatus; nam Pompeiopolitanus Episcopus eo ipso anno diem Sancti Xaverij, tanquàm Unici, & Primarij Navarræ Patroni, festum haberi jussit à Christi Fidelibus, & ab operibus servilibus abstinere.

Ijs sic de communi omnium consensu, & solemnibus Ordinum suffragijs receptis, & stabilitis, procedente tempore fortitèr sese opposuerunt Pompeiopolitani Cives, & magnas per utramque Vasconiam turbas excitarunt: affirmabant enim Sanctum Firminum Episcopum, & Martyrem à multis

jam sæculis Navarræ Patronum esse Unicum, ac Primarium: nec sine illius præjudicio, vel injuria Patronum creari posse Xaverium; eoque Tutelaris titulo, & dignitate potiri. Multis, sed nullius ferè momenti rationibus sententiam suam probare, & statuere contendebant; satis enim constabat Sãctum Firminum Urbis solùm Pompeiopolitanæ, ejusque Diœcesis habitum semper fuisse, non verò Regni totius, Patronum, idque ipsum antiqua, & constanti apud omnes traditione à maioribus ad posteros derivata, credebatur, quam magni nominis Scriptores sua authoritate, & commentarijs confirmabant. Accedebat quòd nullo unquam tempore ipsius Martyris dies anniversarius, ut festus de præcepto in universo Regno, tamquàm de Primario Patrono fuerat inductus, vel celebratus; neque in divino Officio, Horisvè Canonicis ulla inveniebatur de illius Patronatu memoria. Quibus certè argumentis convincebatur Pompeiopolitanos cives litem intentare rationibus destitutam, ac proinde causa cadere debuisse. Perstitere tamen firmi, & pertinaces in sua sententia pro Sancto Firmino Episcopo, non sine gravi dissensionum, & cædiũ periculo Cives; donec avocata ad Summum Pontificem causa, qui tum erat Alexander VII. excellenti probitate ac sapientia præsul, rem definivit, litemque, edita hujus tenoris constitutione diremit. *Ad sedandas*, inquit, *graves, & scandalosas contentiones magno cum publicæ quietis, & animarum salutis discrimine in Regno Navarræ jam diù supra Patronatibus Sanctorum Firmini Martyris, & Francisci Xaverij Confessoris excitatas, paterna charitate sedulò intenti, ac propterea considerãtes quòd Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E.Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum; nec non dilecti filij Capellani nostri, & causarum Palatij Apostolici Auditores re pluries matè perpensa, acritèrque discussa, probationes hinc, inde allatas neutri partium satis suffragari; immò in pluribus eas deficere cognoscentes; rem ipsam etiam cum ingenti partium earundem dispendio gravi eum incommodo nunquam, vel serò terminandam, indecisam dimiserint; motu proprio, non ad alicujus personæ nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ex speciali gratia, tum prædictis, tum alijs ex causis nobis tantùm notis, animum nostrum moventibus, Clero Seculari, ac Regulari, necnon Populo Pampilonensi, Universitatibus, totiusque*

Regni Navarræ harum serie injungimus ut quotannis tamquàm de Patronis æquæ principalibus dicti Regni ex præcepto Ecclesiæ recolant festa præfatorum Sanctorum Firmini Martyris, & Francisci Xaverij Confessoris; eorumdemque Officia, & Missas cum octavis æquè in posterùm recitent ac respectivè celebrent: non obstantibus, &c. Sic Alexander PP. in decreto edito Anno 1657. die 14. Aprilis, Pontificatûs anno secundo, quo publicæ Regni paci consultum fuit; & SS. Firmini, ac Xaverij honori, & gloriæ satisfactum.

Porrò Sanctus Firminus natus Pompeiopoli floruit imperante Claudio Cæsare: ab Honorio Tolosæ in Gallijs Episcopo consecratus Episcopus: Christi Fidem apostolico plenus spiritu in Gallia, & Hispania prædicavit, non sine ingenti animarum fructu: martyrium passus Ambiani VII. Kalend. Octobris, hoc est, 25. Septembris, circa annum 101. sub Trajano Imperatore. Sic ad me, dum Romæ versaret, scripsit vir doctus, & pius, datis litteris Pompeiopoli. Cæterùm Cardinalis Baronius in alia est sententia; *scribit enim in Notationibus ad Martyrologium Romanum VII. Kalend. Octobris passum fuisse Firminum imperante Diocletiano, Præside Rictiovaro; item primùm fuisse Episcopum Sedis Ambianensis, non verò Pompeiopolitanæ.* Non deerit qui rem accuratiùs exeminet: mihi enim ad alia properanti non licet in re tanti momenti diutius immorari, idoneis præsertìm libris ad veritatem indagādam, & assequendam in Lusitania destituto. Regnante in Gallia Theodorico, & Salvio Ambiani Episcopo, sacrū Firmini corpus inventum fuit cælestis lucis indicio die Januarij 13. ac tanta repentè vis caloris fuit in summo hiemis frigore, ut flores passim exorti, herbæque odoris suavissimi campos vestierint, & ornaverint. Quiescit in Basilica Urbis Principe, & à Christi Fidelibus piè colitur: partem corporis transferri præcepit in Cænobium S. Dionysij Rex Dagobertus, ut scribit Saussaius in suo Martyrologio Gallicano: caput verò in Conventu Minimorum Madriti asservari Lanovius affirmat. Festum Sancti E. & M. Pompeiopoli celebratur decima die Octobris.

Ambr. de Morales to. 1. Hist. Hispan. l. 1. c. 15.

Anonymus gente Navarrus.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. sub Episcop. Ambianens.

Hieron. Higuera S.I. in sua Hisp. m.s. fol. 48.

Jacob. de Voragine de SS. fol. 166.

Petr. Cabilon. in Topogr. SS. verbo Pampelona.

De Sancto Francisco Xaverio S.I. præstat silere, quàm pauca dicere: præsertim quia officij nostri non est Sāctorum Vitas, Actavè describere; sed de Patronis quà talibus agere; ac de causis illos eligendi Regnorum, Urbiumque Patronos: non-

nonnulla verò, ſi quando occurrunt ad rem nobis propoſitam, vel magis illuſtrandam, vel meliùs intelligẽdam idonea, levi ſaltem calamo delibamus. Conſulat pius, & curioſus Lector Vitam Xaverij ab Horatio Turſellino Societatis noſtræ Theologo elegantèr compoſitam ; vel à Joanne de Lucena, vel à Franciſco Garcia materna lingua deſcriptam. Illud ſilentio non committam quod ad rem præſentem maximè facit, & Xaverij in ſuos clientes patrocinium valdè commendat. Recuperatæ de Gallis hoſtibus Barcinonis, primariæ Urbis Cataloniæ, laudem Xaverij meritis, & precibus apud Deum, Hiſpani tribuerunt : triplex igitur Regni Navarrici Ordo, ut ſe beneficij accepti memorem, gratumque præſtaret Divino Numini, ſolemni inſtituta Supplicatione in tẽplum Societatis Pompeiopoli ivit, ibique ſacrificio Miſſæ ritè peracto, *Te Deum laudamus* in gratiarum actionem, modulatis vocibus de more Eccleſiæ cecinit, ut in magni momẽti rebus è voto ſuccedentibus, fieri conſuevit.

tamen la vat, [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Vita Xaverij [illegible]
Theologo [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Deus [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ptibus, [illegible]

AUSTRIA

VETERIBUS Pannonia Superior, post Caroli Magni tempora, Marchia, sive Limes imperij, adversus Hungaros hostes opposita, nobilissima Germaniæ Provincia ad Danubium fluvium Europæ maximũ, Marchiones primùm, Duces postea, Archiduces postremùm habuit, quibus hodie paret. Vienna Regionis Caput, Imperatorum sedes, Emporium celebre, Germanis incolis frequens, Italis, Hungaris, Bohemis, Slavis, & Polonis. Domus Austriaca pro Armis habet scutum rubrum, medium intersecante campum albi coloris fascia lata: in apice Archiducum pileus. Austriæ verò Insignia sunt, Alaudæ quinque libero volantes aëre. Imperatoris, quà Imperator est, Aquila nigra biceps, alis expansis, in aurea parmula, pede altero gladium, altero sceptrum tenens. Biceps depingitur, ut duplex Orientis, & Occidentis Imperium significet:

Lasius in Histor. Austriac.

Francisc. Guillimi de antiquit. & vera orig. gentis Austriacæ.

Picta biceps Aquila hinc occasum, hinc dum aspicit ortum,
Alter, ait, nostri est Cæsaris; alter erit.

Joan. de Bado y Aureo tract. de Armis p. 8. & 9.

Biceps est, scribunt alij, quia utriusque Romani Consulis (qui Aquilam pro signis habebat) potestas in Imperatorem translata fuit. Cuspinianus ex Suetonio, & Velleio Paterculo, quem sequitur Joannes Palarius in sua Monarchia Occidentali, sic ratiocinatur: *Quintilio Varo, imperante Augusto Cæsare, à Germanis circumvento, duæ captæ sunt Aquilæ, tribus legionibus cæsis; nam tertiam signifer legionis in paludem demersit, ne in hostium veniret manus: has Germani, loco Insignium, ad hæc usque tempora retinent: nec unquam, ut Parthi fecerunt victo, & occiso M. Crasso, eas Romanis reddere voluerunt; sed pro Imperij Insignibus, & avita victoriæ monumento conservarunt, ut canit his versibus Vlricus Huttenus:*

Spelmannus in sua Aspilogia pag. 36. & 38.

Joan. Palatius in Academia Patav. Doctor. lib. 1. Monarch. Occident. c. 6

Fustembergius Episcopus Paderbonens. in Monum. Paderbon. pag. 32.

Romanas acies miro Germania motu,
Quintiliumque ducem conciderit, unde birostra
Contigerint Aquilæ, traducti Insignia Regni.

Card. Bellarm. de Translat. Imp. Rom. lib. 1. cap. 7.

Horum sententiam Authorum, & Flavij Illyrici hæretici, qui eorum vestigijs insistit, jure impugnat Cardinalis Bellarminus de Translatione Imperij Romani: negat enim à Romanis Imperatoribus Aquilam pro Insignibus præferri ob duas Aquilas ab Arminio Germanorum Duce Vari legionibus detractas; non enim duas Aquilas pro Insignibus habent Imperatores, sed unam duobus capitibus insignem; eam scilicet ob causam, quòd Imperium repræsentet in duos Principes divisum; quorum alter in Occidente, alter in Oriente sedem habet.

Just. Lipsius in Analect. ad milit. Rom. dial. 11.

Dionys. Bonfant. in Triumph. SS. Sardin. l. 13. c. 22.

Baron. in Annal.

Castald. de Imper. tom. 5. q. 99.

Cæterùm Justus Lipsius existimat Aquilam bicipitem antiquiorem esse Imperij divisione: cùm Romæ videatur Aquila duobus capitibus insignis in columna Antonini Imperatoris: Calari verò, Insulæ Sardiniæ Urbe nobilissima, inventum fuit Anno Christi 1613. sepulchrum Luciferi Episcopi, insculpta cruce Primatiali brachijs tribus distincta, quam stellula coronabat: prodeuntibus ab ima crucis parte binis palmis victoriæ, & immortalitatis symbolis. Prope crucem visebatur Aquila biceps coronata. Floruit Lucifer multis ante Imperij divisionem seculis, uti pueris etiam abecedarijs notum est: obijt Anno Christi 371. Imò post divisum etiam Imperium, Castaldus affirmat, visum à se Henrici VI. Imperatoris privilegium Bononiensi Urbi, vel Academiæ concessum Anno Christi 1196. V. Idus Septembris, cum sigillo Imperatoris appenso, in quo Aquila visebatur, non biceps, sed cum uno tantùm capite expressa. Quod in sua item Aspilogia confirmat Henricus Spelmannus, producto in medium scuto Friderici II. Imperatoris in marmorea tabula insculpto Cœnobij Vvestmonasteriensis, inter Anglos valdè celebris, quod hujusmodi Aquilam spectantibus exhibebat.

Spelman. in sua Aspilog. p. 36. & 38

Aquilam potissimùm Cæsares sibi delegerunt, quia sicut Aquila omnium volucrum Regina dicitur; sic Imperator omnium Principum excellentissimus habetur. Pomum aureum, seu globus aureus, quo universi Orbis dominium designatur, Cruce aurea superinserta, pretiosis gemmis circumdatus, & ornatus, quem de more Recentiorum Imperatorum læva sustinet, Caroli Magni ævo incognitus erat. Primus illum

C. Baron. in Ann. Eccl. ad An. Christi 1013.

illum inveniſſe dicitur Benedictus VIII. Pontifex Romanus, eumque donaſſe Henrico hujus nominis Primo in Urbem venienti: dato Christianis Principibus documento, non debere mortalibus imperare, niſi qui eximijs virtutibus ſit ornatus, & ſacroſanctæ Crucis vexillo dignus. Subdit Glaber nobilis illius temporis Scriptor, miſſum protinùs ab Henrico globum ad Cænobium Cluniacenſe, quod tum maximè Religionis fama in Burgundia florebat, ut ſuæ pietatis in Deum, & in Monachos amoris pignus eſſet, & monumentum. His ſummatim delibatis, *Spelmannus in Apolog. pag. 38.* *Glaber Rodulphus lib. 1. prope finem.*

Auſtria à tempore Sancti Leopoldi Marchionis Patronũ habuit Beatum Colomannum, in Stocherau pago tribus milliarijs à Vienna disjuncto, martyrio affectum. Fuit is regia apud Scotos familia natus: neglectis deinde patriæ delicijs, peregrini habitu, cultuque aſſumpto, Hieroſolymam, religionis cauſa, petebat: ſecundo Danubij flumine delatus in Auſtriam, ac pro exploratore habitus, & comprehenſus; (flagrabant enim per id tempus bellorum incendijs Pannonia, Moravia, & Bohemia) exquiſitis primùm ſupplicijs tortus, mox de arbore ſuſpenſus eſt: quæ cùm eſſet ſterilis, & mortua, ſubitò læta fronde veſtiri, ornarique flore cæpit: miraculis poſt mortem clarus, cultusque magna vicinarum gentium pietate. Ita de illo cecinit Joannes Srabius carmine ſapphico: *Nicol. Avancinus S. I. in litter. ad me dat. Vienn. 16. Febr. 1667.* *Raderus in Bavaria Pial tom. 3.* *Surius tom. 5. Octob. 13.* *C. Baron. in Notat. ad Martyr. die 13. Octobr.* Auſtriæ Patronum *vocat.*

Auſtriæ Sanctus canitur Patronus
Fulgidum ſidus radians ab Arcto
Scoticæ gentis Colomannus acer
Regia proles.

Patroni titulo, & honori cauſam dedit religio populi ad ejus ſepulchrum perpetuò accurrentis; votis, & anathematis ſacram illius memoriam venerantis; eo præſertim tempore, quo Leopoldus Auſtriam gubernabat. Acceſſit, quòd in alterum annum patibulo ſuſpenſum corpus, annoque altero terræ mandatum non contabuit, ſed integrum prorsùs, & incorruptum permanſit. Ipſius etiam Leopoldi in Beatum Martyrem pietas eximia: ac demum, quòd arbor ipſa, in qua pependit, arida cùm eſſet, & mortua, ſubitò refloruit; eumque verum Chriſti Martyrem eſſe, & cum illo inter cælites regnare, tali oſtento declaravit. *Martyrol. III. Idus Octobris.* *Aventin. l. 5. p. 513.* *Chronic. Leopolds.*

Ab Anno 1663. Patronum etiam ſibi adſcivit Auſtria S. Leopoldum, idque ſtudio, & induſtriâ Sereniſſimi Archi- S. Leopoldus.

ducis Leopoldi, eodem mox anno defuncti: qui (rem egregiè promovente Ferdinando Imperatore) ab Alexandro VII. PP. Romano obtinuit, ut ejus natalis dies per universam Provinciam festus in posterùm haberetur. Causa, ut eligeretur Patronus, fuit, quòd illam, dum Marchionis munus, & titulũ gereret, pijssimè, ac prudentissimè gubernavit : unde & Pij cognomen adeptus est. Parentes habuit Leopoldum, & Itham Henrici Imperatoris Filiam ; uxorem verò Agnetem Henrici IV. item Imperatoris Filiam. In ipsa Danubij ripa octavo à Vienna lapide templum condidit Deiparæ Virginis situ, opere, ornatuque augustum. Ædificando locus templo cælesti quodam prodigio designatus, claram ad posteros famam conditoris, memoriamque transmisit ; nam cùm de illo fabricando secum ipse solus, & tacitus cogitaret, leniter spirans aura flammeolum Agnetis conjugis de capite ablatum in sylvam longè dissitam, cunctis videntibus, avexit : idque ipsum, novem post annis, à Leopoldo inter nemora, saltusque venante repertum est integrum, & illæsum : eo igitur in loco religione tactus Collegium condidit Canonicorum secularium ; quod tractu temporis ad Regulares transivit de consensu Innocentij II. Pontificis : extant ejusdem litteræ honoris plenæ, in quibus Leopoldum vocat B. Petri Apostoli filium : ejusque fidem eximiam cum pietate conjunctam valdè commendat : sanctissimam vitam sancta mors excepit die 15. Novembris, Anno Christi 1136. Catholicos Hispaniæ Reges in Leopoldum genus referre fusè, ac eruditè probat Joannes Tamaius Salazar in suo Martyrologio Sanctorum Hispanorum ad diem 15. Novembris.

Anton. Balinghem. S.J. in Kalend. Mar. die 15. Novembr.

Tamai. Salazar tom. 6.

Præter hos Divos Austriæ Tutelares, Ferdinandus III. Imperator in publicis Austriacæ gentis comitijs Viennæ coactis, unanimi omnium Ordinum consensu Deiparam Virginem sine peccati originalis labe conceptam Austriæ Patronam delegit : deditque operam, ut octava dies Decembris Conceptioni Marianæ sacra ritu non solùm festo, quod Ferdinandus II. ipsius parens olim decreverat ; sed jejunio etiam pridiano, alijsque religionis, & pietatis significationibus celebraretur. Ingentis prætereà molis columnam in maximo Urbis circo erigi præcepit, & statuam Beatæ Virginis æneam eidem superimponi : non sine magno Civium, & vicinarum Urbi gentium concursu, & gratulatione. Indicta illius dedi-

Gulielm. Gumppemberg. S.J. in Atlante Marian. pag. 181. sub Imag. B. V. Cellensis.

dicationi dies fuit decima octava Maij, Anno 1647. qua Cæsar ipse, Archiduces filij, Ferdinandus IV. Bohemiæ tunc, Hungariæ paulò post Rex inauguratus, Serenissima Maria Anna, Hispaniæ mox Regina, Sedis Apostolicæ Nuntius, Regis Catholici, & Venetæ Reip. Legati, cum universæ nobilitatis flore, & omnibus sacrorum hominum familijs, Cleroque Urbis linteato, in Societatis Jesu templum convenerunt: ibi solemni ritu sacrũ fecit Philippus Fridericus Episcopus Viennensis: dumque præ manibus sacrosanctam haberet hostiam, Cæsar ipse in genua provolutus, Deiparam Virginem, his cõceptis verbis, Austriæ Patronam, & Tutelarem elegit, ejusq; Conceptioni defendendæ publico se, suosque voto, & jurejurando obstrinxit: *Omnipotens sempiterne Deus, per quem Reges regnant: in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum: Ego Ferdinandus coram Divina tua Maiestate humiliter prostratus, meo, meorumque Successorum, & inclytæ hujus Provinciæ Austriæ nomine, Immaculatam Filij tui Matrem semper Virginem Mariam hodie in peculiarem Dominam, & Patronam hujus Archiducatus invoco, & assumo. Insuper voveo, ac promitto ejusdem Immaculatæ Conceptionis festum, quod cadit in diem octavam Decembris, in hac Provincia etiam jejunio pervigilio celebrandum. Te deprecor supreme Cœli, terræque Imperator, qui quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas, votum hoc meum, quod suggerere clementer dignatus es, benigno favore prosequere; atque ad protegendum me, domũ meam, populosque mihi subjectos dexteram tuæ Maiestatis extẽde. Amen. Die 18. Maij, Anno 1647. In Ecclesia Domus Professæ Societatis Jesu ante Aram maximam in manu Principis, & Episcopi Viennensis Philippi Friderici.*

His ritè peractis, Cæsar cum filijs, Episcopo, exterarum gentium legatis, viris Principibus, sacris Religiosorũ familijs, Urbis Clero, ad forum Urbis amplissimum se contulit: ibique Viennensis Præsul immanem illam columnam in medio erectam, & ænea B. Virginis statua coronatam Immaculatæ ejusdem Conceptionis nomine, tituloque dicavit, & solemnibus cæremonijs consecravit. Manet ad hanc usque diem, æternumque manebit præclarum id Virgineæ tutelæ, & Cæsareæ pietatis monumentum, quod nulla unquam delebit ætas, aut hominum oblivio, aut injuria temporum; non ulla hæresum pestis, aut hostium vis, incursusque prosternet. Stabit

bit Domus Austriaca, columnæ instar, Deiparæ nixa præsidio, Catholicæ religionis amans, armis potens, victorijs florens: nec minùs fœcunda prole, quàm Maiorum pietate, & B. Mariæ cultu celebris, famæ par, invidiâ maior, imitatione superior.

Illud hìc advertere oportet. Suæ aliquot antè annis protectionis erga Austriacos insigne dedit specimen Sanctissima Virgo. Inito quippe ad Nordlingam gravi, ac periculoso inter Germanos, & Suecos prælio; illorum ducibus Ernesto Bohemiæ Rege, & Ferdinando Hispaniæ Infante S.R.E. Cardinale; horum Gustavo Hornio, quem nos Holmiæ in Suecia benè novimus: quindecim, ut ferunt, Suecorum hostium millia à Germanis cæsa sunt, captus Gustavus, Nordlinga retenta, & servata: quæ laurea Mariæ adscripta Deiparæ; ipsique triumphus in Austria splendidissimus actus est, religiosa victorum Principum modestia, & pietate: quid enim gloriosius, quàm Mariæ ductu, auspicijsque pugnare, & simul vincere; & habere propitiam, quam ambit Cælum, terraque Patronam.

Joan. Busliers S. I. in Floscul. Hist. ad Ann. 1655.



SS. GALLIÆ PATRONI.

SATA sine numero Aurea lilia, in areola coloris Sapphirini, vetûsta erant Regum Franciæ Insignia per sidereum internuntiũ è Cælo Missa Regi Clodoveo hujus nominis Primo; cujus tamen clypeus liliorum triade insignitus visitur in Abbatia Jornevallensi: eamque Recentiorum esse Authorum sententiam scribit Tiletus, cum certo certius sit à Carolo VI. liliorum multitudinem ad triadem fuisse reductam in parmula gemmata splendoris Sapphirini: priorem enim Regum seriem à Philippo Pulchro ad Carolum VI. habuisse constat Scutum multis distinctum lilijs, nec ad certum numerum definitis. Quòd autem tria sint in stemma Galliæ lilia copulata, non sine arcani mysterij sensu factum credimus; nec inani munere, sed pleno, ac fæto rerum spe, & pignore maximarum. Alij significare volunt divisam in tres partes Galliam, Aquitanicam, Celticam, Belgicam: alij in tres Regni Ordines, sacrum nobilem, plebeium partitam: nonnulli in tres orbis partes Europam, Asiam, & Africam susceptas à Gallis expeditiones. Aptiùs quidam ni fallor, sentiunt tria linearũ stirpis regiæ Merovingicæ, Carolinæ, & Capetinæ adumbrari Capita. Nec ineptè diceret qui Sanctissimæ Trinitatis mysterium, & confessionem trium in una divina natura Personarum, quæ nostræ est summa Fidei, in Christianissimo Regno designari. His tamen omissis floribus ad institutum nostrum veniamus.

Silvest. Petrasancta S.I. in Tesseris gentilitijs pag. 468. & 475.

Genebr. in Chronograph. Ann. Christi 1377.

Vigenor. in Annot. ad Cæsaris commẽt.

Maced. in Propug. Lusitan. Gallico part. 2. c. 4.

S. V. Maria.

Multos Gallia Divos numerat Tutelares; in primis B. V. Mariam, cui primam in universo orbe Carnuti Ædem posuit non paucis antequàm illa nasceretur, annis *Virgini parituræ* di-

dicatam, Antiquorum Druydum speluncam fuisse memorant oraculis, & religione celebrem, quam sub terra, & super terram in formam templi redactam, & mirifico ampliatam ornatu veteres Christiani in Ecclesiam Cathedralem cōmutarunt, & miraculis illustrem redditibus annuis, rebusque alijs ad divinum cultum necessarijs abundè instruxerunt. Massiliæ etiam in ipsis Ecclesiæ nascentis exordijs Martha, & Maria Magdalene sorores, harùmque frater Lazarus templum Deiparæ Virgini posuerunt, cujus dedicationi interfuisse narrant Maximum Aquensium Episcopum, Trophimum Arelatensem, & Eutropium Arausicanum, qui Gallicanam Ecclesiam magna ex parte fundarunt. Jam tum Galli Matris Sanctissimæ servitio, & obsequio se devovere cogitabant, & in ejus se dare clientelam, erectis ubique Mariano nomine templis, excitatis aris, inducto ipsius cultu, & per universam regionem latè propagato; adeo ut nonnullæ magni nominis Urbes in Galliæ, quemadmodum in Oriente Constantinopolis, *Mariæ Virginis Urbes* communi sermone dicerentur: sic Carnutensis sub Metropolitana Senonensi; sic Rotomagensis Archiepiscopalis, Nortmaniæ Parlamenti sedes à Sancto Molone, primo illius Episcopo, sub Mariæ Virginis patrocinio constituta: sic etiam Lutetia Parisionum nulli secunda Urbium, vel omnium in Europa maxima, Magnæ Dei Matris nomine insigniri voluerunt, teste Abbone Monacho Floriacensi hujusmodi versiculo:

Andr. de Chesne in Antiq Carnutens. Sebast. Bollard. in Hist. Eccl. Carnut. cap.4. Euseb. Nierëb. S. I. in Troph. Marian. lib.1.cap.5. Cassan.in Catalog. glor. mund. part.12 consider. 20. Saussai. in Martyr. Gallican. Bozius de Sign. Eccles. l.9. c.9. August. Vvichmans in Brabant. Mar. lib.1.c.3.

Urbis in honore micat celsa sacrata Mariæ.

Divinus etiam Dionysius Areopagita primus Parisiensium Præsul, & Gallicæ gentis Apostolus nascentem in eadem Urbe fidelium Ecclesiam B. Virginis tutelæ, patrocinioque cōmisit, extructo in illius honorem templo *de Campis* vulgò nominato, in quo Sedem erexit Episcopalem, ut nonnulli viri docti existimant; vel, ut alij tradunt, Sanctus Savinianus, primus Senonensium Episcopus, & Magister, prædicandi Evangelij causa à B. Petro Apostolo in Gallias missus sacram Deiparæ Virginis Ædem exigi curavit, in qua posteà ipsius Antistites Episcopalem Cathedram collocarunt. Eamdem, decurrente tempore, Regum ac Præsulum Parisiensium munificentia cum pietate conjuncta miram in amplitudinem extulit, auxitque Canonicorum quinquaginta Capellanijs, seu Sacerdotijs, quam Metropolitanæ titulo, ac dignitate ornavit

Andr. du Chesne in Antiq. Parisiens. pag. 36. Sammarth. Fratres in Gallia Christiana sub Episcop. Parisiens. Jacobus Braulius de Antiq. Parisiensib. Michael Antonius Brand. in Lexic. Geograph.

Gre-

Gregorius XV. Romanus Pontifex, Anno Christi 1622. ut Ludovico Regi Christianissimo morem gereret.

Pervasit Galliam universam Deiparæ cultus, & studium Virgineæ clientelæ: ambire certatim populi Virginis gratiam; devovere se ejus obsequio; decantare noctu, diuque ipsius laudes; Patronam sibi adsciscere; templa in illius honorem extruere; sacella dicare. Repetiuntur in Gallia sex Metropolitanæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ titulo prænotatæ; Episcopales verò tres supra triginta, quas enumerant Sammarthani Fratres in sua Gallia Christiana, ut innumera alia minoris nominis templa omittamus per Galliam sparsa, quæ infinitum esset recensere: ex quibus satis constare videtur antiquam valdè, & singularem esse in tota Gallia Beatissimæ V. Mariæ tutelam ab ipsis Ecclesiæ Gallicanæ incunabulis deductam: meritò credunt viri pij ac docti à primis Gallicæ gentis Apostolis, & Fidei Christianæ Magistris Trophimo, Maximo, Eutropio, Martiale, Saviniano, Clemente, Memio, Ursino, Mansueto, alijsque Apostolorum discipulis pietatis fama clarissimis cum religione simul invectam esse in Gallias observantiam, & pietatem, ac ejus patrocinium Neophytis commendatum, ut sub illius umbra Christiano more viverent, & ad maternum confugerent præsidium, & tutelam; maximè cum adversùs eos persecutionis tempestas sæviret; vel ipsi publicis, aut privatis calamitatibus conflictarentur: neque enim Christus filius, ut Salvator humani generis annuntiari gentibus commodè poterat, nisi simul Maria Virgo, quæ Salvatorem mundi genuit, eisdem gentibus prædicaretur. Idcircò tot inter Gallos templa in honorem B. V. M. sunt excitata à primis Evangelij Præconibus, viris Sanctissimis, Trophimo, Arelate; à Martiale, in Aquitania; à Georgio apud Anicium in vertice rupis Poliniacæ; à Frontone inter Petrocorienses; à Saviniano, & Potentiano apud Senonenses; ut Lazarum omittamus, cum Martha, & Maria sororibus, qui sacram B. Virginis Ædem Massiliæ ædificavit: Carnutensem miraculis celebrem, & antiquitate venerabilem, de quibus suprà meminimus.

Andr. Saussai. in Martyr Gallican. die 15. Augusti.

Antiquiora hæc sunt à maioribus tradita, & communi populorum consensu recepta: recentiora in medium producamus; quibus certum hac ætate Mariani in Gallos patrocinij initium aperiemus, & nostris commentariolis illustrabimus

Cc mus

mus à Christianissimo Rege ipsi Virgini Sanctissimæ delatum. Ludovicus enim XIII. Anno Christi 1638. die Augusti 15. seipsum cum universo Galliæ Regno Augustissimæ Dei Matris Fidei, & tutelæ commisit; eamque in posterùm Gallicæ gentis Patronam haberi, & nominari præcepit. Extant ea de re litteræ, grati animi causa datæ à pijssimo Rege ob expugnatam Rupellam, ut Romæ audivi à viris doctis; cæterum Galli, rerum suarum magis periti, affirmant votum illud à Ludovico fuisse emissum non pro expugnatione Rupellæ, quæ contigit die 9. Octobris, Anno 1628. sed pro felici Reginæ partu; in lucem quippè editus Delphinus quinta Septébris, Anno 1638. à Deo datus Regem voti sui compotem fecit, & Galliam universam ingenti gaudio cumulavit; quæ litteræ, quia justo longiores sunt, & nonnulla continent, Deiparæ auxilio, à Catholicis adversus Hæreticos præclarè gesta, cæteris omissis, quæ instituto nostro minùs serviunt, illa in medium proferemus quæ rem nobis propositam comprobare videntur.

In Sanctissimæ, inquit Rex Ludovicus, *Dei Genitricis tutela nos præcipuè, regnum, subjectosque omnes reponimus, ut ita ejus Officijs, & Curiæ Cælestis ad authoritatem, & imitamentum, Sanctissimæ Trinitatis patrocinium acquiramus. Manibus nostris non satis castis, quæ offerant aliquid ipsius puritati credimus gratas hostias reddituros, quæ eamdem circumtulere: jureque maximò per quam beneficia divina in nos defluxere, per eamdem gratiarū nostrarum actiones offerri decet. Harum rerum causa declaravimus, ac declaramus præcipuam Regni nostri* Patronam Divam Deiparam, *assumendo, consecrare eidem ipsi nostrum caput, Regnum, subjectos: supplicantes ut Sanctum regimen doceat; Regnumque ab hostium incursu ea cura tuetur, ut vel turbido sæviente bello, vel pacifica exultante concordia, cui toto inhiamus pectore, non aberret à gratia ad gloriam semita: neu posteritas huic nostræ voluntati renuntiet. Extruemus ab integro principem Basilicæ Parisiensis Aram cum Virginis effigie filium complexantis sinu monumentum æternum hujus dedicationis nostræ; nosque ipsi ad pedes filij, ac Virginis Genitricis sceptrum, coronamque offerentes effingemur. Admonemus Dominum Archiepiscopum, ut quotannis die Virgini Assumptæ dicato pro sacrificijs solemnibus in sua Basilica hujusmodi nostræ declarationis memoriam, cui Societates omnes intersint cum Præfecto, atque Administratoribus*

Vrbis,

Urbis, quomodo solemniores supplicationes habentur; quod idem præstari etiam volumus in omnibus Ecclesijs tam Parochialibus, quàm Monasterijs ejusdem Urbis, suburbiorumque: necnon in omnibus Civitatibus, oppidis, ac pagis diæcesis Parisiensis. Simul exhortamur Archiepiscopos, Episcoposque Regni nostri, præcipientes etiam, ut eumdem diem in suis Basilicis, & Diæcesum Ecclesijs solemnem agant: volumusque ut similibus cæremonijs intersint Curiæ Parlamenti, Sodalitates maximæ, principesque urbis Administratores. Quoniam verò plures Basilicarum Patronam non habent, tali occasione exhortamur Archiepiscopos, Episcoposque, ut princeps ei Ecclesiarum sacellum dedicent, ea mente, ut eisdem ibi cæremonijs fungantur, extruantque Aram tanta re digno ornatu. Simul adhortentur omnes populos ad induendam Virginis pietatem singularem, implorandamque ea die opem, quò sub auspicijs tantæ Patronæ hostilia quæque machinamenta exulent à nostro Regno; ipsumque longa potiatur pace, ac Deum ita veneretur, & colat, ut nos, ditionisque nostræ subjecti finem illum Optimum Deũ felicitèr assequamur, ad quem conditi sumus, &c. Hucusque Christianissimi Regis decretum pietate, ac religione plenum, quo B. Virginem Mariam Galliæ Patronam declarat, ejusque diem in Cælum Assumptioni dicatam sacris lætitiæ significationibus ubique, sed Parisijs præcipuè celebrari præcipit. Non multis ab hac cõdita lege diebus uberrimum Ludovicus pietatis suæ, ac justi erga Cæli Reginam obsequij fructum tulit: nam post duos ferè ac viginti annos ab inito cum Anna Austriaca matrimonio, editus tandem in lucem est, felicissimo sub Mariæ sidere, singularique ipsius beneficio Ludovicus filius hoc nomine XIV. ut suprà diximus, omnium votis ardentissimè expetitus; qui rei Gallicæ modò præest domi clarus, foris gloriosus.

Cæterùm Ludovicus justus non tam in Galliam invexisse videtur Deiparæ Virginis patrocinium, quàm à multis jam seculis invectum cõfirmasse, edita in rem præsentem sanctione, ut paulò ante innuimus, cũ multi ante illum Reges ipsam Galliæ Tutelarem habuerint. Enituit inter alios pietate in Dei Matrem singulari Clotharius hoc nomine Secundus, qui magnificum in illius honorem templum Bononiæ excitari mandavit: non Bononiæ, quæ Civitas maritima est vicina Caleto, post excissam funditùs à Carolo V. Imperatore Teroanam Morinorum, Sede Episcopali ornata, ut opinatur *Sammarth. Fratres in Gallia Christian. sub Episc. Parisiens.*

 noster

Euseb. Nieremb. S. I. lib. 1. cap. 8.

noster Eusebius Nieremberg libro de Trophæis Marianis; sed Bononiæ, quæ pagus est amæni nemoris haud procul ab oppido Sancti Clodovei Parisijs proximo, in quo Dynastæ Gôdij villam habebant fontibus irriguam, silvis coronatam; quam posteà Serenissimus Galliæ Regis frater magno emit pretio; eam vetustis dirutis ædibus, magnifico ornavit palatio, consitisque ad voluptatem, ac delicias viridarijs longè nobiliorem, & amæniorem reddidit. Deiparæ Sanctissimæ fidei, ac tutelæ Clotharius Galliam impensè commendavit; decrevitque, ut sui in Regno hæredes, ac Successores B. semper V. Mariam Gallicæ gentis *Patronam, Dominamque* haberent; quod illi, procedente tempore, abundè præstiterunt.

Id certè *Patronæ* nomen factis implevit Virgo Deipara, & delatam sibi à Gallis Principibus *Tutelaris* dignitatem beneficijs innumeris compensavit: unum, aut alterum, ut dictis fidem adstruamus, levi calamo præstringemus. Philippus Augustus ab ineunte ætate sub Magnæ Dei Matris umbram, & patrocinium se recepit: ipsius effigiem in annulli gemma referebat expressam, ut Mariæ dulcissimæ memoriam ante oculos præsentem semper haberet, constaretque omnibus, quàm sibi cordi esset Sanctissimæ Matris amor, & veneratio. Decurrente tempore, Anno videlicet 1214. bellum Philippo intulit Otto hujus nominis IV. Imperator; ac belli socios sibi adscivit Joannem Angliæ Regem, & Ferdinandum Flandriæ Comitem, ut conjunctis simùl animis, ac viribus in Gallum pugnarent, eumque gravissimo belli pondere prorsùs obruerent. Is quamquàm viribus longè inferior, animum non despondit; sed fiducia vincendi in Deo reposita Divæ Virginis imploravit opem, ejusque tutelæ Gallorum exercitum commendavit. Inito propè Torna cum prælio Bovinensi, victi, fugatique hostes; Ferdinandus Comes captus, fortissimi quique hostium in acie pugnando cæsi; Otto in Saxoniæ latebras inglorius se recepit, ibique anxius curis paulò post præ mærore contabuit: nec Joanni Angliæ Regi melius: qui à Regni Proceribus exauthoratus est, Suffecto in ejus locum Ludovico Philipi filio. Fassi sunt hostes ipsi divina se magis virtute, quàm humana, victos fuisse. Victoriam Rex Augustus Patronæ Virgini acceptam retulit; idque ipsum universo Orbi testatum esse voluit, extructo prope Silvanectum in illius honorem templo *de Victoria* nominato, quod æternum foret

Kolven. in Kalend. Marian. die 4. Jun. Anton. Balinglem. S. I. in Ephemer. Mariana.

Ferreol. Locrius in Maria Augusta l. 4. c. 74.

Marraccius Lucel. de Regib. Marian.

Fr. Frãc. de Maced. in Propugnac. Lusitan. Gallico.

Galli-

Gallicæ pietatis, & partæ de pugnacissimis hostibus victoriæ monumentum.

Nunquàm tamen clariùs enituit Deiparæ in Galliam patrocinium, quàm sub Carolo VII. cum illa propior ruinæ, ac excidio fuit, ab Anno maximè 1419. patratæ cædis ceu à Joannis Burgundiæ Ducis, belli incendio injectum est oleum quod universam corripuit Galliam, eamque flammis involvit, ac penè consumpsit. Tenuit bellum triginta ferè annos nulla spe pacis, nullis induciis suspensum, aut temperatum. Tunc afflictam maximè Galliam Patrona clementissima recreavit; oppressam asseruit; amissam restituit; penè mortuam, ac sepultam suscitavit: paucis rem exponere operæ pretium erit. Henricus VI. Angliæ Rex Catharinæ matris jure fretus Regnum Galliæ repetebat; illud armis invasit; pronum, ac facile ad deditionem compulit, & magna ex parte occupavit, Philippi Ducis Burgundiæ opibus, auxilijsque subnixus: Lutetiæ Parisiorum solemnibus cæremonijs Rex inauguratus jura Gallis, legesque dedit. Carolus interim regio loco pulsus, & vi arcente in angulos Regni concedens, humanâ destitutus, divinam imploravit opem, ac Divæ Matris patrocinio ruentis, nedum nutantis imperij molem enixè commendavit: nec irrita spes orantis fuit, nec incassum fusæ ad Deum preces. Virgo pauperculam delegit virgunculam, *Joannam* nomine, rure natam, & ovium curam habentem, quæ Amazonem egit, & Astræam sexu, ac virtute referens, justitiam asseruit, & tractavit arma: rem gallicam penè collapsam erexit; Aureliam ab hostium obsidione liberavit; Anglos non semel vicit, victos ab insessis Urbibus expulit; Carolum Remos duxit ut sacro ibi oleo, maiorum de more, Rex inungeretur, & regni Insignia ritè susciperet. Præferebat Joanna in militari vexillo coloris candidi ex una parte intexta dulcissima Jesus, & Mariæ nomina, quorum auspicijs bella gerebat: Ex altera visebatur expressa Beatissimæ Virginis effigies ab Archangelo Gabriele salutatæ, in quam oculorum, & mentis aciem intendebat Puella antequàm iniret prælium, ejusq; auxilium ad superandos hostes multis precibus ambiebat. Itaque Angli devicti, Aurelia liberata, Remi capti; Regnum receptum, Gallia belli metu soluta, & paulò post pristinæ felicitati restituta, Virginiæ virtutis, & Mariani patrocinij fructus fuit; & divini Numinis Christianissimis Regibus de Cælo fa-

Andr. du Chesne de Antiquit. Gall.

Euseb. Nier. S. I. de Troph. Marian. l. 3. c. 86.

Pontus Eutherus in Philippo Bono Duce Burgund.

Ludovi. Morer. in Onomast. univers.

Joann. de Bussieres S. I. sub Carolo VII. Rege Franciæ.

Maced. in Propugn. Lusit. Gallic. part. 2.

faventis, argumentum. Debuit Carolus precarium regnum, gloriamque victoris Beatissimæ V. Mariæ Galliarum Patronæ, Laureatæ Virgunculæ manu tâti Regni molem, ne prosùs rueret, sustinentis; illudque miris modis ab interitu vendicantis. His etiam proximis ætati nostræ temporibus illato, Ecclesiæ Romanæ bello ab Hæreticis Hugonotis, gliscentibus inter Gallos Proceres discordijs, & publicæ pacis hostibus cuncta turbantibus, salutarem non semel Patronæ Virginis opem Gallia experta est: ab ipso enim duxit opes, animumque ferro: debellatis rebellibus; turbis compositis; Hæreticis, vel domitis, vel oppressis; extincta hæresi; religione asserta; renovato Sanctorum cultu; erectis aris; templis ad pristinam dignitatem restitutis; & divinorum usu Sacramentorum ubique inducto, & latè propagato.

Visitur Parisijs, antiqua Regum sede, maxima, & celeberrima Europæ totius Urbe, Basilica Cathedralis Mariæ Virginis titulo prænotata, situ, opere, & ornatu augusta, centum & viginti nixa columnis, altitudine paribus, structurâ firmis, basibus amplis: longa centum septuaginta quatuor passus; lata sexaginta; alta centum: sacellis pulcherrimis quadraginta quinque ornata: adeuntibus undecim patet ostijs: innumeris Sanctorum statuis summo artificio elaboratis Basilicæ corpus animatur: ad latera immensæ altitudinis assurgunt turres ingentibus campanis æreis instructæ: campanæ omnium maximæ *Sanctæ Mariæ* nomen impositum, ad quam impellendam, pulsandamque vix sufficiunt viginti viri viribus valentes: tranquillo tempore, ac sereno Cælo ad septem ferè leucas, (ut Galli ferunt) illius sonus auditur. Memini tamen, (ut id obitèr hìc interseram) me Romam petētem anno Christi 1651. à Serenissima Sueciæ Regina Christina missum, Erfordiæ, seu Erfurti, quæ Thuringiæ in Superiori Germania provinciæ caput est, audijsse à viris fidedignis, in principe ejusdem Urbis templo campanam esse, omnium quotquot sunt in Europa maximè vocalem, cujus sonus per aliquot milliaria germanica longissimè audiretur: mihi tamen citatis equis ad Urbem properanti per tēpus non licuit rem accuratiùs examinare: itaque fides sit penès authores.

Illud Gallicæ in Deiparam Virginem gentis clientelam, & pietatem valdè commendare, & illustrare videtur, facer videlicet, ac solemnis pulsandi sub meridiem ad Salutationem An-

Genebr. in Chronol. Ann. Christi 1471.

Angelicam campanas ritus à Ludovico XI. Rege Christianissimo inventus Anno 1472. & per magnam posteà Orbis Catholici partem propagatus, ut multi, & graves Authores opinantur; et si alij eum morem attribuant Callisto III. Romano Pontifici, ut fusè, ac eruditè scripsimus in nostra *Lusitania Infulata, & Purpurata* Parisijs edita. Sacro illo pulsandi campanas ritu per universam Galliam fuso, & ubique recepto, editoque sub meridiem campanarum sono, subditos sibi populos ad pietatem Marianam voluit Rex pijssimus excitare, eosque officij sui admonere, nempè Deiparæ Sanctissimæ illos esse clientes, ac ejusdem servitio addictos, ad quam proindè salutandam, colendamque ipsius memoriam illa religiosi obsequij significatione excitarentur: non defuturam Matris amori, & Patronæ officio Mariam V. præsertim si ejus cultum, & observantiam Galli non traderent oblivioni, sed cordibus altè impressam, & mentis oculis præsentem semper haberent. Hæc de B. V. Mariæ in Galliam *patrocinio* scripsisse sufficiat.

Gaguinus de gestis Francor. in Copend. lib. 10.
Meyerus in Annal. Flandr. Ann. 1472.
Ludov. Donius de Atticlis in Vita B. Joan. Vales. cap. 4.

S. Michael Arc. Galliæ Patron.

Sanctum etiam Michaelem cælestis militiæ Principem Patronum, ac Divum Tutelarem Gallia veneratur: hujus rei testes habemus Andream Saussai Scriptorem valdè eruditum, & in rebus sacris Galliæ apprimè versatum: Nicolaum Serarium, natione Germanum, insignem Societatis nostræ Theologum, & eximium Sacrarum litterarum Interpretem; & Cæsarem de Engenio, Italum, ut alios omittamus. Causam electioni dedit, ultra excelsam ipsius Archangeli in Cælo dignitatem, memorabilis ejusdem Apparitio in terris, regnante Childeberto Secundo, facta Beato Auberto Episcopo Abrincensi in edito montis vertice, qui *Tumba* vulgari sermone nominatur, Oceano circumfuso, & in altum ad sexaginta ferè cubitos assurgentis; ubi ipse Sanctus Episcopus divino monitus oraculo Beati Michaelis titulo templum condidit, religione maiorum, & fidelium peregrinationibus inclytum, Collegio priùs Canonicorum, deinde ijs amotis, Benedictinorũ Cænobio Monachorum Richardi primi ducis operâ instructum. Richardus secundus templum capacius reddidit, & augustius. Brevi loci religio, & miraculorum fama universam implevit, & excivit Galliam ad montem votis, & peregrinationibus frequentãdum, colendumque innumeris Christianæ officijs pietatis: Reges ipsi eò ventitare soliti, ac vota

Andr. Saussaius in Martyr. Gallicano die 16. Octobr. & 29. Septembr.
Nicol. Serarius S. I. in libr. Josue cap. 9. & 24. & lib. 4.
Cæsar de Engenio in sua Neapoli sacra pag. 675.
Andr. de Chesne in Antiq. Galliæ lib. 7. pag. 1017.
Sammarth. Fratres in Gallia Christian. tom. 4. pag. 640.
Robertus de Monte in Histor. Montis S. M.
Lucas Achenus in Hist. Abbat. S. Michael de Tumba.

solvere; necnon subditos sibi populos Beati Michaelis Archangeli patrocinio commendare. Ibidem convenere simul Ludovicus Gallia, & Henricus Secundus Angliæ Reges orandi, & feriendi inter se fœderis, & pacis causa Anno Christi 1158. Carolus item Primus Andegavensis superatis Manfredo, & Conradino hostibus, Neapolitani regni ditione auctus, Sancti Michaelis Ecclesiam Neapoli excitavit à *Bajano* dictam; vel nimia vetustate, ut scribunt alij, collapsam erexit, vel instauravit, Gallicæ memor Ecclesiæ in Tumbæ montis vertice erectæ; & Gallorum in illam Regum observantia, & pietate celebris. Inter quos maximè excelluit Ludovicus Undecimus causâ apparitionis Angelicæ propè pontem Aurelianensis Urbis, quam Ligeris fluvius alluit; ubi pugnantibus contra Anglos Francis Michael cælestibus instructus armis Cælo delapsus apparuit, illisque tantum terroris injecit, ut fuga sibi consulere, & obsidionem solvere coegerit, Rege tum Galliæ Carolo VII. Tanti beneficij memor ejus filius Ludovicus Equestrem Sancti Michaelis Ordinem instituit Ambasiæ anno Christianæ salutis 1469. eumque idoneis munivit legibus Plessij. Loco Symboli dedit Equitibus torquem aureum, quem aureæ conficiunt conchulæ inter se hærentes, vinctæ laciniolis, cum appensa bulla aurea, in qua visitur expressa Sancti Michaelis imago stygium proterentis draconem, eumque à Cælo deturbantis, hoc addito lemmate: *Immensi tremor Oceani.*

Michael Alfordus S. I. in Annal. Eccl. Anglosax. tom. 4. part. 2. pag. 87. Fevard. in Histor. S. Michaelis. Abrincens. Diœces. Gaguinus in Ludovico Undecimo. Mennenius de Ordin. Militar. pag. 169. Silvester Petrasan. S. I. de Tesser. Gentilit. pag. 608. Claudius Paradinus in Symbol. Heroic. Petr. Mattheus in Carolo VII. & Ludovico XI. Saussai. in Martyr. Gallic. 16. Octobr. Andr. Mendo S. I. de Ordin. Militar.

Caroli patris sui exemplo motus, cui pro tessera militari fuit S. Michaelis effigies, præsertim cum suæ inaugurationis solemnia ingenti omnium gaudio, & applausu, Rotomagi celebravit. Lata præterea lege sancivit ut generalia Ordinis Comitia in Cœnobio Tumbensi ad colendam ac refricandam cælestis genij memoriam statis temporibus haberentur. Magni ejusdem Ordinis Magistri sunt ipsimet Galliæ Reges, ejusque symbolum cum Sancti Spiritus symbolo jungere, ac præferre solent. Paucis ante annis cum multi vix nobiles se profiterentur esse Sancti Michaelis Equites, jussit in eos Rex diligenter inquiri; & qui nobilitatem non probassent, eos à Catalogo Equitum expungi. Hanc ob rem singulis annis certo ad id præstandum assignato die, conveniunt Equites in Conventum Carmelitarum Parisijs, ibique Capitulum cogunt, (ut vulgò dicunt) Ordinis statuta legunt; ac si in Or-

di-

dinem aliqui denuò cooptandi sunt, omnium suffragijs eliguntur post fusas ad Deum, & ad S. Michaelem preces: aliaque decernunt conservandæ, & promovendæ religioni consentanea.

Sanctissimum Christi Domini Præcursorem Joannem Baptistam Galliæ Patronum non semel appellat Andreas Saussaius, de quo suprà cum laude meminimus: & meritò Regnũ viris, opibus, armorum gloria, & quod caput est, religione, ac pietate in Deum maximum, Joannem sibi Patronum adscivit, *quo non surrexit maior inter natos mulierum.* De tempore, vel anno, quo incepit hujusmodi titulus, certò nobis constare non potuit: verosimile est antiquum esse, & ab ipsis Gallicanæ Ecclesiæ Patribus, & Magistris duxisse initium, à quibus ille cum fidei simul Christianæ mysterijs est invectus. Et magnum jam tum temporis erat Baptistæ nomen, celebris memoria, ut Annales sacros evolventi facilè constabit. Auctus successu temporum ejusdem cultus fuit, & Galliæ *Tutelaris honor* confirmatus occasione sacri illius capitis sub Pipino Principe ad Gallos allati, ut multi ac nobiles gentis ejusdem Historici litteris prodiderunt. Pars capitis Ambiani reposita, pars Angeliaci sub Santonensi Episcopatu, in templo magnificè extructo à Pipino Rege Aquitaniæ propter Vultonam fluvium, collocata. Dù Chesne, eruditus, & gravis Author, partem Capitis in Sancta Capella Regum (sic vocant) Parisijs asservari tradit; spatulam verò in Sancti Dionysij Basilica, suo satis nomine celebri, Saussaius affirmat. Idque certo certius esse multis, & firmis rationibus Galli probare contendunt; & Cardinali Baronio diem dicunt quod hac illos velit possessione exturbare, negetque in notis ad Martyrologiũ Romanum id Sancti Joannis Baptistæ esse, sed alterius Joannis Martyris: illud verò Romæ, excepto mento, reperiri, ostẽdique ad Sancti Silvestri in Campo Martio, ac ibidem à Romano Populo, & Fidelibus undique Romam confluentibus piè, & religiosè coli. Cum Baronio sentiunt multi viri docti, præsertim Giachetus Presbyter, qui peculiarem hac de re librum eruditè composuit; nec parum solidas ad suam sententiam comprobandam rationes adducit; quibus non leve pondus addunt nonnulla Sũmorum Pontificum diplomata: vetustæ in eodem B. Silvestri templo inscriptiones: traditio à maioribus ad posteros derivata, & communi Romanorum

S. J. Baptista.

Giachetus de Translat. Capitis S. Joannis Baptistæ.

con-

consensu recepta. Joannes prætereà Tamaius Salazar in suo Hispanorum Sanctorum Martyrologio, scribit partem Capitis Sancti Joannis Baptistæ asservari in Sacrario Reliquiarum Burgensis Ecclesiæ, quæ inter præcipuas Castellæ Ecclesias numeratur. Non desunt tamen Galli affirmare illud omnino se habere Angeliaci (indeque eadem Urbs patrio sermone vocatur, *Saint Jean d' Angeli*) & Ambiani, ut necesse sit illud caput aut multiplex esse, aut tamquam panes illos Evangelicos, & pisces in manibus portantium multiplicatum fuisse: nisi fortè quod in Borbonica clade milites non potuerunt efficere, à quorum rapina, & furore Moniales Sancti Silvestri caput averterunt; posteà pij aliqui, & religiosi viri perficere potuerint, ut sentit quidam è recentioribus Author. Sed longè antiquior est clade Borbonica, & Clemente Septimo, sub cujus Pontificatu illa contigit, Baptistæ capitis in Galliam ex Oriente, non Româ translatio, quæ singulari ibi pietatis sensu, & magno Fidelium concursu celebratur die 24. Februarij; ut scribit Saussaius, recentioris quidem ævi Author, sed antiquorum vestigijs insistens. Audiamus tandem Spondanum de hac re scitè, ac prudentèr ita disserentem in Epitome Annal. Card. Bar. ad marginem, Anno 1025.: *Diversæ Ecclesiæ*, inquit, *gloriantur de possessione Capitis S. Joannis Baptistæ: partem Cranij missam narrant à Constantino Copronymo Imperatore Iconomacho ad Pipinum Regem Francorum Aureliacensis cænobij cōditorem: In Ecclesia Sancti Silvestri Romæ pars altera Cranij visitur: Augustæ Prætoriæ in finibus sub Alpinorum: maxilla altera Lugduni. Ambiani verò facies, excepto mento à labro superiori usque ad partem frontis, asservatur. Certè pars illa, quæ Romæ visitur in Ecclesia Sancti Silvestri integrum Caput refert, excepto dumtaxat mento. Quare cum de his nil certum definiri possit, de eisdem dicere liceat quod olim Prætores Romani edicto proposito ijs, qui se rem alienam possidere affirmarent*: Possidete ut possidetis. *Laudanda verò pietas eorum, qui his sacrosanctis pignoribus cupiunt sibi peculiare tanti Præcursoris patrocinium adsciscere.* Id certò constare videtur, Baptistam inter primarios Galliæ Patronos recenseri; & ipsius memoriam ubique celebrem esse, & venerabilem: proprius tamen, & peculiaris multarum, & illustrium inter Gallos Ecclesiarum Patronus, & Tutelaris habetur; inter quas eminent Lugdunensis ad Rhodanū Urbs nobilissima; & Vesontio, seu Visuntium, in meditullio Comi-

Joann. Tamaius in Martyr. Hispan. to. 3. die 24 Junij.

Franc. de Maced. in Diatriba de Advētu S. Jacobi in Hisp.

Jacobus Severtius de Episc. Lugdun.

tatus Burgundiæ sita. Reliquas enumerat, si benè memini, Saussaius ad diem 24. Junij, quem Lector curiosus consulat.

Divis etiam Galliæ Tutelaribus adnumerantur Apostolorum Principes Petrus, & Paulus à tempore quod hominum memoriam excedit; eam, ni fallor, ob causam, quòd illos tamquam Patres, & fidei magistros agnoscit, ac veneratur; ad illam enim Evangelij doctrina imbuendam Paulus accessit; & aliò discedens nonnullos reliquit sui officij, & muneris successores: Petrus verò, cui universi Orbis cura; & communis ovium salus à Christo Summo Pastore demandata fuit, multos, & egregios pietate, & doctrina viros eo misit prædicandæ religionis causa, Martialem ad Lemovicenses, Tolosates, & Burdigalenses; Xistum, ad Remenses; ad Senonenses Savinianum; Julianum ad Cenomanenses; ad Catalaunenses Memium; Ursinum ad Bituricenses; Ruffum ad Avenionẽses; ad Claromontanos Austremonium; ad Xantonenses Eutropium; Georgium ad Vellaunenses; Frontonem ad Petracorienses; ad Tullenses Mansuetum; ad Metenses Clementem & ad Viennenses. Sanctus Paulus primum Arelatensibus dedit Episcopum & Apostolum Trophimum, de quo Zozimus Pontifex Romanus dixit: *Quem Gallia primum sensit Apostolum; & de cujus prædicationis fonte tota Fidei Christianæ rivulos accepit.* Narbonæ etiam primum instituit Episcopum Sergium Paulum olim Proconsulem, (quem ipse in Cypro Insula ad Christũ converterat, & lustralis aquæ fonte abluerat) dum per Gallias transiret; & in Hispaniam peteret: quemadmodũm & Parisiẽses Dionysium Areopagitam Pauli discipulum, primum se habuisse Pastorem, & Apostolum gloriantur à Sancto Clemente Papa in Gallias delegatum. Meritò igitur Galli cum Romanis dicere possunt: *Petrus, & Paulus ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Tot, ac tantis ad Galliam Fidei Christianæ mysterijs informandam missis Apostolis, non potuere non purissimos doctrinæ cælestis latices haurire, ac errorum tenebras, infusâ veritatis luce, dispellere. Decebat sanè primarium orbis Catholici Regnum ab ipsius Ecclesiæ Principibus de arcanis Evangelicæ Religionis mysterijs edoceri, nec alios habere Magistros, quàm ab ipsa Romana Urbe, & Sede Apostolica missos Episcopos, cujus procedente die, Galliæ Reges Defensores, ac Patroni esse debebant, ut acceptam ab illa Fidei doctrinam reddito

SS. Petrus & Paulus Apost.

Saussai. in Martyr. Gallican. die 29. *Jun.*

Andr. du Chesne in Antiq. Gallic. pag. 881. & 891.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian.

Hallier in Eccles. Hierarchia lib. 4.

Saxius in Histor. Arel.

Michael Alford. S.I. tom. 1. *Annal. Eccles. Britan. p.* 28

Eeee fide-

fidelitatis obsequio, & delato obedientiæ titulo compensarent. Sic Clodoveus primus Christianis jam sacris initiatus sibi statim, ac subditis sibi populis adscivit Patronos Petrum & Paulum Apostolos, & in ipsorum honorem excitari jussit templum in monte Parisijs proximo, à Sancto Remigio Episcopo consecratum, in quo etiam sepeliri voluit cum carissima sibi conjuge Clotilde, eximiæ pietatis, & excelsi animi Heroina, ut his conceptis verbis testatur Sanctus Gregorius Turonensis: *Sepultus est Clodoveus in Basilica Sanctorum Apostolorum, quam cum Clotilde Regina ipse fundaverat.* Idem confirmat Fredegarius Scholasticus. Procedente tempore, *Sanctæ Genovefæ* nomen templum illud accepit; propter ejusdem Sanctæ Virginis corpus ibidem sepultum, & miraculis innumeris celebre. Coronam item auream gemmis pretiosissimis distinctam ab Anastasio Imperatore Constantinopolis sibi dono missam Clodoveus hortatu S. Remigij Francorum Apostoli, religionis causa, ad Beati Petri Apostoli confessionem Romæ offerri jussit, eoque fidei, & amoris pignore oblato (ut Spondanus bene advertit), visus est oppignorasse Regnum suum in Ecclesiæ Romanæ præsidium, illudque supra firmam petram stabilire voluisse; ac se ipsum fidissimum Sancti Petri clientem profiteri. Ex quo satis constare videtur non tam Hormisdæ Pontifici, quàm Sancto Petro Patrono suo, coronam ab ipso Rege fuisse donatam, quam Galli Scriptores cōmuni vocabulo *Regnum* appellant: illaque religiosi obsequij significatione Apostolorum Principi exhibita, testatum posteris reliquit se Francorum Regnum, gentemque Apostolorum committere patrocinio; & illam Romanæ Ecclesiæ, ac Petri Successoribus ad præsidium, & tutelam offerre studuisse. Indè profectum ut Romanorum Pontificum defensio, & protectio Francorum Regibus jure quodam sacro, & quasi hæreditario à maioribus accepto, competere videatur, ut multis prosequuntur Cardinalis Baronius, & Spondanus, adductis Caroli Magni, & Ludovici Pij Imperatorum exemplis, ac ijs antiquiorum Principum Caroli Martelli, & Pipini Iunioris, qui se *Devotos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Defensores, & humiles Adjutores vocabant.* Supremum illud, & illustre Clodovei operum mortalium fuit: eo ultimum vitæ actum clausit, & coronavit, Summus Regum, pace egregius, pietate clarus, bello invictus, æternitatis æmulus. Igitur non immeritò quis affirma-

Andr. du Chesne in Antiq. Galliæ p. 42.

Joann. de Bussieres S.I. in Clodoveo Rege.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. tom. 4. pag. 467. & 403.

Fr. Franc. Maced. Lusit. in Propugn. part. 2. p. 276. & 277.

Anastas. Bibliothec. in Hormisda PP. Rom.

C. Baron. & Heric. Spondan. ad Ann. Christi 514.

mabit adscitos Galliæ Patronos fuisse Apostolorum Principes Petrum, & Paulum à primis Ecclesiæ Gallicanæ Patribus, & Episcopis, vel à tempore Clodovei I.

Horum vestigijs institere sceptri successores, Regnique hæredes Christianissimi, maximè Carolus Magnus, qui disertis non semel verbis affirmat se *Divi Petri Domini sui clientem esse*; hanc ob rem in Triclinio Leonis III. Romani Pontificis, quòd Eminentissimus Cardinalis Franciscus Barberinus pro singulari sua pietate, & innato sibi erga antiquitatem studio, vetustate penè consumptum Romæ in Palatio Vaticano reficiendum curavit; ex una parte visebatur Petri Apostolorum Principis imago opere musivo expressa Claves Ecclesiæ Pontifici tradens; vexillum verò militare (Confalonem Germani vocant) Constantino Magno Imperatori: ex altera verò idem Apostolus spectabatur donans Leoni Papæ orarium; & militare vexillum Carolo Magno coloribus rubro, & croceo alternatim distinctum: Vexillo certè tutelam, & defensionem, vel etiam victoriam designari exponunt sacrorum rituum periti. Adrianus PP. Claves confessionis Sancti Petri cum bellico vexillo dono misit ad eumdem Imperatorem, ut scribit Pithæus; & similitèr Leo III. ut refert in hujus Vita Ciaconius. Igitur Carolus Magnus, vel primus fuit S.R.E. Vexillifer, Protector, ac Defensor; vel à Constantino Magno secundus; qui ejus ditionem, jura, & dignitatem defenderet. Et licet Sanctus Sebastianus Martyr *Defensoris Ecclesiæ* titulo donatus fuerit à Caio Papa, sæviente Imperatorum persecutione, ac Ethnicorum furore cuncta turbante, *Defensoris tamen* Ecclesiæ nomen Carolus egregiè factis implevit, nam Romanam Ecclesiam à Longobardis hostibus rapinis, cædibusque fædatam, & gravissimo servitutis jugo oppressam armis victricibus liberavit, jus asseruit; pristinam illi dignitatem, & amissa bona restituit, seque Beati Petri fidissimum clientem esse rebus præclarè gestis ritè probavit. Ex ijs facile erit de reliquis conjecturam facere. Si quandò etiam in Ecclesiam hostium vis ingrueret, vel turbarum se daret occasio, præsentem laborantibus Pontificibus opem Christianissimi Reges, nulla interposita mora, ferebant. Ac ne in singulis recensendis multùm immoremur; quotiescumque Ecclesia, vel Romani Pontifices ab externis hostibus petiti bello

Durand. de Rit. Eccl. lib. 3. cap. 10. art. 10.

fuerunt, vel à Romanis Civibus turbis domesticis, & odijs intestinis vexati, ad Frācorum Reges, tamquàm ad tutissimum publicæ pacis, & sacræ religionis asylum, confugerunt: ab illis benignè suscepti, ditati, restituti nunquam non cum nova ditionis accessione Pontificiam dignitatem, & libertatem recuperarunt; & ad propriam sedem opibus aucti, authoritate asserta, domitis, vel oppressis, & pulsis ab Urbe hostibus, turbis compositis, salvi, & incolumes redierunt.

Ex ijs, quæ diximus satis constare videtur pijssimos Galliæ Reges perpetuos fuisse, & obsequentissimos SS. Petri, & Pauli Apostolorum Principum clientes; sibique gloriæ, & honori duxisse eorum tutelæ, patrocinioq; subesse, ipsorum cultum promovere, bona tueri, templa construere, memoriam æternitati consecrare. Argumēto sunt non paucæ intra ipsam Galliam Ecclesiæ Cathedrales Sanctorum Apostolorum nominibus, ac titulis prænotatæ, quas enumerant Sammarthani Fratres in sua Gallia Christiana, & Saussaius in Martyrologio Gallicano; quibus addes Trevirensem, & Coloniensem, primarias in Germaniæ Ecclesias; quæ ad Gallias olim pertinebant. Ac rationi, & religioni congruere videbatur, ut quos illæ Fidei Christianæ Magistros, modo à nobis supra relato, habuerunt, eos etiam Patronos in terris, & in Cælo apud Deum Advocatos, & Tutelares habere vellent.

Illud levi saltem calamo perstringere non omittam, quod referunt Belforestius, Duplexius, Bussierius, & alij magni nominis Scriptores de Beato Petro Apostolorum Principe. Ejus videlicèt ope, ac precibus apud Deum partam fuisse ab Philippo Augusto, Rege Christianissimo, de Ottone Imperatore, & fæderatis hostibus victoriam Bovinensem, de qua suprà mentionem fecimus.

S. Stephanus Protomartyr.

Apostolorum discipuli, à quibus Galli Evangelij doctrinam didicerunt, Sancti Stephani Protomartyris memoriam, & ubique celebrem, & venerabilem reddiderunt: nec pauca in illius honorem templa, arasque sacrari curarunt. Galliæ *Patronum* esse Saussaius testatur: multas in eodem Regno Ecclesias Sammarthani Fratres enumerāt in sua Gallia Christiana Sancti Protomartyris nomine insignitas. Beatus Martialis in Tolosanam maximè urbem, ac provinciam Stephani cultum invexit, itaut primam Tectosagum Ecclesiam in Occitania Superiori de illius nomine dixerit, ac ejusdem Proto-

Andr. Saussaius in Indic. die 24. Junij: & in Catal. SS. die 3. Augusti, & in Supplem p. 1176.

mar-

martyris sanguine consecrarit. Asservatur etiam nunc in exigua phiala sanguis ille, & magna à Civibus religione colitur. Sacri illius corporis Inventio ineunte Augusto cum octavâ celebratur: & Reliquiarum ejus translatio septima die Maij: Ita scribit R. P. Claudius Maltrete Societatis Jesu in litteris ad me datis Tolosæ 6. Augusti Anno 1667. Ire per alias Gallicanæ gentis Ecclesias fastidium lectoribus afferret: aliquot ex ijs recensere sufficiat Vesontinam scilicet in Burgundia Metropolitanam, quæ pro Insignibus habet Aquilam Sancti Joannis Evangelistæ, & brachium Sancti Stephani Protomartyris à Placidia Augusta sibi dono missum: Lugdunensem ipsi B. Protomartyri, & Divo Alpino prius dicatam; postea verò Deiparæ V. Mariæ, & Sancto Joanni Baptistæ, cujus potissimùm titulo, & patrocinio gloriatur. Parisiensem item in illius honorem consecratam fuisse memorant, & Sanctissimæ simul Virgini Mariæ. In opere verò, quod Andreas Saussaius composuit *de gloria Sancti Andreæ Apostoli* advertit, initio quidem illius Ecclesiæ Patronum fuisse Sanctum Stephanum, idque publico testimonio confirmasse Ecclesiæ ejusdem Canonicos, in quadam piæ litis causa congregatos Anno Christi 1331. Arelatensem præterea Galliæ Narbonensis Urbem ad Rhodanum fluvium vetustam, & nobilem, Archiepiscopalem, Moguntinam denique in Germania, quæ posteà novo ædificato templo à Villigiso Archiepiscopo in honorem Sancti Stephani, Beatum Martinum deinceps Episcopum, & Confessorem Patronum sibi desumpsit, & Titularem. Nonnulli Galliæ Reges singulari pietatis sensu Divi Protomartyris virtutes eximias, & Angelicam morum innocentiam admirati sacram illius memoriam sunt prosecuti; à quibus etiam concessum fuit Ecclesijs ipsius nomine prænotatis monetæ cudendæ privilegium.

Michael Antonius Baudrand. in Lexico Geographico.

Joan. Jacob. Chifflet. in sua Vesontione.

Serarius de reb. Mogunt.

In discipulos igitur Apostolorum, & primos Evangelicæ prædicationis præcones meritò referimus Sancti Stephani in Francorum gentem patrocinium; quam sententiam confirmasse visus est Sanctus Dionysius Areopagita ædificato Parisijs primo S. Protomartyris templo, si fidem adstruimus Andreæ du Chesne, & Anonymo Authori, quòd à *Græcis* vulgari nomine appellarunt. Dionysij fundatoris causa in Græcia nati. Jam tum scilicet divinus ille Theologus, & egregius Ecclesiastes Stephani in Gallos tutelæ, & patrocinio præludebat,

cumque extructa in tertiis Æde, Patronum, & Advocatum apud Superos habere ambiebat: quem posteritas, aucta in singulos annos Christi religione, & Sanctorum cultu propagato, ac innumeris ab invicto Martyre beneficijs cumulata, inter cælites elegit, in cujus se daret clientelam; cujus opem & favorem in publicis calamitatibus imploraret.

S. Dionysius Episc. & Mart.

Sanctus Christi Martyr Dionysius antiquus ac Primatius Galliæ Patronus habetur: Athenis terræ natus; Parisijs Cælo datus: ubi nobilissima florebat Græcorum Academia, vixit; ubi Athenæ sunt Gallicæ Latinorum, obijt: In monte Martis olim Areopagitam egit: in monte Martyrum Parisijs proximo pro Christi Fide sanguinem fudit: rescissum gladio caput manibus proprijs corpus truncum ad duo fere milliaria portavit: quemadmodùm S. Ursicinus Ravennæ, S. Lucianus Bellovacensium Præsul, & Remensium S. Nicasius; Sancti etiam Martyres Tuscianus, Victoricus, & Piatus: S. Adalbertus Pragæ Episcopus; S. Egmegdius Asculanus; S. Gemulus apud Gannam, agri Mediolanensis pagum; S. Domninus Miles; S. Justinus Ambianensis; S. Proculus Bononiensis; S. Ceraunus apud Carnotenses; Apud Moguntinos S. Albanus; S. Laurianus Hispalensis Episcopus, & S. Lambertus in Hispania Martyr; S. Eliphius apud Surium; S. Oelbertus in Brabantia; S. Regulus; S. Adalbaldus B. Mauronci pater: S. Savinianus; S. Miniates Florentiæ; S. Germanus Episcopus Vesontinus; S. Saturnina V. & Martyr in agro Arelatensi; S. Juthuvara apud Capgravium; S. Valeria Virg. & Martyr, quæ truncatum gladio caput in manibus Sancti Martialis Aquitanorum Apostoli reverenter deposuit. Sex etiam Martyres è Sacro Prædicatorum Ordine, quorum corpora Tolosæ quiescunt: Sancti Ursus, & Victor, & alij Thebææ legionis Socij truncati capitibus, hæc ipsa manibus excipientes Ariolam fluvium propè Solodunum, nobilem in Helvetijs Urbem transierunt, & ex altera fluminis ripa in genua flexi tamdiù orarunt, donec molliter in terram, dormientium more procumberent, ibique sepulti miraculis coruscare, non desinunt: & ne ultra Galliam excurramus, & ad primos illius Apostolos redeamus, supradictis Martyribus addere possumus Sanctum Aphrodisium Biterris in Occitania inferiore egregium Evangelij præconem, cujus corpus truncum abcissum gladio caput ad duo fere milliaria detulit, & in téplo sui no-

Hieronym. Fabri in Memor. Sacr. Raven. p. 1. pag. 8.
Ferrar. in Catal. SS. Ital. die 19. Junij.
Serar. de reb. Mogunt.
Salazar in Mart. Hisp.
Surius 16. Octobr.
Molanus in Indic. SS. Belg.
Aubert. Mir. in fastis Belg. & Burgund. die 4. Junij.
Sauss. in Martyr. Gallic.
Martyr. Anglic. die 23. Decembr.
Kolven. in Notis *ad Chronic. Balderici.*
Chifflet. part. 2. Vesontionis c. 12.
Joann. Bouchet in Annal. Aquitaniæ.
Andr. du Chesne in Antiq. Galliæ p. 783
Gulielm. Baldesan. in Hist. SS. Thebæorum Martirũ.
Michael Alfordus S. I. An. Christ. 740. pag. 551.
D'Andoque in Histor. Occit.
Saussai. in Martyr. ad diem 9. Octobr.

nominis collegiali sepultum magna Fidelium pietate colitur. Boetius avulsum sibi caput utraque manu sustinuit, & ad vicinum templum portavit. Sic habent Annales Ecclesiæ Ticinens. & Martianus in ejus Vita. Pluribus supersedeo, ut ad Dionysium revertamus.

Non alium Gallia Patronum maiori pietatis sensu, & religionis studio veneratur, tamquàm Magistrum, & Apostolum, à quo Lutetia Parisiorum prima Fidei Christianæ rudimenta didicit, & Cathedram Episcopalem accepit Beatissimi Martyris, & Episcopi sanguine consecratam: inde arrepta à Gallis occasio illum sibi Tutelarem adsciscendi, qui maximè honoris titulus Clodoveo primo regnante, post victoriam Tolbiacam confirmatus est: Ita se res habuit: Alemánis cum suo Dandato Rege vicina populantibus loca, & cognati Regis Sigiberti Franci, qui Coloniæ Agrippinæ regnabat, ditioni imminentibus, conjunctis cum eo animis, ac viribus se opposuit Clodoveus. Alemáni & multitudine, & fortuna, & præsentia Regis freti in aciem descenderunt: Ad Tolbiacum Ubiorum pugnatum: vix ullum atrocius, aut periculosius fuit prælium fortissimis Regibus, ac populis ex odio, invidia, & contentione pugnantibus. In medio ardore certaminis Sigibertus genu saucius rem Francicam debilitavit: ea parte Alemánus invehi acriùs cæpit: inclinata Francorum acies fluctuare, turbari, tumultuare, Alemánorum econtra erigi, confirmari, instare. Jam Franci cedere, & incumbentis hostis mole premi; tantum non fugere. Hoc in discrimine, re propè desperata, Clodoveo strenuissimè repugnanti in mentem Dionysius venit Francorum Apostolus, & intentis in Cælum oculis, ab eo auxilium postulavit, magnis in hunc modum exclamans vocibus: *San Deniz mon Jove*: vel, ut alij scribunt: *San Deniz mont Joye*: idest *Sancte Dionysi, mi Jupiter*: Ethnicorum more locutus, nondum enim erat Christianus; quem ut supremum Deorum Jovem adorabat: vel, ut alijs placet: *Sancte Dionysi lætitia, & spes mea, mihi laboranti, ac belli mole penè oppresso, opem feras*: His verbis auxilium à Superis impetravit: additi Franco animi; Alemáno adempti: côversa belli fortuna; deplorata Francis victoria explorata momento fuit. Rege Alemáni occiso, penitùs profligati, & Clodoveo dediti; victoriâ opportunè usus, hostium regionem aggressus defensoribus destitutam facilè subjugavit, eamque suæ ditionis

Fr. Franc. Maced. in Propugn. Lusit. Gal. part. 2.

Andr. du Chesne in Antiquit. Galliæ.

Cassiod. epist. 24.

Joan. Molanus in Indic. Sanctorum Belgij. Bolland. & Hensch. in Actis Sanctorũ die 6. Februar. Ludovicus Mor. in Onomastico univers. Gallico. v. Clovis I.

fecit. Extat illustris hujus victoriæ memoria in litteris Theodorici Gothorum Regis apud Cassiodorum. Onustus devictarum à se gentium spolijs cùm rediret in Galliam Clodoveus, à Vedasto, viro sanctissimo, Fidei Christianæ præceptionibus imbutus, & miraculis confirmatus, Remos venit à Sancto Remigio denuò instruendus, & sacro fonte lustrandus; & qui anteà suis ad strenuè pugnandum fuerat Imperator, postea baptismi lavacro Christo regeneratus, ad credendum Apostolus cæpit esse. Iraque insignis de Alemãnis hostibus victoria, & Clodovei ad Christianam Fidem conversio Dionysij Francis oppitulantis opus, & fructus fuit; eumque deinceps Rex ipse singularem sibi, & communem Regno universo Patronum habere, voluit, vel confirmare: & in publicis rerum bellicarum causis Adjurorem, ac Tutelarem; cujus proinde effigiem in vexillis gerebat expressam, cujus nomen assignabat Francis pro tessera militari; cujus memoriam in imis præcordijs altè infixam habebat. S. Dionysij invocatio ad hanc usque diem scripta apparet in tessera gentilitia Regum Galliæ, vt videre est in Scuti gentilitij libro Delphino Serenissimo Ludovici XIV. filio dedicato; prælongæ etenim Hastæ appensum visitur Galliæ Scutum, in cujus summitate depictum legitur hoc lemma: *Mont Joye Saint Denys.*

A Clodoveo igitur manasse videtur ad posteros Francorum Reges invocandi Dionysij nomen mos solemnis in prima adversus hostes impressione, ejusque auxilium implorandi, ut victores evadant, præsertim usque ad Carolum VI. & Carolum VII. quo regnante ferunt Joannam Pucellam Aurelianensem, de qua supra meminimus, post illustria in bello edita facinora, fractasque Anglorum vires, ab ipsis tandem hostibus captam, ingenuè fassam esse Beatum Dionysium pugnanti sibi opem non semel tulisse, cui illa, seu Gallicæ gentis patrono multis ante mensibus gladium suum ritu solemni dicaverat, cum galea simul, & cæteris ornamentis coram Carolo Rege, & multis Galliæ Dynastis dum Parisijs versaretur. Antiquo etiam, & sacro Francorum more solitam esse in bellicis congressibus contenta voce ingeminare: *Saint Diniz mon Joye*: & præsentem illius opem exposcere, ut patriæ hostes acie superaret, & occupatas ab ijs arces, urbesque Anglorum servitute oppressas in pristinam libertatem assereret.

Andr. du Chesne in Antiq. Gall. pag. 203.

Joann. Chastier in Hist. Carols VII. a fol. 481. Genebr. in Chron. lib. 4. p. 580.

In more etiam positum erat apud Christianissimos Galliæ

Reges ut ad bella procederent nonnisi petita prius certa quadam verborum formula eundi facultate à Sancto Dionysio, Regnoque ipsius curæ, & patrocinio commendato, à Carolo Magno, ut piè creditur, inventa, & Successoribus tradita, in hunc modum: *Domine Sancte Dionysi à vobis nunc abeundi facultatem peto, Franciamque vobis committo, ut illius secundùm Deum, curam, & tutelam capiatis.* Extatque hujusce rei constitutionem tradit Belforestius. Magnus igitur Imperator Carolus Dionysij Patrocinio fretus Saracenos in Hispania, Longobardos in Italia, Saxones in Germania fudit, fugavitque, & victricia ubique circumtulit arma cum signo Crucis conjuncta, eumque cum duobus simul Socijs Rustico, & Eleutherio commilitonem in prælijs habere voluit, ut legitur in vetusto codice Sandionysiani Cœnobij his conceptis verbis: *Carolus Magnus cum bellum adversùs Saxones mirabili industria administraret, sui præsentia, Fardulphum Sancti Dionysij Abbatem inter alios, qui ad ferendum pondus prælij, & gentis audaciam comprimendam evocati undique confluxerunt, contigit accessisse. Hic sacra Beatorum Martyrum pignora secum ferri jussus, fecerat & custodes Clericos, qui secum proficiscerentur, uti eis vicissim succedentibus debita exhiberetur religio, delegaverat.* Lupoldus etiam Bebemburgius in libro, de Zelo veterum Principum Germaniæ, scribit, Carolum Magnum in Concilio congregato apud Basilicam Sandionysianam Monachorum Benedictinorum, omnem Franciam Ecclesiæ Sancti Dionysij subjecisse, legemque tulisse, ut quilibet possessor unius domûs quatuor nummos annuatim daret ad ipsam Ecclesiam ædificandam.

Andr. Saussai. in Martyr. Gallicano.

Author Anonymus in m. s. codice Cœnobij S. Dionysij.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. tom. 4. pag. 332.

Ludovicus Pius pro suo ergà B. Martyrem studio singulari, Carolum Patrem imitatus, diligentem navavit operam, ut quotquot extabant conscripti ab ipso Dionysio libri è Græcia ad se mitterentur: commendavit etiam Hilduino Abbati, viro pio, ac industrio, ut illius vitam, & martyrium mandaret litteris: quod is egregiè præstitit in suis Areopagiticis: (id enim nomen imposuit operi à se conscripto.) Carolus præterea Ludovici filius Occidentalis Franciæ Rex, (scribit Aimoinus ad Annum Christi 840.) præsentem Beati Martyris opem expertus est in bello adversus Danos, & Noruegos, (alio nomine, Nortmannos) suscepto, Galliam universam magnis bellatorum copijs invadentes, & cuncta ferro, flam-

Jacob. Doublet Sancti Dionys. Monachus p. 1313.

Sammarth. Fratres to. 4. Gall. Christiana.

Aimoinus ad Ann. 840.

 mis-

misque vastantes. Ingentem Carolus exercitum, quem hostibus opponeret, comparavit; sed petita priùs, more maiorũ, à Macario Dionysio, (ut loquitur Aimoinus) bellandi licentia; regnoque ipsius tutelæ commisso, & Cænobio Sandionysiano salutato; ut in suis etiam Annalibus refert noster Alfordus ad Annum 846.

Rigordus de gestis Philippi Regis Augusti.

Philippus Augustus dum venationi per montes, saltusque vacaret à socijs vasta quadam in solitudine ab omni prorsùs hominum commercio sejuncta, desertus, in extremum venerat vitæ periculum: humana destitutus ope, B. Dionysio Frãcorum Patrono se multis cum lacrymis commendavit: vix finem orãdi fecerat, cùm à quodam rustico sibi prorsùs ignoto, qui repentè sibi ante oculos comparuit, viarum perito, in vicinum pagum salvus, & incolumis deductus est. Iterùm cum bellum adversus Angliæ Regem appararet, jamque uterque exercitus in conspectu esset ad prælium ineundum promptus non procul à vico *Eiselduno* nomine: Sancti Dionysij precibus apud Deum, evenit ut Rex Anglus, divino instinctu motus, ad Philippum se repentè contulerit, eique homagium spontè præstiterit ratione Ducatûs Normandiæ, & Comitatuum Pictaviensis, & Andegavensis, quos beneficiario jure possidebat. Philippus Patrios reversus Sancti Dionysij Basilicam, grati, & religiosi animi causâ, supplex invisit, suoque, & Galliæ Patrono quàm maximas potuit, grates egit, ac dona obtulit regia pietate, & munificentia digna.

Joann. Chastier in Hist. Caroli VII. pag. 323.

Ludovicus VII. Philippus Augustus, Ludovicus IX. in Sanctorum fastos posteà relatus, Philippus Audax sacro se bello ad recuperandam Hierosolymam devoverunt, & Christianæ expeditionis duce, & auspice Dionysio eò navigarunt. Alij ante illos, & post illos Reges eumdem imitati morem, cũ de inferendo Galliæ, vel religionis hostibus bello cogitabant à Sancto Dionysio ad illos debellandos auxilium deposcebãt, & Regnum ejusdem tutelæ, ac patrocinio commendabant.

Fr. Franc. Macedo in Propugn. Lusit. Gallic. p.2. Gallic.

Illud in rem nostram maximè facit, quod narrat Cardinalis Baronius tomo duodecimo Annalium ad Annum Christi 1125. ex Sugerio Abbate Sancti Dionysij. Henricus hoc nomine IV. Imperator schismaticus collecto è varijs, & bellicosis gentibus exercitu, in Gallias infestis signis agitabat animo irrumpere, urbemque Remensem vi capere, captam diripere, direptam flammis tradere, eamque funditùs exscindere

C. Baron. in Annal. Eccles. ad Annum Christi 1125.

movebatur ob coactum in illa concilium sub Callisto Pontifice Romano, qui in illum excommunicationis sententiam tulerat, & justæ indignationis fulmen contorserat. In his rerum angustijs Ludovicus Rex Galliæ, & Ecclesiæ Romanæ Defensor (Sugerij verbis utor) quoniam B. Dionysium specialem Patronum, & singularem post Deum Regni Protectorem, & multorum relatione, & crebro cognoverat experimento, ad eum festinans tam precibus, quàm beneficijs præcordialiter pulsat, ut Regnum defendat, personamque suam conservet; hostibus solito more resistat: & quoniam ab eo habent prærogativam, ut si regnum aliud Regnú Francorum invadere audeat, ipse Beatus, & admirabilis Defensor cum Socijs suis, tamquàm ad defendendum, altari suo superponatur; quod præsente Rege fieri solet tam gloriosè, quàm devotè. Rex autem illum ab altari suscipiens, tamquàm à Domino suo, parva manu contra hostes, ut sibi providere velit, & cum tota Francia sequatur, potenter invitat. Favit pijs Ludovici precibus Dionysius, & Galliam suo cómissam patrocinio egregiè tutatus est: panico namque Henricus pavore correptus in Germaniam fugienti similis, & inglorius se recepit, dilapsis huc, illuc militibus, eodem pariter terrore perculsis. Gallus incruenta potitus victoria, invicto Christi martyri, gentis Gallicæ Tutelari, victoriam acceptam retulit: ingentem etiam è marmore columnam in loco maximè conspicuo erigi præcepit, æternum accepti beneficij monumentum. Addit Sugerius rem scitu dignam de subsecuta statim morte Imperatoris juxta maiorum in Gallia traditionem multis comprobatam exemplis. Exploratum quippè est, quòd quotiescumque Sacræ B. Dionisij; ejusque Sociorum Reliquiæ palam in sua Basilica Fidelium oculis, ac venerationi exponuntur ad grave aliquod infortunium, quod Francorum capitibus impendet, avertendum, ille ipse author, & artifex infortunij intra unius anni spatium omninò moriatur, ut ipsi etiam Henrico evenit intra annum mortuo, decimo Kalédas Junij, nulla relicta prole Imperij hærede. Benè igitur Hincmarus Remorum Episcopus in Epistola ad Carolum Calvum Imperatorem, Dionysium vocat non tantùm Galliæ *Patronum*, sed *Patrem*, quòd paternam suorum habeat Francorum curam, ac eorum bono, & saluti consulat.

Auriflammæ item vexillum suo satis nomine celebre, quod

P. Franc. Aluardo in Propugn. Lusit. Gallic. parte.

Jacob. Gretser. S. I. in Comment. Codini Curopal. l. 3. c. 6.

Petr. à Sancto R-munld. in Thesauro Chronologico, & Histor.

Joinuilla in Vita S. Ludovici.

T. ... pars. 1. fol. ... 11 ...

quod ab auro intexto, & fulgurante, innato quodam, additis è cælo radijs, splendore, dictum memorant, hic describere non erit à proposito alienum. Rubri coloris fuisse tradit Andreas du Chesne, totum aureis liliorum floribus conspersum de Cælo dono datum Regi Clodoveo, cum sacro est fonte ablutus, ut nonnulli Authores existimant; de quo ita noster Gretserus: *Vexillum*, inquit, *Sancti Dionysij Gallicè, Oriflambe, quod Reges Galliæ summa religione secum in expeditiones educebant*. De sepulchro B. Dionysij, & Sociorum Martyrum soliti erant Fracorum Reges illud certis cæremonijs assumere, eoque ad bella gerenda adversus Fidei, aut Regni sui hostes explicato alacres, ac læti procedere, seu divina muniti virtute, seu certo quodam victoriæ pignore confirmati. Id factum militiæ vexillum esse, ac vulgò dici *Sancti Sepulchri* multi asserunt à Patriarcha Hierosolymitano ad Carolum Magnum dono missum, quod alio nomine *Sancti Dionysij signum* appellatur. A Joinuilla, & Froissardo *Supremum Regis vexillum* dicitur. Henricus Spelmannus Scriptor Anglus sic appositè in rem nostram loquitur in sua Aspilogia: *Auriflambum, seu Vexillum Sancti Dionysij sacrum quodammodò apud Francos esse constat; ideoque in Ecclesia S. Dionysij religiosè custoditur: id Francorum Reges ex antiqua consuetudine cum in hostē copias educunt, ab altari Sancti Dionysij solemni humilitate, jejunijs, & lacrymis impetratum, tutelæ symbolum deportabant, & in prima acie à præstantissimo delatum collocabant; quod, ut scribit Rigordus, videntes adversarij, & cognoscentes, territi plerumque terga dedere*. Illud sic carminibus suis describit Armoricanus Poeta loquens de Philippo Audace adversus Ottonem prælium apparante;

At Regi satis est tenui crispare per auras
Vexillum simplex cendato simplice textum
Splendoris rubei; letania qualiter uti
Ecclesiana solet certis ex more diebus;
Quod cum flamma habeat vulgariter aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa praire:
Quod Regi praestare solet Dionysius Abbas
Ad bellum quotiès sumptis proficiscitur armis.

Asservari illud apud S. Dionysium, indeque ab ipsismet Regibus in bellicos usus extrahi, ac primùm à venerabili ejusdē Cœnobij Abbate institutis in rem cæremonijs benedici, & in re-

Fr. Franc. Macedo in Propugn. Lusit. Gallic. part. 2.

Jacob. Gretser. S. I. in Cōment. Codini Curopal. l. 3. c. 6.

Petr. à Sancto Romuald. in Thesauro Chronologico, & Histor.

Joinuilla in Vita S. Ludovici.

Gaguinus in Clodoveo.

Tiletus part. 1. sub Annum 1190.

regias manus tradi constat: quippè quod fertur Ludovicus Crassus olim à Sugeri Abbatis manu accepisse, ac expottasse, iterùm reduxisse, & solemni ritu consignasse. Non desunt qui opinentur à Sancto Ludovico cum primùm in Syriam expeditionem suscepit, ultra mare traductum sacris mansisse bellis destinatum; nec nisi adversus Infideles usui fore debere, ex eo apparet quod fama vulgavit illud quod à Carolo VI. contra Flandros productum est, è vexilliferi (is etat Hutinus Daumontius) manibus evanuisse. Summa, qua colitur, religio maius quiddam quàm pro humano habendum persuadet: nonnisi uni è Principibus Galliæ viris tradi solebat; nec is nisi animo ritè expiato, & sacra communione refecto accipere, ne impuris manibus contrectaretur, quod Superum pignus esse judicabatur. Quanti esset nullo alio meliùs argumento apparet, quàm quod Illustrissimus Andreani Dominus Arnaudus Dandemehenius Carolo V. Rege Galliæ Polemarchus (Marefchallus vulgò dicitur:) ea voluit dignitate carere, ut Vexilliferi Sandionysiani officio potiretur. Alij Authores id factum tribuũt Galliæ Mareschallo Arnaldo de Endenehem sub eodem Carolo V. qui Rex obijt Anno Christi 1380. Non pauci, ut ejus religionem tollant, & observantiam minuant, narrant in eo prælio, quod à Philippo Pulchro apud Marsium contra Flandros commissum fuit, captum, & discerptũ perijsse: nam in ea expeditione sacrum illud vexillum prælatum non est, sed aliud ad speciem Aureflammei compositum militibus ad pugnam accendendis idoneum, quemadmodum gravis, qui illi interfuit prælio, Author testatur. Alij post Caroli V. obitum nunquàm amplius in aciem prodijsse hujusmodi vexillum rationibus probare contendunt, quas expendere nostri instituti non est. Verũ, sive Auriflámeũ è Cælo Clodoveo Regi dono datum fuerit; sive Carolo Magno à Patriarcha Hierosolymitano missum; sive à Dagoberto Rege inventum, ut nonnulli putarunt; sive à S. Ludovico susceptum cum de gerendol bello sacro, & recuperanda Hierosolyma cogitabat, constat apud omnes Sancti Dionysij vexillum esse, dicique solere, quod in ipsius templo, seu quid humano maius asservaretur; & de ipsius altari, prævijs quibusdam cæremonijs factis, assumeretur, sub cujus umbra, ductuque potentissimi Francorum Reges tamquàm Duces à Deo electi contra hostes Fidei, & Ecclesiæ bella gerebant; ac eo no-

Chron. Sandionys.

Andr. du Chesne in Antiq. Gall. cap. 9. pag. 212.

Rigordus de gestis Philippi Augusti pag. 186. edit Pithoei.

Fr. Franc. Maced. in Propugn. Lusit. Gall. part. 2.

nomine sacram, & sanctam eorum militiam esse ; & plenas Christiana pietate expeditiones.

Cæterum inter omnes Francorum Reges valdè excelluit studio, & pietate in Dionysium, ejusque Socios MM. Dagobertus primus, quòd illorum ope intentatam sibi à Clotario patre necem effugerat: accepti igitur beneficij memor, rerum jam potitus ad extruendum SS. Martyribus templum regia pietate, & magnificentia dignum totum se contulit ; eo ipso in loco, quo Catulla fæmina pia sacellum erexerat condendis illorum corporibus accommodatum secundo ferè lapide à Lutetia Parisiorum; de quo Aymoinus templo, antiquus, & sincerus Author, ita scribit: *Templum eis condidit universis, quæ in Gallia tum temporis erant, excellentius templis; nullumque impensis statuens modum; marmoreis illud columnis, similique venustavit pavimento, immenso ædificandi sumptu, & exquisito fabricatum decore. Nec minor illi in alijs quoque ornatibus intentio: nam vestibus auro textis, & pallijs holosericis totum interiorem circumdedit templi ambitum ordinem psallentium, sicut apud Sanctum Martinum Turonis, nec non apud Sanctum Mauritium Agaunis agebatur, inibi instituit: Sacras etiam Martyrum exuvias capsa aurea inclusit unionibus pretiosis, & margaritis ornata, Sancti Eligij, qui posteà Noviomensis fuit Episcopus Sanctitate, ac miraculis celebris, opera ad id usus, & industria. Memorias solido auro, & varij splendoris gemmis decoravit: superiorem apsidem totam purissimo vestivit argento, ut traditur in gestis ipsius Dagoberti Regis: Hucusque Aymoinus.* Sugerius posteà magni nominis Abbas (floruit is regnante Ludovico VII.) templum instauravit eo schemate quo nunc visitur Crucis speciem referens; pedes nonaginta supra trecentos longum, latum centum, altum octoginta, columnis, seu pilis ingentibus sexaginta nixum, plumbeis laminis contectum, vitreis fenestris ad excipiendam lucem, idoneis in locis apertis, conspicuum, de quo præstat silere, quàm pauca dicere. Illud Summi Pontifices Romani multis munierunt privilegijs; & Christianissimi Galliæ Reges annuis proventibus, & redditibus opulentis dotarunt. Asservantur in thesauro Sācti Dionysij (sic vocāt) Corona, Sceptrum, Paludamentum, & reliqua Insignia; quæ Remos asportari solent cùm Reges solemnibus cæremonijs inaugurantur, ut meminerint B. Dionysij se clientes esse, & sub ejusdem patrocinio sceptrum gerere. Hic etiam Galliæ

Aymonius lib. 4. Hist. Francor. c. 33.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. tom. 4.

Re-

Regum, ac Principum mausolea visuntur opere augusta, structura mirabili, sumptibus immensis erecta; relicto mortalibus documento Dionisij dum in vivis essent, se fuisse clientes; & abjectis ad sacram illius memoriam corpusculis, servos etiam in æternum fore.

De ijs apposité Andreas Saussaius in opere, quod composuit de *Gloria Sancti Andreæ Apostoli*: *Galliæ Reges*, ait, *templum augustum Sancto Dionysio Galliæ ipsius Patrono, & Apostolo non procul ab Urbe regia posuerunt, apud quod ipsorum cadavera sepeliri voluerunt, ut à quo receperunt Fidem, apud Deum etiam commendationem ad consequendum in cæleste regnum ingressum promererentur.* Nullum augustius, aut sacratius, aut magnificentius Sandionysiano templum in universa Gallia reperitur, ipsis etiam hostibus immanitate barbaris, idolorum superstitioni deditis venerabile: Nortmanni quippe Lutetiam Parisiorum armorum vi captam, ac direptam injecto igne incenderunt, una tantùm excepta Basilica Urbi proxima Sancti Dionysij, quam integram prorsùs, & intactam reliquerunt. Angli etiã occupata maiori ex parte Gallia jure belli, & Parisiorum Urbe valido militum præsidio ab ijs benè munita, non à diruenda solùm S. Dionysij Basilica abstinuerunt, sed turrim firmam, ac præaltam ad illam ab injurijs defendendam excitarunt: &, quod magis mirabere, superiori seculo, grassante per universam Galliam hæresi, & ingentis incendij more cuncta depascente, unam illam Sancti Dionysij Basilicam flamma non attigit, quod ingentis miraculi loco haberi debet. Terrebat scilicet tanti Patroni Sanctitas ipsos etiam religionis hostes, & à tam tetro facinore patrando avertebat.

Illud denique hujus Sacrosanctæ Basilicæ dignitatem valdè commendat, & summam loco venerationem conciliat, quòd ab ipso humani generis Assertore Christo divinis planè ritibus fuit consecrata: nam cùm Episcopus Parisiensis cum alijs simul Episcopis illam sacro, & consueto more inaugurare vellet; jamque omnia in promptu essent, & innumeri ex omni sexu, atque ætate mortales, spectandi sacras cæremonias causa, Parisios convenissent, contigit, ut præcedente destinatum inaugurationi diem nocte, ipse Dei filius, Rex simùl & Summus Pontifex candidissimis indutus vestibus, multis Angelorum millibus comitatus, nec non Sanctorum Apostolorum, & Martyrum coronâ cinctus Cælo delapsus Basilicam

Jacob. Dublet in Hist. Cænobij Dionys.
Martyr. Benedict. ad die 24. Januar.
Ferreol. Locrius in Maria Augusta lib. 3. cap. 55.
Andr. Saussai. p. 1.
Martyr. Gallic. die 24 Februar.
Robert. Gaguinus lib. 3. de gest. Francor.

Bellovac. in Speculo lib. 24. c. 36. Kolv. in Kal. Mar. p. 2. die 14. Septebr.

ingressus, illam cælesti splendore repleverit; & suavissimo odore afflaverit: mox sanctissimis, & pulcherrimis cæremonijs, administris Apostolis, consecraverit; quod Insignia Crucium parietibus impressa, consueto Ecclesiæ Romanæ more, satis probarunt: & quod palmare esse videtur, quidam leprosus, qui nocte illa intra Basilicam forte remanserat, totius rei inspector, repente sanus evasit, cui Summus Pontifex Christus injunxit, ut totius rei gestæ seriem Episcopo, alijsq; sequenti die ex ordine prorsus referret, ac redditæ sibi sanitatis miraculo dictis plenam, & indubitatam Fidem adstrueret. Habita narranti Fides est; & Basilicæ consecratio firma, & rata ad hanc usque diem perseverat.

Dubravius Episc. Olomuciens. in Vita S. Vvolfang. Episc. Herman. Cotractus in Chron. Anno 948. Canis. de B. V. M. l. 5. c. 24. Fr. Bonav. Olgiatus in Hist. hujus Consecr. Ann. 948. Fabri part. 1. pag. 386. Carol. Saussai. Vvichmans in Brabant. Mar. lib. 2. cap. 14. Alford. Ann. 529. C. Baron. Ann. 604. Aldred. Abbas in Vita S. Eduardi Regis. Malmesb. de PP. Londinens. lib. 2. Ferrer. in Catal. Episco. Vercellens. Jacob. de Voragine in Vita S. Germ. Antisiod. Episc. Silvest. Petras. S. I. p. 2. Thaumasie. Notitiæ Universalis de Catal. cap. 3. Saussai. in Martyr. ad diem 24. Febr.

Sic Pragæ in Bohemia (ut hæc obiter curiositatis gratiâ præstringamus) Ecclesiam Cathedralem; sic cellam, seu Ædiculam S. Meinardi inter Helvetios; sic templum S. Michaelis in monte Piscariano; sic Sanctæ Crucis Ecclesiam Aurelianensem in Gallia; sic Ecclesiam in Belgio Lascensem propè Bruxellas; sic in Anglia Glastoniensem Deiparæ Virgini dicatam Christus dicitur consecrasse: ut omittamus Basilicam Ravennatem à Sancto Joanne Evangelista Pontificis habitu, & tiara ornato sacratam, ut scribit Fabri in Sacris Ravennæ Memorijs: & Sancti Petri Apostolorum Principis templum à Sebetro Britanniæ Orientalis Rege Londini extructum, ab eodem Apostolo ritu cælesti initiatum: Mellitus certè ea tempestate Episcopus Londinensis ex Anglia Romam venit ad Bonifacium IV. Pontificem Maximum, ut inter alia magni momenti negotia, illud etiam in Romana Curia discuteretur, num scilicet legitima, rataque haberi deberet illa templi Londinensis consecratio? Vercellensis item Ecclesia à Sancto Germano Antisiodorensi in Gallijs Episcopo ad Superos jam translato sacris dicata est cæremonijs, ut Fidem impleret, quam oppignoraverat, dum in vivis esset, Sancto Albino ejusdem Ecclesiæ Præsuli. Barcinone in Catalonia templum Sancti Michaelis Angelorum arte, & industria excitatum Servator humani generis, miro quodam modo consecravit. Eadem ferè ratione contigit, ut Sancti Dionysij Basilica non ab alio quàm à Summo omnium Cōditore, & Pontifice cælestibus dicaretur cæremonijs, ac eo item titulo ad summum dignitatis apicem evecta inter cæteras illius florentissimi Regni Basilicas emineret velut inter ignes

lu-

luna minores; ejusque divinæ inaugurationis dies festus per universam Galliam à Fidelibus haberetur.

De Beati Dionysij corpore gravis inter Gallos, & Germanos lis agitatur: id enim apud se habere existimabât Ratisbonenses sub Metropolitano Salisburgensi; quibus litem adjudicavit Leo IX. Pontifex Romanus, edito ea de re diplomate, & tomo tertio Conciliorum inserto, in quo declaravit S. Dionysij corpus, excepta minima parte manus dextræ, in Monasterio S. Emerani Ratisbonæ asservari: & jubet Gallis, ut eo demisso, corporibus SS. Rustici & Eleutherij sint contenti. Nec ij tamen desistunt à contentione, & vehementiùs, & acriùs, & justiùs quàm antea pugnabant, modò pugnant, probantque illud apud se habere traditione Maiorum, firmissimis rationibus, authoritate, & multorum numero Scriptorum, codicibus vetustis m. ss. & inscriptionibus antiquis: quam nos sententiam libentèr amplectimur. Fatemur tamen B. Martyris, & Episcopi manum auro inclusam, & gemmis ornatam dono missam fuisse à Carolo Simplice Galliæ Rege ad Henricum Germaniæ Imperatorem, vetusti fæderis, & perpetui inter utrumque Principem amoris; & pacis pignus ut ipsi Fidei Catholicæ hostes testantur, & Vitikindus citatus ab Alfordo Societatis nostræ Scriptore in Annal. Eccles. Anglosaxon. ad Annum Christi 929. Hæc de Sancto Dionysio Primario Galliæ Patrono dicta sufficiant. (De industria prudens, & sciens abstinui ab illa celebri hac ætate controversia *de utroque Dionysio*: consulat curiosus Lector si velit, Authores Gallos, quos ad manum non habeo in Lusitania.)

Fr. Franc. Macedo de Advent. S. Jacobi in Hispaniam. Michael Alford. S.I. in Annal. Eccl. Angl. ad Ann. 929.

Sanctus Martinus Episcopus Turonensis pietatis, & miraculorum famâ clarissimus inter præcipuos Galliæ Patronos, & Divos Tutelares recensetur: de illo Saussaius ita scribit in Martyrologio Gallicano ad diem undecimam Novêbris ipsi dicatam: *Post Deiparam, & Apostolos, S. Martinum præcipuè Gallia veneratur.* Andreas du Chesne disertis verbis illum *Galliæ Patronum* appellat. Et quod caput est, Adrianus primus Rom. Pontifex Anno Christi 786. in diplomate, quo concedit Abbati Sancti Martini Turonensis, & ejusdem Cœnobij Monachis jus nominandi Turonis Urbis Episcopum, sic loquitur: *Adrianus Papa servus servorum Dei, Iterio religioso Abbati eximij gregis Sancti Martini* Patroni nostri. Sic appellatur etiam à Rodulpho Glabro, gravi, & antiquo Au-

S Martin. Episcop. Turonens. Confessor.

Andr. du Chesne in Antiq. Turon. fol. 503.

thore. Appositè in rem nostram D. Gregorius Turonensis: *Jam nostrum lumen exoritur; novisque lampadum radijs Gallia perlustratur; hoc est, eo tempore Beatissimus Martinus prædicare exorsus est, qui Christum Dei filium per multa miracula verum Deum in populis declarans gentilium incredulitatem evertit: hic enim fana destruxit; hæresim repressit; Ecclesias ædificavit; & cùm alijs multis virtutibus refulgeret, ad consummandum laudis suæ titulum, tres mortuos vitæ resuscitavit.* Hæc, quæ Gregorius recenset, beneficia, & miracula in causa fuerunt, ut *Martinus Galliæ Patronus* communi omnium consensu, & gaudio eligeretur.

S. Gregor. Turonens. lib. 1. Hist. Francor.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. tom. 1. sub Archiep. Turonens.

Ergo ad sacrosanctam illius memoriam Turonensem Fideles innumeri, ab ultimis etiam Galliæ partibus, religionis causâ, confluere, preces fundere, dona offerre, vota persolvere, illius se obsequio Reges, ac Principes devovere; annos à Sancti Martini obitu computate, feriatos dies indicere, & nundinas celeberrimas nominare: Turonensibus item concedere, ut *Martini* nomine, ac effigie monetam publicam cudere liceret; inde numi *Turonenses* dicti, per universam Galliam, & alias Europæ regiones usitati, à tempore, ut ferunt, Ludovici Pij Imperatoris.

Saussei. in Martyr. Gall. die 11. Novẽb.
Sammarth. Fratres to. 4. Gall. Christian. in Abbat. S. Mart. Turon.

Andr. du Chesne in Ducatu Turonensi pag. 502.

A Beati Martini obitu, vel paucis post illum annis, incepisse ipsius in Gallos *patrocinium* & *tutelam* jure suspicamur, cum statim Bricius ejus discipulus, & in Episcopatu Successor, ædiculam supra B. Episcopi memoriam, vel sepulchrum erigi curaverit, quam posteà Perpetuus quintus à S. Martino Turonis Episcopus, ampliavit, & augustiorem reddidit, teste Gregorio Turonensi. Post varias Barbarorum, & Hostium in Galliam irruptiones, & incendia pulchrior, & clarior pia Regum, ac Præsulum munificentia, & pietate, seu phœnix è medijs flammis, cineribusque enituit, ac surrexit: ex quibus certò constare videtur D. Martini memoriam post ipsius obitum celebrem valdè, ac illustrem fuisse, & sepulchrum ejus gloriosum. Clodoveus primus vixdum sacro ablutus fonte, & Christianis præceptionibus imbutus eò, pietatis studio incensus, ivit: ibi Legatos Anastasij Imperatoris Græcorum ad se missos cum regijs muneribus excepit, ut refert ex Anonymo illius temporis Scriptore Andreas du Chesne his verbis: *Clodoveus solemne Francis indixit; qui cum frequentes convenissent in Basilica Sancti Martini, semet muneribus Augustialibus* tu-

Odo Cluniacensis Serm. de Basil. Martini incendio.

Joan. de Bussieres S. I.

Fr. Franc. Macedo in Propugn. part. 2.

tunica scilicet blattea, chlamyde, & corona aurea pretiosis gemmis distincta, & ab Anastasio Imperatore missa, ornavit: quo die nullus pulchrior Franciæ post festum diem regenerationis Christianæ illuxit. Hanc Clodoveus auream coronam thoris distinctam, & apicibus insignem, ac gemmis ornatam ad B. Petrum Apostolorum Principem, uti suprà diximus, Romam dono misit, qua totius Ecclesiæ caput redimivit. Nec Martinus suo defuit titulo, & officio Protectoris cùm illius ope, & auxilio Clodoveus indiguit: suscepto quippè contra Alaricum Gothorum Regem bello, apud Turones in templo Sancti Martini ex apposito psalmi Davidici versiculo, seu vaticinio auspicium cæpit futuræ victoriæ: erecto igitur in certam spem felicis eventus animo hostem aggressus, Alaricum acerrimè pugnantem acie superavit, & manu propria interemit, ac spolia opima retulit. Confecto ex animi sententia bello, ad S. Martini templum se contulit, cujus precibus apud Deum victoriam ferebat acceptam. Clotildes etiam illius conjux, eximia pietate, & prudentia fæmina, marito mortuo, Turones se recepit, ibique laudabilitèr vixit, & sanctè obijt, meritis plena, clara miraculis.

Joann. de Bussiores S. I.

Ludov. Moreri in Onomast. univers. Gallic. v. Clovis I.

Nec silentio involvendus Carolus Martellus excelsi animi Princeps, & invictæ virtutis Heros, qui invadentibus Galliam Saracenis, eamque ingentibus bellatorum copijs igne ferroq; vastantibus, ad Martinũ Francorũ Patronũ supplex confugit, ejusque auxilio implorato, memorabilem de hostibus victoriam obtinuit; cæsis, cum eorum Rege Abderramene, trecentis septuaginta quinque millibus Barbarorum, paucis Christianorum militibus desideratis. Diagus in Annalibus Valentinis refert Abderramenem è prælio in Hispaniam fugientem à Vasconibus in Pyrenæis montibus interceptum fuisse, ac interemptum. Carolus Magnus Martinum Galliæ Patronum piè coluit, & illius templum Turonense non semel invisit, ibique instituit Collegium Canonicorum, qui divinis vacarent laudibus, & Martini memoriam celebrarent, quibus præfecit Alcuinum, magistrum suum, excellenti pietate, ac doctrina virum. Henrico etiam Rege Galliæ hujus nominis Primo, Gotifredus Fulconis Comitis Andegavensis filius injusto bello petitus ab Odone, & Stephano Trecensis Comitis filio, Sancti Episcopi Turonensis auxilio fretus, hostes, commisso prælio profligavit, & Stephanum captivum du-

Fr. Franc. Diagus in Annal. Valent. lib. 6. c. 4.

Alford. Societ. Jesu tom. 2. Annal. Eccl. Anno Christi 796.

Andr. du Chesne pag. 504.

Glaber in Hérico I

duxit. Multi præterea Reges Galliæ, ac Principes; necnon innumeri ex omni sexu, atque ætate mortales Sancti Episcopi opem,& patrociniũ in rebus adversis experti fuerunt. Testatur Monachus Sangallensis solitos esse Francorum Reges Sancti Martini pallium,seu cappam secum in bella ferre tamquàm victoriæ pignus, vel symbolum felicitatis. *Francorum*, inquit,*Reges propter cappam Sancti Martini, quàm secum ob sui tuitionem, & hostium oppressionem jugitèr ad bella portabant*, Sancta sua *appellare solebant*. Quod B. Gregorius Turonensis confirmare videtur libro sexto Historiæ Francorum,ubi scribit: *Solemnem Regibus morem fuisse Sanctorum Reliquias secum in bella ferre, quarum ope hostes debellarent*. Imò Beatus Rhenanus existimavit Auriflammeum vexillum, de quo suprà meminimus,idem esse ac pallium, seu cappam Sancti Martini, quam Reges Galliæ illius valdè studiosi secum ferebant in bellicas expeditiones ad implorandum ipsius parrocinium, & inflammandos militum animos ea ante oculos proposita ad strenuè pugnandum contra patriæ,ac religionis hostes: quémadmodùm Cruces, aliæque Sanctorum Imagines vulgò præferri solebant in exercitibus Principum Christianorum hastis prælongis appensæ,vel præfixæ, ut ab omnibus conspici à lõgè,vel adorari commodè possent, & earum aspectu milites discerent vincendi fiduciam concipere, eamque in uno Deo collocare. Fallitur tamen hac in re Beatus Rhenanus, cum satis constet Auriflammeum vexillum omninò diversum esse à S. Martini cappa, vel pallio.

Vualfridus Strabo de reb. Eccl. Cap. ult.

Theoph. Raynaud. S.I. to. 1. 7. fol. 211.

Baron. in not. ad Martyr. Rom. die 11. Junij.

Cæsar de Engenio in Neapoli sacra pag. 37.

Enituit potissimùm Sanctissimi Episcopi in Francos patrocinium sub Carolo VII. qui belli Anglici mole pressus, & humana destitutus ope, ad divina provocavit; ad Galliæ Patronum se recepit; nec irrita spes petentis fuit; Martinus *Patroni* nomen facis implevit: ruentem regni molem sustinuit, confirmavit, erexit, & ad pristinam felicitatem reduxit. Nec minor illi sub Ludovico XI. Gallicæ gentis amor, & cura fuit ipsius certè precibus, ac tutelæ Ludovicus partas de pugnacissimis hostibus victorias ferebat acceptas: Ecclesiam Turonensem pius invisit; memoriam ornavit; magni pretij dona obtulit. Héricus hoc nomine IV. (ut alios antiquiores omittã) cum Remensis Urbs ab hostibus staret, nec in illa consueto maiorũ more, Rex Galliæ sacro oleo de Cælo misso inungi posset, Carnutum, in qua tum morabatur Urbe, afferri

Andr. du Chesne in Antiquit. Galliæ. pag. 512.

Monstrel. in Ludov. XI.

jussit sancti olei ampullam, quæ Turone à multis jam seculis asservatur; eoque in regiam frontem injecto, Rex fuit Galliæ inauguratus in celeberrima B. Virginis Mariæ Basilica 27. Februarij, Anno Christi 1594. indeque Henricus in Deiparam, & Martinum singularem hausit pietatem, quos dum vixit clementissimos coluit Patronos, & Advocatos.

Joan. Bussieres S.I. part. 4. Hist. Franc. in Henrico IV. Rege.

Iraque Galliæ Reges cum subditis sibi populis S. Martini clientes esse, ac dici volunt: sub illius patrocinio vivere gloriæ sibi vertunt: Ecclesiam Turonensem *pupillam oculorum suorum* vocare solent, eamque sacra supellectili instruere, & redditibus opulentis dotare non desinunt, ut scribit Stephanus Tornacensis. *Abbates* præterea, & *Canonici Sancti Martini* appellantur; nec sacra hujusmodi nomenclatura regiam dedecet dignitatem, cùm maiestatem deceat Imperatoriam: Cæsares quippè tribus in locis institui consueverunt *Canonici*; scilicet Romæ ad Sancti Petri in Vaticano, ut meminerint *Fidei se esse, ac Romanæ Ecclesiæ Defensores*: & Aquæ grani, seu Aquisgrani Diæcesis Leodiensis Urbe in templo B. Virginis Mariæ à Carolo Magno extructo, ut illius se clientes esse, ac servos profiteantur. Coloniæ demum Agrippinæ Canonicorum Collegio adscribi sibi honori ducunt, & Custodum numero Capellæ Sanctæ trium Magorum Regum, quorum Corpora ibi quiescunt Mediolano translata, ut pro viribus nitátur eximias illorum virtutes imitari. Ad eumdem ferè modum Christianissimi Galliæ Reges in Sacrum Divi Martini Episcopi Collegium, vel Sodalitium cooptari in more positum est, ut excellentes illius virtutes sibi ante oculos imitandas proponant; curentque pro virili sub ipsius vivere patrocinio domi pij, foris gloriosi.

Hermannus Chrōbach. S.I. de tribus Magis Reg. tom. 3. lib. 3. c. 61.

Sammarth. Fratre in Gallia Christian. tom. 4. sub Abbatia S. Martini Tur.

BURGUNDIA

DUPLEX est hodie; una Ducatûs, altera Comitatûs titulo illustris: Galliæ Regibus illa patet, cujus Metropolis Divio Parlamenti sedes est à Ludovico Duodecimo ibi erecti. Comitatus communi sermone dictus *la franche Comtè*, ad Austriacos olim Principes pertinebat; postea ad Hispaniæ Reges, modò sub ditione est Christianissimi Galliæ Regis, ab Anno videlicet 1674. Dola Comitatûs caput supremo totius provinciæ Senatu inter reliquas excellit Urbes, & instituta à Philippo Bono Duce Burgundiæ Academia, omnium disciplinarum studijs florentissima. Subjacet in sacris Archiepiscopo Vesontino. Utraque suos sibi adscivit Divos Tutelares, quorum auspicijs multa domi, forisque præclarè gessit. Enitet inter omnes, velut inter ignes Luna minores, Beatissima Virgo Maria, quam à multis jam seculis Primariam Patronam colit. Id suo confirmat testimonio Eusebius Nierembergius, nobilis hac ætate Societatis nostræ Scriptor, in Epistola Dedicatoria præfixa operi, quod inscripsit: *Trophæa Mariana*: Joannem Austriacum adhortans, ut Burgundicæ Domûs Principes sanguine sibi conjunctos imitetur singularis in Deiparam studij, & pietatis famâ notissimos. Additque, *Burgundis populis vox olim bellica, & hæreditaria in acie, & prælijs fuit, MARIA Domina nostra*: sic enim in medijs castris, & in ipso ardore certaminis illam milites invocabant: & proprium Burgundicæ gentis, militiæque symbolum, vel tessera erat. Rescivi, dum Romæ Summi Pontificis Pœnitentiarium agerem ad Sancti Petri in Vaticano, ex litteris ad me datis Nemausi die vigesima mensis Martij, Anno Christi 1667. à viro docto, & in rebus Burgundicis benè versato, sanctissimam Virginem habitam semper, cultamque fuisse, ut Primariam Patronam Burgundiæ; & militum in prælijs symbolum,

Aubert. Mir. in Notitia Episc. verbo. Burgundia.

B. V. Maria.

Author Anonymus S. I.

bolum, vel belli tesseram esse *Nostre Dame Bourgogne.* Has item voces, veluti prodeuntes ab ore pugnantium Burgundionum, se vidisse testatur in antiquis peristromatis expressas dum versaretur in Belgio, quibus intextum erat prælium à Burgundiæ Duce contra Leodienses ante ducentos ferè annos gestum. Philippus etiam cognomento, Bonus, Princeps belli, & pacis artibus clarus, cùm militarem Aurei Velleris Ordinem Brugis instituit, Anno Christi 1430. non alios illi Patronos assignavit, quàm Deiparam Virginem, & Sanctum Andream Apostolum, ut infrà suo loco dicetur.

Præclarum sui in Burgundos patrocinij simul, & amoris specimen præbuit superioribus seculis Virgo Deipara, cùm Salinarum Urbem ob salsos fontes celebrem, & totius olim Comitatûs caput, ingentibus bellatorum copijs obsideret Dux Longavillæ, ac erectis idoneis in locis propugnaculis, muros Urbis maioribus tormentis quateret, ac fessos vigilijs, inedia, & laboribus Cives ad deditionem cogeret: humano ij auxilio destituti ad Mariæ Virginis patrocinium confugerunt; illius opem multis cum lacrymis postularunt, nec incassùm fusæ preces: Longavilla paucis post diebus soluta obsidione inglorius redijt in Galliam. Liberatæ Urbis laus penès Deiparam Virginem stetit. Eo felici rerum successu aucta mirificè in Beatissimam Dei Matrem incolarum pietas, & solemnes instituti dies ad agendas, uti par erat, divino Numini, & Sanctissimæ Patronæ grates: ac indè sumpsit initium novus, & plenus gloriæ titulus *Deiparæ Liberatricis*, quo per Burgundiam universam, & conterminas regiones appellitari cæpit, Petro Marmet, Cisterciensis Ordinis Monacho Authore, qui primus, liberatæ Urbis causâ, illum titulum adinvenit, & celebrem ubique locorum suis concionibus reddidit: eo nomine prænotata templa erigi passim curavit, & Dei Matris effigiem in tabulis depingi corona & sceptro insignem filiolum Jesum sinistro brachio sustinentis; manibus palmæ, & lauri ramos præferentis. B. Virginis pedibus gladios, hastas, clypeos, ænea tormenta, militaria signa subjecit addita suprà caput epigraphe: *Causa nostræ lætitiæ*: hujusmodi effigies, per Burgundiæ Ducatum etiam, dispertitæ incolarum animos ad Deiparæ cultum, & amorem vehementèr inflammarunt.

Euseb. Nierëb. S. I. in Trophæis Mar. l. 2. c. 100.

Paucis ante annis cũ promulgãda esset in Synodo Vesontina Ur-

Urbani VIII. Summi Pontificis constitutio de festis in posterùm de præcepto in Ecclesia Catholica observandis, quæ incipit: *Universa per orbem*, multi viri nobiles Deiparæ studiosi adverterunt Festum Immaculatæ Conceptionis prætermissum fuisse in eorum numero, quæ observari debebant: veriti proinde ne quid detrimenti caperet ex illa Constitutionis Apostolicæ promulgatione gloriosus carissimæ sibi Matris, & Patronæ Immaculatæ Conceptionis titulus, omni sibi studio enitendum putarunt, ut eam sub eodem titulo in Primariam Burgundicæ gentis Patronam à Supremis Comitatûs, & Urbis Vesontinæ Præfectis, de communi Patrum in Synodo congregatorũ consensu, eligi procurarent: ejusque diem festum maiori deinceps cultu, & solemnitate peragerent, sancita ea de re ad posterorum memoriam, publica lege, atque in autenticas tabulas relata. Extant Senatûs Dolani, Proregis nomine, & authoritate Comitatum per id tempus gubernantis, ad Archiepiscopum Vesontinum Synodi Præsidem, hujus tenoris litteræ, quas hic insereret, quia nimis prolixæ sunt, omittimus. *Vesontina Synodus habita Ann. 1643.*

Hujusmodi litteras Illustrissimo Archiepiscopo reddidit Baro de Scey rei bellicæ in Burgundia cum Proregis authoritate Præfectus; suásque eis adjecit preces, ut Deiparæ sine peccati originalis macula conceptæ Patrocinium deferretur, ejusque festum *Immaculatæ Conceptionis* fastis Burgundicis adderetur: quæ vota quàm grata, & accepta fuerint Archiepiscopo, ac reliquis Synodi Patribus ex ingenti, & communi omnium gaudio, & ex magno pietatis sensu, qui universos affecit, & in eamdem cum Præside, ac Senatoribus sententiam ipsos ire compulit, meritò colligimus. Extat ea de re decretũ Actis Synodalibus insertum Anno Christi 1643. idemque illustre Archipræsulis, & reliquorum in Synodo Patrum eximiæ pietatis erga Deiparam argumentum.

Hoc incitati exemplo Vesontini Cives, & si Beatos Ferreolum, & Ferrutium, insignes Christi Martyres, deducta à maioribus Patronos religione, piè colerent, tamen quòd Vesontio totius Diœcesis Metropolis esset, optimè se facturos putarunt si duos è primaria nobilitate viros ad suum Archiepiscopum delegarent, causa impetrandi B. V. à Conceptione Immaculata patrocinij; eamque sub *Immaculatæ* titulo fastis

Ve-

Vesontinæ Urbis, & provinciæ adscribendi. Annuit tam justè, quàm piè postulatis Archiepiscopus libentissimè; atque in hunc modum Virgo Deipara Burgundicæ olim gentis Patrona, modò sub *Immaculatæ etiam Conceptionis* festo Comitatûs, & Vesontinæ Urbis, ac Diœcesis specialis Patrona Primaria rennntiata est; quod felix, faustumque sit, & genti Burgundicæ gloriosum.

Author Anonymus S. I.

S. Andreas Ap.

Sanctus Andreas Apostolus Primarius etiam cùm Ducatus, tum Comitatûs Burgundiæ Patronus habetur ab initio nascentis inter Burgundos Ecclesiæ, atque inter illos clarissimos fidei radios explicantis: nam Scythiæ partem, quam Vvandaliam nominant, is adivit prædicandi Evangelij caussa, ibique Burgundiones ad Christi religionem convertit, qui patrijs posteà relictis sedibus anno, ut ferunt, 413. & Apostoli sui cultum, & Patroni memoriam retinere voluerunt; moremque invocandi nomen *Andreæ* in bellicis congressibus à maioribus traditum ad hæc usque tempora diligentèr observant. Ante mille supra centum annos, scribit Andreas Saussaius nobilis Author Gallus, Burgundiam fuisse memorans in Beati Andreæ cultum valdè propensam, ejusque patrocinium ambijsse. Fovit illa hunc pietatis ignem quasi sub cineribus diù latentem usque ad Philippum Bonum, qui ipsum Sancti Spiritus, uti par est credere, instinctu motus, suscitavit, & Orbi Christiano reddidit luculentiorem, dato mortalibus duplici, & egregio religiosæ pietatis documento; altero quidem instituti à se Ordinis Aurei Velleris, cui Beatum Andream Apostolum, & Deiparam Virginem Patronos, ac Tutelares assignavit; altero verò Sacrosanctæ Crucis Andreanæ Symbolo militaribus vexillis, signisque Burgundiæ pro Insignibus attributæ. Circa primum, quia magni momenti est ad rem nobis propositam probandam argumentum, juvat audire Spondanum sic loquentem tomo secundo continuationis Annalium Baronij Cardinalis ad Annum 1430. *Philippus*, inquit, *Dux Burgundiæ post duarum sterilium uxorum obitum, tertiam ducens Elisabetham filiam Joannis Regis Lusitaniæ, in ipsa nuptiarum celebritate Brugis in Flandria ad laudem, & gloriam Redemptoris, ad reverentiam Matris ejus gloriosæ Virginis Mariæ, & ad honorem Sancti Andreæ Apostoli instituit, & erexit Ordinem, & Fraternitatem Dignitatis Equestris, & amicabilis Societatis certi numeri Equitum, quam appel-* lari

Andr. Saussaius de gloria S. Andr. Ap. lib. 3. c. 16.

Joan. Jacob. Chifflet. lib. de Ordin. Equestri Velleris Aurei, & in sua Vesontione p. 1. c. 46.

Nicol. Serar. S. I. lib. 2. Judic. cap. 7. q. 26.

Kolv. in Kal. Mar. p. 1. ad diem 10. Januar.

Spond. to. 2. ad Ann. Christi 1430.

lari voluit Velleris Aurei, *sive à vellere Gedeonis Ducis Israelitarum, ut meliores volunt; sive ab Aureo Jasonis Argonautæ vellere, ut alij tradunt; quod ita nonnulli interpretantur, ut per singulas litteras vocis* IASON *intelligere voluerit menses Julium, Augustum, Septembrem, Octobrem, Novembrem, quibus omnes fructus terræ colliguntur, erantque eis instar Velleris aurei: vel etiam, ut alij maluerunt philosophari, ratione solius tonsionis ovium, quibus ea abundat regio. Nam quod fuere item qui ad rem turpem referre non erubuerunt; non eos audiendos putamus; nec ullatenus patiuntur Sanctissima nomina, in quorum gloriam, & honorem erectio facta ponitur.* Hæc Spondanus. Institutus igitur fuit is nobilissimus Ordo ad laudem Omnipotẽtis Dei, ad gloriam, & honorem Beatissimæ Virginis, & Sancti Andreæ Apostoli. Erectus etiam dicitur ad incitamentum virtutis bellicæ, & Christianæ Fidei defensionem, quod Joannes Molanus hoc distichò comprehendit.

Annales Lusitan. in Joan. I. Rege.

Joan. Molanus in Sacra Militia Ducum Brabant. c. 70.

Tuta à nobilibus quò Ecclesia firmior esset
Nobilis inventus Velleris Ordo mihi est.

Philippi certè Ducis tumulo inscriptum legitur *Defensioni Ecclesiæ eligimus insigne Vellus Aureum nostro Ordini.* Clarius verò in ipso institutionis Ordinis diplomate in hunc modum loquitur illius Author: *Philippus Dei gratia Dux Burgundiæ, Lothricij, Brabantiæ, Comes Flandriæ, Artesij, Burgundiæ palatinatus, & de Namur, Marchisius Sacri Imperij, Dominus Salinarum, & Mechliniæ: Notum facimus omnibus præsentibus, & futuris, quòd propter magnum, & perfectum amorem, quem habemus erga nobilem Statum, & Ordinem dignitatis Equestris, cujus honorem ardenti, & singulari affectu exoptamus augere; per quem Ordinem vera Fides Catholica, status Sanctæ nostræ Matris Ecclesiæ; & tranquillitas, perpetuitasque Reipublicæ sit, ut esse potest, defensa, custodita, & conservata: nos ad laudem, & gloriam Omnipotentis Creatoris, & Redemptoris nostri, ad reverentiam Matris ejus gloriosæ Virginis Mariæ, & ad honorem Domini nostri Sancti Andreæ gloriosi Apostoli, & Martyris; ad exaltationem Sanctæ Fidei, & Sanctæ Ecclesiæ, & excitationem virtutum, & bonorum morum, decimo die mensis Januarij, Anno Domini* 1439. *qui erat dies solemnisationis matrimonij inter nos, & nostram carissimam, & amantissimam conjugem Elisabetham in Oppido nostro Brugensi, accepimus, creavimus, & ordinavimus Ordinem, & Fraternitatem dignitatis Equestris, & amicabilis Societatis certi numeri Equitum, quem volumus appellari* Or-

Pontus Heuterus Delfius in Philippo Bono Duce Burg.

Ferreolus Lucrius in Maria Augusta l. 3. c. 7.

Aubert. Mir. Diplom. Belg. lib. 1. cap. 98.

Franc. Mennenius de Ordin. Militar. p. 179.

dinem Velleris Aurei: *sub forma, constitutionibus, statutis, modis, & articulis, quæ sequuntur, &c. Datum in Oppido Insulensi 27. die Novembris, Anno gratiæ* 1430. Hucusque Philippus.

Insignia, & Symbola hujus Ordinis ita describit Meyerus: *Singulis dedit Equitibus Dux Philipus collyrium aureum, dependente ab illo Aureo Vellere; quæ post mortem cujusque ad Ordinem redeunt, alijs distribuenda.* Pressiùs Spondanus: *Singulis Equitibus, qui primi creati sunt, aureum torquem donavit, appendente Aurei Velleris signo.* Fusiùs ac distinctiùs Jacobus Marchantius: *Singulis togam coccineam laneam, quam filius Carolus Bellicosus, sive Audax in Comitijs hujus Ordinis Valentianensibus in holosericam commutavit; & aureum torquem, insertis paterni emblematis ignitabuli scintillas è silice extundentis speciosum attribuit, unde Vellus Aureum dependet. Addidit Philippus silici, ac ferro hujusmodi lemma*: Ante ferit quàm flamma micet. *Velleri verò*: Pretiū non vile laboris. *Nonnulli Authores advertūt auream etiam Crucem Andreanam insertam fuisse aureo torqui in honorem Sancti Andreæ Apostoli, bujus nobilissimi Ordinis Patroni, quem Philippus ipse Dominum suum, & gloriosum Apostolum, & Christi Martyrem appellare solitus erat; & ejusdem Ordinis Comitia in ferijs Sancti Andreæ, utpotè illius Patroni; semper celebrari præcepit.* Ducis stemma hac epigraphe coronatum visebatur: *Meum gaudium Sanctus Andreas*: ad eum ferè modum quo Rex Francorum Clodoveus hoc nomine Primus, in bellicis congressibus Beatum Dionysium Episcopum, & Martyrem, *Gaudium suum* vocare consueverat. Cæterùm is Equestris Aurei Velleris Ordo sub S. Andreæ Apostoli tutela erectus, in summa apud omnes Europæ nationes æstimatione habetur, videlicet Austriacam, Hispanicam, Burgundicam, Belgicam, Germanicam, Italicam, Lusitanicam. Rex ipse Catholicus, qui Domûs Burgūdicæ caput, & hæres creditur eumHispaniæ Dynastas aliquot, vel aliarum gentium viros Principes de Hispanica corona, ut vulgò dicunt, optimè meritos dignis honoribus, vel beneficijs vult afficere, illos in Aurei Velleris Ordinem cooptat aureo magni pretij torque donatos, appendente aureo item Velleris signo.

Spondan. ad Ann. Christi 1430.

Jacob. Marchātius in descript. Fland. lib. 3.

Andr. Saussaius de glor. S. Andr. Apost.

Petrus à Sancto Romualdo in Thesaur. Chronologico, & Historico tom. 3. *ad Annum* 1431.

Alterum, ut supra diximus, Philippi Ducis in Sanctum Andream obsequij, & pietatis indicium, vel argumentum fuit Andreanæ Crucis Insigne in militaribus vexillis expres-

sum,

sum, idque solemni ab illo lege sancitum. Hanc ob rem cùm pacis, & amicitiæ fœdus iniit cum Carolo VII. Rege Galliæ, decrevit, ut militares copiæ, quas ipse beneficiario jure, ratione feudi Burgundiæ, & Flandriæ suppetias Gallo mittere tenebatur, pro Insignibus haberet in vexillis bellicis Crucē S. Andreæ Burgundiæ suæ Patroni, ac perpetui Defensoris: initi fœderis verba sunt: *Ut Ducis Burgundiæ clientibus quandocumque Regi militabunt Crucem utique Andreanam gerere liceat.* Crux verò decussata est, non recta, in qua videlicet duo ligna directa inter se obliquantur, cujus formam refert littera: *X.* quæ, ut scitè scribit Sanctus Isidorus, in figura *Crucem*, in numero *Decem* demonstrat. Satis constat Burgundicæ familiæ Principes illâ perpetuò usos fuisse. Unus pro cunctis sit Carolus V. Imperator, qui devicto, & pulso ex Africa Tyranno Ariadeno Ænobarbo, & Muleasse paterno Tuneti Regno armorum vi restituto, Urbem ipsam Tunetanam militari pompa ad speciem triumphi composita, Imperator invectus est regio paludamento indutus, in quo Andreana Crux visebatur intexta: hac enim in bellis veste uti consueverat; aut fascia coloris punicei decussata, Burgundicæ Domus insigni; qua etiam usus fuerat in bello Germanico adversus Saxoniæ Ducem, & Landgravium Hassiæ commisso. Ejusdem Crucis symbolo, vel stemmate milites donavit, quorum bellica virtus clariùs enituerat in Tunetanæ Urbis expugnatione.

Meyerus in Annal. Flandr. l. 6. p. 323.

Joan. Molan. lib. 3. de Sacris Picturis, & Imaginib. c. 52.

Andr. Saussai. de gloria S. Andreæ part. 2. l. 5. §. 8.

Franc. Mennenius de Ord. Militar. pag. 180.

Joannes Molanus, vir doctus, & pius, scribit, Crucis Burgundicæ schema, seu figuram, Christi Crucem, non Andreæ, referre, nixus authoritate Roberti Arboricensis Episcopi: Sācti enim Andreæ Crux, inquit ille, ad Sancti Victoris tēplum Massiliæ eamdem cum Cruce Christi figuram habet; lignum enim ligno affixum est ad angulos rectos. Cæterùm hujus Authoris sententiam benè refutat Jacobus Chiffletius in sua Vesontione part. 1. cap. 48. ubi multis, & solidis rationibus probat Andreanam Crucem, quam Duces Burgūdiæ sibi pro symbolo, vel stemmate desumpserunt, Decussatam omnino esse, ut certa, & vetusta apud omnes traditione constat tam in Græca, quàm in Latina Ecclesia vulgò recepta. Ab Stephano Rege, qui *Gundiothus* olim dicebatur, ab Achaia in Galliam delatam fuisse memorant, & pro Insignibus acceptam. Juvat audire Chiffletium sic loquentem: *Christianæ Fidei lumine illustrati Burgundiones ex draconarijs facti sunt*

Molan. lib. 3. de Sacr. Pictur. & Imagin. c. 52.

Aubert. Miræus in fastis Belg. & Burg. ad diē 30. Novēbr.

Paradin. de Antiq. Statu Burgund. Ann. 401. Spelmanus Anglus in sua Aspilog. pag. 103. Andr. Saussai. in Martyr. Gallic. die 30. Novembr. & de gloria B. Andr. Ap. artic. 2. cap. 3.

Cruciferi; extant enim permulti apud nostrates rerum Burgundicarum commentarij gallicè conscripti, in quibus Stephanus Burgundiæ Rex dicitur Crucem Sancti Andreæ pro vexillo militari sibi, ac suis primus accepisse: eam verò Crucem Paradinus affirmat à Stephano Rege in Sancti Victoris Massiliensis Monasterium, in quo nunc habetur, illatam esse: nos verò ex certioribus monumentis collocatam censemus in agri Massiliensis Vveannensi Sacrarum Virginum Monasterio ad littus maris, altero scilicet à Massilia milliario; indeque propter frequentes Barbarorum incursiones paulò ante annum 1250. ad Sancti Victoris Massiliensis cœnobium translatam esse. Hæc Chiffletius. Ex ijs quæ hactenus diximus liquidò apparet antiquum valdè esse B. Andreæ Apostoli erga gentem Burgundicam patrocinium; & suorum familiam Ducum sub illius umbra, & tutela per multa secula floru sse non minus gloriæ militaris famâ, quàm Christianæ pietatis laude clarissimam.

S. Claud. Episc.

Petr. Frãc. Chifflet. S. I. in Chronol. Archiep. Vesontin.

Sammarth. Fratres to. 4. Gall. Christian. pag. 548.

C. Baron. in notis ad Martyr. Rom. die 6. Junij.

Saussai. in Martyr. Gallic. 6. Junij.

Adscitus etiam fuit in Patronum Comitatûs Burgundici S. Claudius Archiepiscopus Vesontinus, tum quia in eadem provincia claros admodùm natales habuit; tum propter eximiam vitæ sanctimoniam: miracula innumera; & ipsius corpus à mille jam, & ampliùs annis integrum, & incorruptum. Ad Deum migravit anno quarto Childeberti tertij Regis Francorum, nonagenario maior. Has ferè rationes allegant Dolanæ Curiæ Senatores Archipræsuli Bisontino, ut Sanctum Claudium in suo antiquo Patroni Burgundici Comitatûs titulo, & honore retineri, & conservari permittat, ut à nobis suprà dictum est, cum de B. Virginis Mariæ patrocinio ageremus. Ex quibus meritò infertur à multis jam seculis delectum fuisse Comitatûs Burgundici Patronum.

Liceat mihi à Divis tutelaribus Comitatûs ad Vesontinæ Urbis Patronos gradum facere, ac de ijs nonnulla scitu digna paucis referre. Est Vesontio, ut Julius Cæsar appellat, Sequanorum metropolis, in umbilico Comitatûs Burgundiæ sita ad Dubim fluvium, qui eam interfecat; vel, ut scribit Chiffletius, in equinæ soleæ figuram circumdat: Chrysopolis à multis dicta, vel propter Dubim aureas volventem arenas: vel propter portas laminis aureis olim tectas. Imperialis, sive libera in decimo Imperij circulo, qui Burgundicus nominatur, constituta. Basilica Urbis princeps, in qua veterum Burgundiæ Comitum mausolea visuntur, Patronos habet S. Joannem

Evan-

Evangelistam, & S. Stephanum Protomartyrem: pro stemmate, Joannis Aquilam, & Stephani brachium à Juniore Theodosio Imperatore quondam sibi dono missum. Prima Fidei Christianæ rudimenta didicit à Sancto Lino Papa, & Martyre Beati Petri Apostoli discipulo, & in Pontificatu Romano Successore, qui primus Vesontinæ Ecclesiæ Episcopus, & Apostolus fuisse creditur. Leo IX. in eadem Basilica instituit septem Canonicos Cardinales; quemadmodùm & Coloniæ Agrippinæ; qui purpureis olim vestibus utebantur. Paulus V. non multis abhinc annis ejusdem Cathedralis Canonicis spontè concessit, ut violacei coloris vestibus, uti & familiares Papæ in Aula Romana, induti incederent; quod insigne videtur privilegium.

Paulus Diemay in Epist. 164. Innocētij III. lib. 14. Regest.

Monetam Vesontina Ecclesia cudendi, & signandi anteactis seculis jus habebat, & privilegium, cum brachio S. Stephani in altera ejus parte expresso; more apud veteres Gallos sub imperio Carlingorum valdè usitato: sic B. Martini Episcopi effigie apud Turones numos cudere soliti erant; Sancti Nazarij apud Æduos; S. Stephani apud Metenses; apud Romanos SS. Apostolorum Petri, & Pauli; apud Venetos S. Marci Evangelistæ; apud Anglos S. Petri Apostoli, ut alias omittamus nationes.

Paul. Petav. in Antiquaria Supellectili edita Parisijs Anno 1610.

Ejusdem nobilissimæ Urbis Divi Tutelares habentur, B. Ferreolus Presbyter, & Ferrucius Diaconus, illustres Christi Martyres, à Sancto Irenæo Episcopo Lugdunensi eò ad prædicandum Evangelium missi, Claudij Præsidis mandato in carcerem primò detrusi; mox ad trochleas distenti; deindè flagellis cæsi, & linguis trunci nihlominus Dei laudes læti canebant. Illorum capita clavis trabalibus perfossa fuerunt; triginta subulæ ferreæ utriusque pedibus, manibus, & pectoribus altè infixæ crudele mortalibus spectaculum præbuerūt; abscisso tandem capite optatam martyrij palmam adepti sunt, Imperante Antonino Caracalla. Amborum corpora tantam de repentè suavissimi odoris vim afflarunt, ut omnem circà regionem cœlesti fragrantiâ repleverint, quò omnibus certò constaret illos bonum Christi odorem esse, & cum eo inter cœlites jam regnare. Egregios, procedente tempore, se præstitere Vesontionis Patronos, & perpetuos Defensores; nam quotiescumque grave aliquod infortunium suis clientibus impendere videtur, continuò duæ faces solaribus radijs cla-

Surius de SS. tom. 2. 23. April. & tom. 7.

C. Bar. in notat. ad Martyr. Roman. 16 Junij.

Author Anonymus in codice vetusto m. s. Cœnobij Lutrensis.

Saussai. in Martyr. Gallic. ad diem 16. Junij.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. tom. 1. sub Archiep. Bisuntinis.

Petr. Franc. Chifflet. S. I. in suo Luxovio m. s.

clariores muros urbis, & propugnacula cingere, ac circumire visuntur, eaque cœlesti insidentes lumine, opportunò auxilio permunire, vel coronare, ac Civium animos metu consternatos erigere, & spe felicis eventûs implere: quod non semel contigisse legimus. Anno quippe salutis humanæ 1362. die 12. Decembris, scribit Chiffletius, Angli nocturnis insidijs Urbem hostiliter aggressi, porta nomine *Arenariam* conati sunt evertere; sed ope Dei, & Sanctorum Ferreoli, & Ferrucij, pulsi, & in fugam conjecti fuerunt. Iterùm Anno Christi 1575. undecimo Kalend. Julij sub horam primam à media nocte Hæretici ab Urbe quondam expulsi, Maximiliano Imperatore, adjunctis aliquot ex Gallia, & Germania militum Acatholicorum cohortibus Vesontium subita irruptione occupant; tormenta displodunt maiore Civium metu, quàm dãno. Excitati à somno cives ad arma convolant; Sanctorum opem implorant; in hostes impetum faciunt, & acerrimè pugnant: victi, ac cæsi ferè omnes Hæretici fuerunt: viginti capti, & laqueo suspēsi: vindicata ab impiorum furore Vesontio ope Sanctorum. Geminæ per id tempus faces splendoris eximij visæ fuerunt imminere primùm principi Urbis templo; deinde ad summum Ecclesiæ Sancti Vincentij Martyris tectum, fastigiumque conscendere; in quibus eorum Reliquiæ asservantur; ad extremum facto murorum ambitu, stellarum instar, in Cœlum volare, & fusis in orbem radijs, evanescere. Id viri pij, & confecta jam ætate senes non semel evenisse referunt: & quoties gravis aliqua impendet Urbi Vesontinæ calamitas. Senatûs decreto sancitum fuit, ut ea ipsa die vicesima prima Junij, qua Urbs ab imminenti periculo præservata fuit, recurrente singulis annis celebritate, sacra horum Martyrum pignora, solemni ad id instituta supplicatione, in accepti beneficij memoriam, per Urbis circos, & plateas circumferantur.

Joan. Bollandus, & Fridericus Henschen. S. I. in Act. SS. Jan. tom. 2. pag. 201.

Ducatûs Burgundiæ Primarium Patronum esse Sanctum Benignum Martyrem rerum sacrarum in Gallijs periti affirmant. Smirnæ sub Polycarpo, viro Sanctissimo, sacras litteras didicit: ab eodem missus in Galliam ad prædicandum Evangelium cum Andochio Presbytero, Thyrso Diacono, & Andeolo. Ad Massiliæ portum nave delatus Æduos, Augustodunenses, & Lingones Christianæ Fidei præceptionibus imbuit & Divionenses. Sub Terentio Comite, Imperante

Surius tom. 6. die 1. Novembr.

Marco Aurelio, martyriũ passus : illius anima candidissimæ colũbæ specie in cælũ evolavit. Lingonis agitur memoria trãslationis ejus corporis : Normannis enim Gallias devastantibus Divione ad ipsam Episcopatûs Sedem ab Anterio Abbate translatum , atque ab Algrino Episcopo piè susceptum ; tamdiù ibi fuit donec compositis jam rebus, & parta pace , eò unde venerat , revectum est. Sanctus Gregorius Episcopus Lingonensis, Dei monitu, B. Martyris corpus, quod humili jacebat loco, trãstulit in novam à se erectam Ecclesiam, eumque uti par est credere , multis fulgentem miraculis Burgundionum Patronum, Lingonumque delegit : & meritò , cum primus ille veritatis evangelicæ lucem in horum regiones invexerit, & vanæ superstitionis tenebras , solis instar , dispulerit : nostrorum more maiorum , qui primos Fidei Christianæ Magistros, Divos sibi Tutelares , & Advocatos apud Deum deligere consueverant, ut à nobis non semel observatum est : rectè enim se facturos putabant si quos habuerant vivos veræ religionis Magistros, eos etiam Patronos post mortem apud Deum, & intercessores haberent. Petrus Cluniacensis Abbas in libro , quem composuit contra Hæreticos Petrobusianos, S. Benignum Martyrem vocat *Apostolum Galliæ*. In vetusto etiam sigillo Abbatiæ Divionensis nobilis, & opulentæ , cujus Patronus est , incisis circum litteris visitur hujusmodi inscriptio : *S. Benignus Burgundionum Apostolus.*

C. Bar. in notat, ad Martyr. Roman. ad diem 1. Novembr.

Sammarth. Fratres to. 4 Gall. Christian. sub Abbatia S. Benigni Divionensis.

Procedente tempore, Sanctus Bernardus Abbas Claravallis suo satis nomine celebris , Ducatûs Burgundiæ Patronus electus est ; quòd Fontanensi in Castro prope Divionem natus, pietatis, & doctrinæ pariter famâ clarissimus , patriam gloria, orbem admiratione implevit : obijt Anno Christi 1153. Sepeliri voluit ante aram B.V. Mariæ, quam, dum in vivis esser, ut Matrem dulcissimam coluit , & amavit. De quo præstat silere, quàm pauca dicere. Illius tamen sepulturæ epitaphium hìc apponere operæ pretium erit , quod adducit Robertus Monachus Antisiodorensis his carminibus conceptum valdè pijs, & amænis :

S. Bernardus.

Franc. Chifflet. S. I.

Robert. Monach. Antisiod.

Sunt claræ valles, sed claris vallibus Abbas
Clarior ; his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis, & clarus honore ;
Claruit eloquio, religione magis.
Claraque mors, clarusque cinis, clarumque sepulchrum
Clarior exultat spiritus ante Deum.

BO-

M[illegible] A[illegible] martyr[illegible] [illegible]

[illegible] vione [illegible]

[illegible] ibi [illegible] en[illegible], rev[illegible]

[illegible]

in[illegible]ro, q[illegible]

S. M[illegible]

[illegible] A[illegible] D[illegible]

[illegible]

p[illegible] : S. B[illegible] [illegible].

Proced[illegible] S. Bernardus [illegible] S. Bernardus.

[illegible] Fontanensi[illegible] in Ca[illegible]

[illegible] A[illegible] Christi [illegible]

[illegible] Fontan. [illegible]

[illegible], ut Matre [illegible] ama[illegible]

[illegible] re, quàm p[illegible]

[illegible] hic ap[illegible]

[illegible] Mon[illegible] Ant[illegible]

v[illegible]ldè [illegible]:

[illegible] clare [illegible], fed claris [illegible]

Clarior [illegible]

Clarus [illegible], clarus [illegible]

Clarus [illegible]

Clarior [illegible], clarus [illegible]

Clarior [illegible] ante Deum.

DIVI TUTELARES BOHEMIÆ.

BOHEMIA, florentissimum Germaniæ Superioris Regnum, Moravis, Silesiis, Saxonibus, Bavaris conterminum, Electorali dignitate conspicuum, Metropolim habet Pragam, à limine dictam; (*Prah* enim *limen* significat) Urbem amplissimam; olim Ducum, modò Regum, simulque Imperatorum sedem, quam Moldava fluvius interluit. Prima illius Insignia fuere Aquila nigra, in aureâ parmula à Zecho Croata Comite desumpta, qui profugus à patriâ, Bohemiæ regnum fundavit; nam veteres Bohemi Teutones erant. Lechus verò ipsius frater Poloniæ Regnum côdidit, cui in stemma dedit, quam ipse gerebat, Aquilam albam. Procedente tempore Uladislaus Rex Bohemiæ ob res præclarè gestas in obsidione Mediolani, quam Fridericus Ænobarbus armorum vi cepit, & funditùs excidit Urbem, nova ab illo Insignia impetravit, leonem videlicèt album, coronâ redimitum, in areola rubra: quem ubiprimùm viderunt Bohemi in Regis vexillo depictum conditâ intra pedes caudâ, ridere cœperût, ac inter se mussitare, quasi simiam sine caudâ, non leonem caudatum sui Regis stemma referret: de quibus certior factus Cæsar, Leoni ad speciem maiestatis addi jussit binas caudas in altum erectas, seu bifurcatam caudam in campo puniceo; quæ ad hanc usque diem Insignia sunt Regni Bohemici. (Otto I. dedit S. Vvenceslao Insignia sua, idest, Aquilam fuscam in clypeo candido, ut refert Surius ex Joanne Dubravio, die 23. Septembris.) Nonnulli Authores existimant fuisse anteactis seculis Insigne Bohemis Hastam prælongam ferreâ cuspide armatam, antequàm Zechus Regni Bohemici fundamenta jaceret, de quo tamen vix reperitur apud recen-

Dubravius Episc. Olum. Histor. Bohem. lib. 4 & 5.

Vveleshavus Strâki Pultava.

Paulus Zideck.

Georg. Crucegerius S. I.

Boleslaus Balbinus S. I. Histor. Reg. Bohem. Insignia Bohem. leo flavus cum cauda bifurcata in puniceo campo. Sic Ferdin. Furstêberg. in monumentis Paderborn. pag. 149.

Æneas Silvius Senensis in Histor. Bohemiæ.

Joan. Episc. Olum. in Vita ejusdem S. Ferdinand. Furstêberg. in monum. Paderborn. p. 149.

centioris ævi Scriptores memoria.

S. Vitus M.

Andr. Sauſſai. in Martyr. Gallic. ad diem 15. Junij.

Surius to. 3. die 15. Junij.

Ferrar. in Catal. SS. Ital. die 15. Junij.

Mombritius tom. 2. de SS.

Surius to. 5. de SS. die 28. Septembr.

Joan. Dubrav. Hiſt. Bohem. lib. 4.

Æneas Silvius in Hiſt. Bohem. c. 14. & 15.

Quod attinet ad Divos Tutelares Bohemiæ, primum inter illos locum tenet Sanctus Vitus, Mazaræ in Sicilia natus, qui una cum Modeſto, & Creſcentia morum magiſtris, innumera pro Chriſti Fide tormenta ſuſtinuit, quibus divinâ virtute ſuperatis, ad Silari fluminis ripam arboribus veſtitam, Angelo viæ duce, divertit, ibique Cygni more, ſuaviſſimè canens, ac Deum laudans, oransque ad cæleſtem patriam evolavit die 15. Junij, Anno Chriſti 303. Patronus Bohemiæ à Sancto Vvenceslao in hunc modum electus eſt. In more poſitum habebat Sanctus Dux ſingulis quibusque diebus in templo Miſſæ ſacrificio intereſſe, nec inde recedere, niſi divinis Officijs jam peractis; hanc ob rem juſto ſerius ad publica Comitia venire conſueverat: quâ morâ offenſus Otto Magnus Imperator edixit ſub pœnâ capitis, ne quis aſſurgeret, officij causâ, Vvenceslao tardiùs de more, ad Imperij Comitia venienti. Adeſt ille ſerò, conſidentibus jam ſuis in locis Germaniæ Principibus, ſervato antiquitatis, ac dignitatis ordine; & ecce tibi Cæſar ipſe de ſolio repentè deſiliens Aulam intranti primus occurrit, eumque officiosè ſalutat, & in proximâ ſibi ſede, non ſine aliorum invidia, & dolore procerum, collocat, cunctis, qui aderant, rem mirantibus, & taxantibus Cæſaris levitatem, quòd aliud factis, aliud verbis præſtaret: quibus reſpondit Imperator, viſam à ſe eximij ſplendoris Crucem Vvenceslai Capiti inſidentem, ac ſolis inſtar radios in orbem fundentem: duos etiam Cælites puriſſimâ circumfuſos luce incedentis latera hinc, inde tegentes, ſibiq; mortem evaginantis gladijs minitantes, niſi Bohemiæ Ducè Deo charum magnis honoribus afficeret; ſeque illo oſtento territum, ſecùs, ac edixerat, feciſſe. Hac ratione Otto obloquentium Principum obſtruxit ora, & Vvenceslaum maioribus, quàm antea, venerationis, & amoris ſignificationibus proſecutus eſt: Aquilam illi in ſtemma dedit; Primum etiam Bohemiæ Regem creavit; quo tamen is titulo, modeſtiæ causâ, uti noluit. Factâ illi etiam poteſtate, ut deligeret è theſauro Cæſaris, quidquid ſibi gratius eſſet: alijs magni pretij rebus neglectis, unum optavit, ac ſecum detulit in Bohemiam Brachium Sancti Viti Martyris, ut ſubjectos ſibi populos, quos vana Idôli cujuſdam, nomine *ViteeK*, ideſt Martis, ſuperſtitio, cultusque tenebat deceptos, alterius *Viti* titulo, & ſimi-

Surius to. 5. de SS. die 28. Septembr.

similitudine captos faciliùs ad Christi cognitionem, & B. Martyris cultum traduceret: uti re ipsâ evenit, susceptâ paulò post ab incolis Christiana Religione, & per universam Bohemiam latè propagata. Magnificæ item structuræ Basilicam intra ipsam Pragæ Urbis Arcem ædificari jussit; (quam tamen morte præventus absolvere non potuit, Primaria nunc est, & Metropolitana Regni totius Ecclesia) in qua B. Viti M. brachium deposuit argenteâ thecâ inclusum: & quia veteres Bohemi martio illi Idolo Viteck Gallos Gallinaceos offerre cõsueverant, transijt mos iste ad recẽtiores Bohemos, pingendi passim Sanctum M. cum Gallo Gallinaceo ad latus.

Ejusdem fortasse Idoli genus à Rugianis populis coli solitum scribit Albertus Krantzius Rerum Danicarum libro sexto, in Urbe regionis principe, cui nomen *Arcon*: unus, ni fallor, atque idem utrique genti Deus erat Viteck, armorum, & belli præses; quem Rex Daniæ, subactâ Rugiâ, & suæ ditionis factâ, contregit, destruxitque, & regionis incolas Christianis imbui, & informari sacris curavit. Aliter rem narrat C. Baronius, & Spondanus in Annal. Eccles. Anno Christi 875. sub Joanne VIII. PP. & Ludovico II. Imperatore. Procedente die, integrum Sancti Viti corpus à Carolo IV. Imperatore in supradictam Pragæ Basilicam translatum fuit, & sub arâ maximâ collocatum; secumque occulto quodam divini Numinis consilio traxisse videtur, seu gloriæ, & honoris appendicem, omnimodam felicitatem; observatum quippè est à magni nominis Scriptoribus; quod ubicumque fuit Sancti Viti Corpus, ibi quoque fuerunt Imperij felicitas, & majestas: sic, illo in Italia permanente, contigit; translato deinde in Galliam Corpore sub Pipino Principe, & ad Sãcti Dionysij reposito, inter Francos viguit aurea ætas. Anno posteà 836. sub Ludovico Pio in Corbeiam Saxoniæ transvectum, secum etiam detulit ad Germaniæ Principes patriæ salutem, & Imperij majestatem: in Bohemis tandem constitit, apud quos jam dudùm Pragæ magnâ anni parte residere cõsueverunt Imperatores; ibique summâ totius Urbis pietate, & veneratione colitur S. Martyr, Primariusque habetur Bohemicæ Gentis Patronus. Eam ob causam Sanctus Vvenceslaus vulgò depingi solet manu præferens Aureum globum, Insigne Imperij.

C. Baron. in not. ad Martyr. Roman. die 15. Jun.

Andr. Saussai. in Martyr. Gallic. ad diem 15. Jun.

Joann. Tanner. S. I. in litter. ad me datis Olim.

Ferrar. in Catal. SS. Ital.

Secundus à Sancto Vito M. Bohemiæ Patronus habetur S.

S. Vvenceslaus.

S. Vvenceslaus Dux, ab ipsius statim cæde, ut nonnulli Authores existimant, Boleslai fratris manu illatâ; multis enim miraculis confestìm coruscare cæpit, & innumeris beneficijs Bohemicam gētem afficere. Natus Anno 909. Uratislao Pio, impiâ Drahomirâ parentibus, sanctissimè vixit. Visuntur hodie Pragæ thorax, galea, & lorica Sancti Ducis; locusque columellâ signatus, in quo Drahomiram ipsius matrem, sævissimam fæminam, subitò dehiscens terra absorbuit. Illius gladio accingi solent Reges Bohemiæ, cùm solemni ritu inaugurantur, & Regni possessionem adeunt; ejusque imagine nummos aureos, & argenteos cudere, ut nos per litteras docuit sacræ eruditionis plenas R. P. Joannes Tannerus Societatis nostræ Theologus, datas Olomucio Urbe Moraviæ. Sacrum Vvenceslai corpus in magnifici operis sacello Ecclesiæ Cathedralis quiescit; hæc verò, & si B. V. Mariæ Elisabetham visitanti, & B. Vito M. sit dicata, Sancto etiam Vvenceslao consecrata videtur, ut colligitur ex Diplomate Pontificio Joannis XII. quò Pragensem Ecclesiam ad Episcopalem dignitatem erigit, illamque *Sanctorum Dei Martyrum Viti, & Vvenceslai Ecclesiam* disertis verbis appellat: quam etiam Christus Dominus Cælo delapsus, Pontificis more, habituq; insignis, cælestibus cæremonijs consecravit; quod suo testimonio confirmavit Sanctus Vvolfangus Episcopus Ratisbonæ hâc ipsâ de re à Deo edoctus.

Joann. Dubravius.

Surius to. 5. de SS. die 28. Septembr.

Rationes eligendi S. Vvenceslaum Bohemiæ Patronum hæ fuerunt, quia ejusdem pijssimum Ducem egit; quia rebus mirè gestis claruit; quia multis subditos sibi populos beneficijs afficere non desistit; quorum primum, & palmarium censeri debet Boleslai, impijssimi fratris, ad meliorem frugem, & ad Christi Fidem conversio, & vita in lachrymis, & mærore traducta: Illius sanè filius Boleslaus, cognomēto Pius, & Mileda filia in Beatorum fastos fuere relati.

Cæterùm vix dici, scribive potest, quo Bohemi studio, quo amore Vvenceslaum prosequantur; quàm tenero pietatis sensu ejus memoriam colant: legat, qui velit Scriptores Bohemos, maximè Dubravium Episcopum Olumuciensem, Balbinum, & Crugerium Societatis Jesu Presbyteros, Matthiam Ferdinandum Pragensem Antistitem, Joannem Tannerum Societatis nostræ Theologum, virum eruditissimum; apud quos multa inveniet scitu digna de Sancto Vvenceslao: nobis suffi-

Dubravius Episc. olum.
Balbinus S. I.
Crugerius.
Matthias Ferdin. Pragens. Archiep. in glor. S. Vvenc.
Joan. Tanner. S. I.

sufficiat pauca levi brachio præstringere, è quibus facile erit conjecturam facere de Sancti Ducis curâ, & in suos amore clientes. Non semel in aere visus fuit fortissimi bellatoris munus obire, suis in acie pugnantibus animos addere; hostibus terrorem incutere, eorumque exercitus loco movere, impellere, ac dissipare. Sobeslaus Bohemiæ Dux, illius nomine invocato, Lotharium Imperatorem acie superavit, cæsis non paucis è primariâ Germaniæ nobilitate Dynastis, inter quos fuit Otto Moraviæ Marchio, cum Hartungo Holsatiæ Comite. Longè clariùs enituit in debellandis Hungaris Vvenceslai virtus, & favor ergà Bohemos. In campos se infuderat innumerabili propè multitudine hostes, (quadringenta bellatorum millia fuisse dicuntur) multis jam occupatis Urbibus, oppidisque direptis, agris vastitatem intulerant, pecora abegerant, cuncta ferro, flammisque vastaverant, actum de Bohemia putabant omnes. In his rerum angustijs Rex Othocanus ad Sancti Ducis Patrocinium supplex confugit, preces fundit, vota nuncupat, opem implorat: nec frustra: certâ victoriæ spe conceptâ, manum cum hostibus conserit, magnamque edit illorum stragem; victoriam adscripsit Martyri, nec sibi detraxit, sed auxit gloriam, eam superis tribuendo. Inter spolia hostium inventus est Sancti Joannis Baptistæ digitus auro inclusus, quem modò Cistercienses Monachi in Ossek Cœnobio religiosè custodiunt, partæ victoriæ monumentum. Rex Othocanus in litteris ad Alexandrum Romanum Pontificem datis, scribit, *Vvenceslaum cælestibus instructum armis, & candidissimo equo vectum, acerrimè adversùs hostes pugnasse; victoriamque dedisse Bohemis*: ut refert Matthias Pragæ Archiepiscopus, in libro, quem inscripsit: *Gloria Vvenceslai Sãctissimi Ducis, & Martyris.*

Heraldo Daniæ Regi (alij Ericum nominant) Christus Cruci affixus apparuit, eumque bellicis curis anxium benè sperare docuit, & victoriam de hostibus animo præcipere, si Vvenceslai nomini, patrocinioque confideret: dictum à Christo, à Rege factum: hostibus superatis, spolijsque collectis, victoriæ laus penès Sanctum Martyrem stetit. Præterea nocte ipsâ, quâ Vvenceslaus martyrij palmam obtiunit, eidẽ Regi Daniæ Jesus Salvator apparuit, illique injunxit, ut nulla interpositâ morâ, in tanti memoriam Martyris templum ædificari præciperet. Inde profectum, ut B. Vvenceslai nomen,

famaque virtutis, non modò intra Bohemiæ fines se non contineret, sed extra illius terminos egressa, Daniam, Poloniam, Silesiam, Moraviamque pervaderet, ac Ædes permultas in ijs olim regionibus sacras haberet, & magnæ ab incolis pietatis significationibus coleretur, dum Religio Catholica Romana inter illas viguit pura, & sancta, nullis errorum maculis deformata.

Illud Vvenceslai memoriam valdè illustrat, & patrociniũ mirificè commendat, quod non multis ante annis in Bohemia contigit: commisso Catholicos inter & Hæreticos prælio ad Album montem (sic vocant) qui usque ad pomæria Arcis Pragensis extenditur, fassi sunt hostes ipsi, visos à se egregios bellatores duos generosis equis insidentes, quorum alter S. Vvenceslaum specie, & habitu corporis referebat, cujus potissimùm aspectu territi Hæretici, victi, cæsique fuerunt, & meritas suæ impietatis pœnas dederunt; ulciscente se etiam divino Numine de sacrilegis Novatoribus; qui paulò ante Imaginis Sacrosanctæ Virginis Mariæ oculos, temerario ausu, effoderant in Ædicula monti proximâ: auditaque mox fuit de Cælo vox, fulminis instar, quæ Catholicos Duces ad prælium ineundum incitabat, ijsque spem victoriæ certam faciebat. Theophilus Raynaudus, nobilis societatis nostræ Scriptor Gallus, (ut hæc obiter hìc inferamus) litteris tradidit, Vvenceslaum accepisse usum mitræ laicis hominibus hactenùs inconcessum, ab Alexandro II. PP. Romano. Sed fallitur vir doctiss mus; non enim Vvenceslaus, sed Uratislaus illo recentior, ejusmodi privilegium obtinuit ab Alexandro Anno salutis humanæ apud Cardinalem Baronium 1068. Pragæ Episcopus solitus erat olim in publicis litteris se inscribere, *Dei, & Sancti Vvenceslai gratiâ Episcopus Pragensis*. Carolina item Academia ejusdem Urbis sub illius auspicijs, & patrocinio floret omnium disciplinarum studijs, & Catholicæ pietatis famâ. Utiturque sigillo, & clypeo, in quibus SS. Clementis P. & M. & Vvenceslai imagines visuntur incisæ.

Theoph. Raynaud. tom. 17. pag. 423.

C. Bar. to. 11. Ann. Eccl. Anno Christi 1068. pag. 385.

Romæ in Basilicâ Vaticanâ veteri sacellum erat Sancto Vvenceslao dicatum, ab Hincone Episcopo Olomucij pulchrè ornatum: In novâ autem admirandi operis Basilicâ visitur etiam B. Martyris sacellum proximum altari SS. MM. Processi, & Martiniani; in quo illius spectatur imago habitu Ducali maiestatis pleno, manu alterâ præferens militare vexillum,

Codex M.S. in Archivio Basil. Vaticana.

xillum, Aquilâ furvi coloris distinctum, in areola coloris cădidi. Ad latus dextrum stat Carolus IV. Imperator, & Rex Bohemiæ cum Hincone Episcopo. Ante Aram appensa lucet perpetuo igne lampas argentea, assignatâ ad hunc alendum certâ pecuniæ summâ à Jaroslao de Martinick Bohemiæ Burgravio, ut nos per litteras docuit Joannes Tanner; quæ res magni certè fieri debet, cùm nulla alia Catholicî orbis natio, excepta Bohemica, sui habeat Principis, ac Patroni sacellum in Basilicâ Vaticanâ. Celebratur festũ Sancti Vvenceslai die 28. Septembris per universam Bohemiam, tãquam *Patroni* Primarij; ejus corpus Pragæ asservatur in sacello magnificè extructo intra ipsam Ecclesiam Cathedralem, quod olìm in tumba è solido auro confectâ quiescebat; eamque duodecim Apostolorum statuæ argenteæ justæ magnitudinis ambiebant: procedente die, Sigismundus Imperator aurum in militum stipendia,& belli apparatum consumpsit; & Joannes illius Avus,Rex Bohemiæ magnam etiam argenti copiam indè detractam in usus profanos expendit: sed uterque commissi in Vvenceslaum criminis meritas pœnas luit: Sigismundus quidem multis ab Hussitis Hæreticis fractus cladibus; Joannes oculis captus, atque ob id *Cæcus* communi sermone dictus: dato mortalibus documento, Sanctorum Martyrum memorias à Fidelibus piè coli debere; non impio ausu temerari.

Tertius Bohemiæ *Patronus* est Sanctus Adalbertus Pragæ Episcopus, & Martyr, qui festo fori, & octavâ colitur; in eâdem Bohemiâ natus, patre Slauvik, Aucupis Imperatoris nepote, Lubicensi Comite potentissimo, matre verò Serezilava. Magdeburgi, ubi tum florebant Slavicæ linguæ studia, litteris operam dedit, quibus probè instructus, Ditmaro mortuo successit in Episcopatu Pragensi. In Hungaria primus fuit Strigoniensis Antistes; in Polonia Gnesnensis Secundus. In Bohemia, Hungaria,Polonia, Borussia Evangelium prædicavit, meritò harum gentium *Apostolus* nominatus. Cæterùm, cùm multi Infidelium suis erroribus tenacitèr adhærerent,nec Christianam Religionem amplecti vellent, ijs desertis; Romam se contulit, ibique in Aventino monte per aliquot annos vixit; irato interim contra rebelles Bohemos cælesti numine, non pluit quinquennio, donec Adalbertus ab exilio revocatus agris sitientibus benedictionem impertijt; illâque S. Adalbertus.

à Cælo pluviam copiosam elicuit.

Nonnulla inter Bohemos Benedictinis Monachis posuit cænobia, quæ grassante posteà per Bohemiam hæresi, & incendij more cuncta devastante, ac dirissimis Catholicos modis vexante Zischa, tyranno sævissimo, demolita fuerunt: supersunt adhuc semisepulta domorum sacrarum rudera vetustæ religionis indicia, & antiquæ pietatis monumenta. Ab Ethnicis propè Fishausum, Venedici in Prussia maris sinus oppidum, inter sacrificandum hastis transfixus, & capite truncatus Martyrij palmam obtinuit: corpus in frustra concisum divinâ virtute repentè coaluit, integris omninò membris, ac justo loco repositis; mox caput humi projectum manibus apprehendens, elevansque, præeunte, faculæ instar, lucidissimâ nube, ad vicinum cædi pagum perrexit aliquot passuum millia, Urbe Dantisco, celebri apud Borussos emporio, disjunctum: ibique substitit, donec idoneo pro tempore mandaretur sepulchro. Eo ipso in loco Ædicula, incolarum studio, & pietate structa, Sancti Martyris memoriam conservavit. Indè, procedente tempore, Gnesnam Poloniæ Maioris Urbem, à Boleslao Chabri translatum fuit, & in marmoreo tumulo repositum. Eò, peregrini more, habituque indutus Otto, hoc nomine III. Imperator ivit, affectâ quamquàm tum esset valetudine, & ad ejus sepulchrum pristinam sanitatem recuperavit: hanc ob rem Sancti Martyris brachium petijt, & obtinuit à Boleslao, quem etiam, grati animi causa, è Duce Primum Poloniæ Regem creavit, si fides habenda est nonnullis ejusdem Regni Scriptoribus, & si alij alitèr sentiant. Paucis post annis Otto Romam veniens secum detulit S. Adalberti brachium, quòd in Ecclesia Insulæ Tiberinæ collocavit. Translato posteà in eamdem Ecclesiam Sancti Bartholomæi corpore, mutavit illa nomen, & Ecclesia Sancti Bartholomæi in Insula, à Romanis deinceps dici cæpit.

Albert. Kanovuskij S. I. in Bohem. pia.

Joan. Tanner. S. I.

Cæterùm Bohemi mordicùs defendunt, ac certò credunt Sancti Adalberti corpus, capta ab hostibus Gnesnâ, Pragam fuisse translatum à Bzetislao Duce, Anno Christi 1038. & intra principem Urbis Basilicam in pulcherrimi operis sacello collocatum, quod Ferdinandus I. Imperator fastigio decoravit Cæsare digno; alijque Bohemiæ, & Germaniæ Principes, maximè Meinardus Episcopus, Sancti Martyris sepulchrum, auro, & gemmis, lamellis, & scutulis aureis, & argenteis ador-

Balbinus. Hagek. Martyr. Eccl. Prag.

narunt, quæ posteà Hæretici ornamenta, diabolicis acti furijs, indè detracta in suos, & profanos usus converterunt. Cōsulat curiosus Lector Scriptores Bohemos, præsertim Balbinum nostrum in Epitome Bohemiæ, ubi multis, & solidis rationibus probat, Sancti Adalberti corpus Pragæ asservari. Nec desunt viri docti, qui existiment, illud in duobus simul locis, divini Numinis beneficio, existere Gnesnæ in Polonia, & Pragæ in Bohemia, ad eum ferè modum, quo fuit Romæ in Italia, & Libici in Bohemia simùl dum adhuc in vivis esset, ut tradunt nonnulli Scriptores idonei. Salvâ tamèn virorum tantorum pace, verosimilius mihi videtur asserere, partem corporis Gnesnæ, partem Pragæ asservari, ut in multis aliorum Sanctorum corporibus contigisse legimus; atque in hunc modum sublaris de medio contentionibus utramque gentem ad concordiam reducere possumus.

A tempore Bzeztislai Ducis cæpit esse Bohemiæ *Patronus*, hoc enim Duce Rempubl. gubernante facta est Translatio corporis Sancti Adalberti, Episcopo tum Pragæ Severo: Crevit successu temporum Fidelium in B. Martyrem pietas innumeris aucta miraculis, & beneficijs confirmata: vix dici, cogitarivè potest, quàm ardentèr diligant Adalbertum Bohemi; quàm tenero pietatis sensu in illum ferantur, quàm multis studij, & amoris significationibus ejus memoriam prosequantur. Summi, medij, infimi ab ineunte ætate Sancti Martyris servitio se devovere gestiunt, eumque tum in sacris, tum in politicis rebus, tum in publicis, tum in privatis causis Patronum, & Advocatum habere gloriæ sibi vertunt; nec quidquam alicujus momenti aggredi audent, nisi invocato priùs illius nomine, & auxilio implorato. Adalberti nomen frequentèr habent in ore, & corde servant altè impressum. In bellicis etiam adversùs hostes congressibus, illius semper nomen inclamant, & certos quósdam modos musicos, & rythmos pueri discunt à maioribus traditos, quibus utuntur ad significandum ergà Sāctum Martyrem filiorum amorem, & haustam cum ipso lacte ab uberibus matrum pietatem. Quibus certè amoris significationibus Adalbertus abūdè respondet patris amore, Patroni curâ, & patrocinio Advocati, ac paternam, & assiduam se curam gerere Bohemicæ gentis satis testatur, quapropter inter primarios illius Patronos jure optimo numeratur.

S. Ludmilla. Sancta Ludmilla vidua, Dux, & Avia paterna S. Wenceslai, quartum sibi locum vendicat inter Divos Tutelares Bohemiæ. Prima cum marito suo Bothtivagio Principe Christianæ Religioni nomen dedit, quamobrem Drahomiræ, sævissimæ fæminæ, odium, & invidiam sibi conflavit; cujus mandato, martyrium subijt, confracto ad saxum capite, die 16. Septembris. Hujus saxi pars sanguineis adspersa maculis servatur adhuc in Arce Pragæ apud Moniales Benedictinas, quarum Abbatissa *Principis* titulo gaudet, & Reginam Bohemiæ coronare solet: ibidem visitur Sanctæ Ludmillæ sepulchrum innumeris circumdonarijs, ac votis, & anathematis coronatum. Scribit Dubravius, non defuisse ad hanc usque diem posteros eorum, qui violentam B. Ludmillæ necem intulerunt, & serie nunquam interruptâ, magis, ac magis, illorum filios, ac nepotes propagari, qui parentes patrati sceleris authores facie, barbâ, pedibusque ad vivum referant: nam cùm ex ijs alter colore rufus esset, alter verò tibijs parùm distortis, omnes eorum nepotes ijsdem omninò vitijs, ac defectibus, quibus Avi, semper laborant; eâque sempiterni dedecoris, & perpetuæ ignominiæ notâ apud Bohemos infames habentur.

Surius to. 5. de SS. die 28. Septembr. ex Joan. Dubravio Episcop. Olomuriēs.

Rationes eligendi Sanctam Ludmillam Bohemiæ *Patronam* fuerunt, illustres ipsius Martyris in eâdem regione natales; illata ejus opera, & exemplo in Bohemiam idololatriæ tenebris involutam lux Evangelij, accepta ab incolis beneficia, & eximia vitæ innocentis pietas, & morum probitas multis post ejus mortem miraculis illustrata, illo potissimùm, quòd terra, in quâ primùm sacrum ejus corpus sepultum fuit propè Titinensem Arcem, nullum, ne innocentis quidem pueri, cadaver admittere dicitur; sed statim illud rejicere, ac extrudere, ad eum ferè modum, quo Agrippinæ Coloniæ Area templi Sanctæ Ursulæ, & Sociarum Virginum, & Martyrum, omnium aliorum cadavera mortuorum respuit, nec alicujus in se patitur sepulturam.

S. Procopius. Quintus Bohemiæ *Patronus* est Sanctus Procopius, Abbas dignitate, professione Monachus Benedictinus. Cum oraret aliquando in Silva Satavæ fluvio proximâ, ab Ulrico Duce per illos fortè montes, saltusque ferarum venationi vacante, repertus est: petijt is frigidam à Procopio, ut sitim extingueret, quam è vicino fonte haustam Sanctus Abbas ligneo vas-

culo exceptam Duci obtulit; sed statim in optimum vinum mutata est. Hac occasione Ulricus Procopium multis deinceps amoris, & honoris significationibus prosequi cœpit. Nostrâ etiam ætate visitur fons ille famâ celebris, & miraculis clarus, cujus aqua ad depellendos è corporibus morbos maximè valet. Procopius Sanctissimè vixit, obijtque die 4. Julij, anno Christi 1053. Multa, eaq; scitu digna patravit miracula, à quibus describendis de industriâ abstinemus, quia id officij nostri non est. Jacet illius corpus in templo omnium Sanctorum intra ipsam Pragæ Arcem, eò à Rodulpho Imperatore translatum, ibique magno Fidelium concursu, & maiori pietate colitur, & Bohemiæ *Patronus* habetur. *Surius tom. 8. Kal. April.*

Sextum ordine locum tenet inter Patronos Bohemiæ Sanctus Sigismundus Rex Burgundiæ, filius Gundebaudis à Francis olim hostibus in puteum præcipitatus: in vico Sancti Petri de Ave-columba, diæcesis Aurelianensis ad Deum evolavit, columbâ purior, & candidior Kalendis Maij. Sacrum illius corpus inde ab incolis extractum, Dei monitu, & in vicino templo repositum, multis cœpit miraculis coruscare, & regnantis cum Deo gloriam mortalibus propalare. Tandem Carolus IV. Imperator, & Rex Bohemiæ, cùm venisset in Galliam, corpus ab Amadeo Sabaudiæ Comite, & à Monachis cœnobij Sancti Mauritij sibi dono datum in Bohemiam transtulit, illudque in templo maximo Pragæ collocavit; nobili ad id continendum mausoleo erecto contra sacellum Sancti Vvenceslai: atque, ut omnibus de singulari suo erga B. Martyrem pietatis studio satis constaret, filio paulò post sibi nato *Sigismundi* nomen imposuit: quo deinde nomine plures Slavici Sanguinis Principes dici voluerunt; sivè ut S. Martyrem sibi propitium redderent; sivè ut Cæsari Imperanti morem gererent. Ab eo jam tempore, quo facta est sacri illius corporis in Pragam translatio, Bohemiæ *Patronus* haberi cœpit, ut nonnulli viri docti existimant. Tertianâ potissimùm, vel quartanâ febri laborantes, ad illius sepulchrum, impetrandæ sanitatis causâ, solent confugere, & votorum compotes passim fieri. Nec ullum præsentius invenitur ad depellendas hujusmodi febres ab infirmorum corporibus remedium, quàm Sancti Regis opem demissis precibus à Deo implorare; vel terram ipsius sepulchri malè affectis corporibus admovere, vel oleo lampadis inungi, quæ antè sacram illius memoriam perpetuò lucet.

S. Sigismund.

Aim. lib. 2. c. 4. S. Greg. Turon. l. 3. c. 5. & 6. Surius tom. 3. die 1. Maij. Baron. in notat. ad Martyr. Roman. 1. Maij. Sigibert. in Chron. Anno 515.

S. Norbertus. Septimo loco Bohemiæ Patronis adnumeratur Sanctus Norbertus Ordinis Præmonstratensis Author, & Parens; ubi primùm sacrû ipsius corpus Magdeburgo fuit Pragam translatum, Urbis ejusdem, Regnique Bohemici Defensor, & Patronus electus est, sub Ferdinando II. pijssimo Imperatore: advecto in Bohemiam Norberti corpore, Urbs Magdeburgensis, quæ multorum cursu annorum tanti steterat Patroni nixa præsidio, auxilioque defensa, sui destituta Patroni corpore, statim corruit, & ab hostibus capta, & direpta est. Ad eum ferè modum, quo Nisibi munitissimæ Urbi Mygdoniæ, in confinijs Imperijs in Oriente sitæ contigisse legimus, quæ nunquam potuit capi ab hostibus, quandiù asservavit Sancti Jacobi Episcopi sui corpus, quo veluti firmissimo propugnaculo munita, hostium assultus, & oppugnationes eludebat; illo verò indè amoto, à Persis continuò occupata fuit, & rapinis,cædibusque fædara,(ut alia omittamus exempla:) dato mortalibus documento, Sanctorum Reliquias Urbibus, non ornamento solùm, sed præsidio esse, & munimento; illorumque exuvijs, seu propugnaculis, stare Regna non minùs opibus, quàm armis firma; nutare confestim, & ruere, ubi ijs destituuntur Patronis; ut benè advertit Sanctus Basilius homiliâ de Sanctis Quadraginta Martyribus: *Hi sunt*, inquit, *qui nostram obtinentes regionem, quasi quædam turres contra adversantium incursus refugium exhibent, & multorum patrias ornaverunt.* Stetêre Regna, Urbesque quandiù Sanctorum corpora possederunt, quibus earum felicitas nitebatur, dicebat Author Anonymus de Beato Simeone Stylita: *Illorum quippè sacra pignora, plusquàm mœnia, Urbes, Civesque defendunt.* Ferdinandus Imperator Author fuit Bohemis, ut Sanctum Norbertum Patronum sibi deligerent, cujus reliquias Magdeburgo everso, in Pragam transferri jusserat, ut ijs Urbem muniret, & ornaret, quæ Regum Bohemiæ Sedes erat, & Regni Metropolis florêtissima. Alieno certè Magdeburgensium damno didicere Norimbergæ Cives, (in quorum ego Urbe Franconiæ principe, biduum substiti, dum Romam peterem à Serenissimâ Sueciæ Reginâ Christianâ missus Anno Christi 1651.) oppignoratas sibi Sanctorum multorum Reliquias à Vvenceslao Pigro Bohemiæ Rege, in loco decentèr ornato asservare ad hanc usque diem, religioso quodam timore correpti.

Baron. in Annal. Eccl. to. 7. p. 553.

Samuel Laberithel. S.I. in litteris ad me datis.

Felicior, (si fas est dicere) Parente Ferdinando II. Ferdinandus III. filius extitit, electo Bohemiæ Patrono Sancto Josepho Beatissimæ Virginis Mariæ Sponso, Anno 1655. impigram ad id operam dante Comite à Martiniz Bohemici Regni Burgravio; Archiepiscopo tum Pragæ Cardinale Ernesto Adalberto ab Harrach. Causa electionis fuit singularis Ferdinandi in eumdem Sanctum pietas, quem ut pacis Arbitrum colebat; optabatque, ut is Germanis suis, atque Bohemis firmam impetraret pacem à Jesu Christo Servatore nostro, cujus olim pueritiæ curam gesserat; quem divina oracula *Pacis Principem* meritò appellant, & vixdum natus inter præsepis Bethlemici angustias auream pacem mortalibus attulit. Angelorum præconijs decantatam.

Ij sunt Divi Tutelares Bohemiæ communi omnium ordinum consensu recepti, & solemni cultu ab incolis celebrari soliti, quorum primi sex pulchras, & ingentes habent statuas in templo Societatis Jesu; reliqui verò in alijs Pragæ Ecclesijs. Angelorum præterea Reginam Mariam Virginem pijssimè colunt Bohemi, cujus imagines quatuordecim religione, & miraculis celebres numerantur per varias Regni Urbes, oppidaque sparsæ, & incolarum votis, ac peregrinationibus frequentatæ. Sanctum etiam Georgium Martyrem summo honore, & amore prosequitur Pragensis Ecclesia Metropolitana, cum quinque Sancti Adalberti socijs Benedictini Ordinis Monachis ab Ethnicis in Polonia trucidatis. Leopoldus Archidux Austriæ frater Imperatoris Ferdinandi III. sempèr Augusti, Praga moturus castra adversùs Hæreticos, Sanctorum Tutelarium, de quibus hactenùs egimus, memorias supplex invisit, ut opem ab ijs peteret: holoserico tum prægrandi, & valdè pretioso peristromate illas ornari mandavit. Sæviente per Bohemiam hæresi, urbesque, & pagos, furentis incendij more, devastante, innumeris ex omni sexu, atque ætate mortalibus Hæretici necem in odium Fidei Catholicæ intulerunt: Passim jactabat Joannes Ziska Hussitarum monoculus Dux, patriæ fax, & acerrimus Catholicæ religionis hostis, suprà mille Presbyteros à se varijs tormentorum generibus fuisse occisos. Nec desunt Authores, qui affirment, ducenta Catholicorum millia in solo Bohemiæ Regno ab Hæreticis interempta; quorum sanguine irrigata multiplices in posterùm religionis, & sanctimoniæ fructus feret, & victrices

Dubrav. Episcop. Olum.
Cosmas in Histor. Bohem. ad Ann. 995. vel 980.
Michov. lib. 2. c. 8. Histor. Polonicæ.
Ludov. Aurelius in Epitome, Ann. 1412.

cælo laureas inferet, ut his temporibus fieri jam videmus, ab anno potiſſimùm milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo primo, Imperante Ferdinádo III. piiſſimo Cæſare, & rem Catholicam mirificè promovente.

Illud ad calcem hujus tractatûs advertes, Sanctos Vvenceslaum, Ludmillam, Adalbertum, & Procopium ſolemnes in Bohemia ferias habere, Primariosque cum Sancto Vito à multis jam ſeculis Patronos eſſe, ordine à nobis ſuprà deſcripto: his à Carolo IV. additus eſt Sanctus Sigiſmundus, cujus corpus Anno Chriſti 1365. Pragam translatum fuit; Anno deinde 1630. Sanctus Norbertus, occaſione translationis ſacri ipſius corporis. Anno demum 1655. octavus numero Sanctus Joſeph Bohemiæ Patronus acceſſit: quorum officium per totam diœceſim Pragenſem Clerus recitare ſolet ſingulis diebus Jovis non impeditis feſto IX. lectionum, idque ſub ritu ſemiduplici.

Albert. Chanovuski in veſtigio Bohem. pia.

HUNGARIÆ PATRONI.

SANCTI, quos Hungaria, ut Patronos colit, sunt, qui sequuntur desumpti ex Martyrologio, & Breviario Romano, & proprio hujus Regni; ex ejusdem legibus, vel decretalibus; ex Historiâ Antonij Bonfinij; præcipuè verò ex Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ, Authore Melchiore Inchofer Societatis Jesu Theologo, Romæ editis Anno Christi 1644.

PRIMA EST Sanctissima Virgo Maria, edicto Sancti Regis Stephani in Patronam totius Regni electa; tum quia Geizæ ipsius parenti, cælesti circumfusa luce apparens, Stephanum nasciturum prædixit, magno Reipublicæ Christianæ bono futurum: tum quia multis à Deipara beneficijs acceptis, summo pietatis studio, quandiù vixit, illam coluit, & amavit: edixitque, ut dies Virgineæ Assumptionis vocaretur, *Dies Magnæ Dominæ*, celeberrimusque per universam Hungariam haberetur: templũ etiam in illius honorem apud Albam Regalem, Urbem Regni principem, extrui jussit, amplum, & elegans, opere, & structurâ magnificum; addidit ex auro, & holoserico multiplicem supellectilem ad divina Officia digniùs peragenda: nihil omisit Rex pijssimus, quòd vel ad augendam templi maiestatem, vel ad excitandam Fidelium venerationem, vel ad demerendam Deiparæ gratiam conferre posset. In hoc Reges Hungariæ templo sacro inungi oleo soliti erant, cùm coronabantur; & sepeliri, cùm è vivis excedebant. Visuntur ad hanc usque diem monetæ argenteæ B. Virginis effigie insignitæ, additâ circunscriptione: *Sancta Maria Patrona Hungariæ.* Hungariam item à Sancto Stephano *Familiam Mariæ Vir-*

Cartuitius in Vita S. Steph. c. 9. & 10.
C. Baron. to. 11. ad Ann. Christi 1002.
Joan. Tomcus. Marnavitius de SS. Illyricis in Vita S. Stephani R.
Anton. Balingh. S.I. in Ephemer. Mar. die 15. m. Augusti.
Canisius in Mariali l. 5. c. 25. & 28.
Euseb. Nierēb. S.I. de Troph. Mar. l. 1. c. 8.
Haraus in Vita S. Steph.
Bonfin. de reb. Hūg. lib. 1. dec. 2.
Kolvener. in Kal. Mar. p. 1. die 11. Mai.
Hippolyt. Marrac. in regib. Marian.
Spinel. de B. M. V. c. 35. § 4. fol. 484.

Virginis dictam fuisse memorant; indè profectum, ut quotiescumque *Mariæ* nomen pronuntiatur, Hungari statim, reverentiæ causâ, flexis genibus caput inclinent.

His amoris, & honoris significationibus Beatissima Virgo dulcissimæ Matris amore perpetuò respondet; & delatâ sibi ab Hungaris pietatis, & clientelæ obsequia beneficijs innumeris nullo unquàm tempore compensare destitit, dum Romana, & Catholica Religio inter illos viguit pura, & nullis Hæreticorum erroribus inquinata. Unum, aut alterum ex ijs seligere, operæ pretium erit, ut dictis fidem conciliemus.

Euseb. Nieremb. de Troph. Mar. lib. 3. c. 43.

Matthias Rex Stephanum Vaivodam B. Virginis ope acie superavit: Budam reversus militaria hostium signa in bello capta, seu trophæa, è tholo Mariani templi suspendi jussit, grati animi causâ, partæ victoriæ monumenta.

Joan. Nadasi. S. I. in Annal Mar. Anno 1573. pag. 143.

Ludovico Regi Hungariæ in somnis apparuit Cælo delapsa Virgo Deipara, purissima nitens luce, suique eximiæ pulchritudinis effigiem, Angelorum manibus depictam, materni amoris pignus, dono dedit. Cùmque viginti tantùm bellatorum millia sub signis haberet Rex, & instantis belli Turcici mole valdè premeretur; demandato Virginis, cum potentissimo Turcarum exercitu conflixit; & victor evasit: octoginta hostium millibus interemptis, paucis dumtaxat Christianorũ desideratis.

SECUNDUS

Cartuitius in ejus Vita.
Surius to. 4. ad diem Augusti 20.
Bonfin. de reb. Hũg. decad. 1. lib. 1.

Sanctus Stephanus, hoc nomine Primus, Rex Hungariæ, (nam antea sub Ducibus erat) anno 969. Patre Geiza, Strigonij natus est: nomen Stephani infanti inditum, quòd matri partui proximæ Stephanus Protomartyr apparuit, jussitque filium suo nomine, quod coronam significat, insigniri; ut pote qui Regis titulo Primus, & corona à Romano Pontifice mittenda, decorandus esset. A Sancto Adalberto Pragæ in Bohemia Episcopo, baptismo ablutus, morum innocentiam, quam à sacro fonte hausit, ad extremũ usq; vitæ spiritũ, puram, & illibatam servavit. Regni possessionem adeptus, rem Christianam per Hungariam totis viribus promovêre studuit. Archiepiscopatum Strigonij, cum decem Episcopatibus institui curavit, quos amplis reditibus instruxit, & Beatissimæ Virgini Mariæ dicavit. Astrico Colocensis Ecclesiæ Præsule, in Urbem misso à Summo Pontifice Silvestro II. omnium, quæ gesseat, & instituerat per Hungariam confirmationem obtinuit:

Surius to. 4. ad diem 20. Augusti.
C. Baron. in Annal. Ecc. ad Ann. Christ. 1030.

Co-

Coronam præterea, quam Pontifex Poloniæ Duci destinaverat nuper ad Fidem converso, Dei monitu, Stephano misit, eumque solemni more *Regem Hungariæ*, & Apostolum salutavit. Vivum omnium virtutum compendium fuit, quæ in excelso Regiæ dignitatis fastigio constitutæ clariùs emicabant, & subditos sibi populos ad imitationem accendebant. Die decimaquinta Augusti Magnæ Matri in Cælum Assumptæ sacrâ ad Cælum migravit, quam ipse unicè dilexerat, & Hungariæ *Patronam* declaraverat. Non multis post obitum annis Sanctorum fastis adscriptus, ab universo Regno coli cæptus est, die 20. Augusti, quo illius corporis translatio contigit, cum octava: in *Patronum* adlectus, multis clientes suos beneficijs afficere non desistit; quorum nonnulla hìc referre operæ pretium erit. *Bonfin. de reb. Hug. dec. 2. lib. 1. Marrac. in regib. Marian.*

Conradus Imperator magno Germanorum exercitu comparato Stephano bellum intulit; qui verò hujus eventus fuerit, sic refert in ejus Vita Cartuitius: *Considerans Rex se nihil posse sine Christi adjutorio, Dominæ suæ, perpetuæ Virgini, & Dei Genitrici Mariæ suas injurias commendans, in ejusmodi prorupit voces: Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis devastari, & novellam Christianismi plantationem dissipari, ne quæso, finas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potiùs dispositioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa Pastoris, ipse luat; oves, quæso, insontes ne patiaris affligi. His dictis movet in hostes. Alterâ die nuntius (cælestis nimirùm) venit ad singulos quosque duces exercitûs Germanorum, ab Imperatore Conrado litteras afferens, quibus jubebantur pedem retrò referre. In sequenti nocte ante lucem Conradus soluta castra compepit; videt domum quemque festinare: rei novitate motus causam disquirit: omnes uno ore referunt, tesserarij voce missione donatos: accitis tesserarijs, neminem invenit, qui missionis edictum circumtulerit: mox Conrado Stephani sanctitas occurrit, cujus gratiâ cælestem nũtium sub tesserarij specie castra solvisse reputavit, ne Sancti Regis populus oppugnaretur. Approbavit divinæ missionis edictum Imperator: Instauratâ pace in Germaniam se recepit, cum gravissima asseveratione pollicitus, se Pannonijs, quos sub divina tutela esse intelligebat, perpetuò manus abstenturum.* Hucusque Cartuitius; & post illum Bonfinius. *Bonfin. dec. 2. lib. 1.*

Transsilvaniam etiam à Bessorum vastatione miraculo liberavit. Cupam, (id Duci nomen) qui sumptis in Regem

armis rebellaverat; & ingentem rebellium exercitum sub signis habebat, reducendi in Hungariam idolorum cultum studio ductus; voto facto, solvendi Deo omnium rerum decimas, & in honorem Sancti Martini templum extruendi, facilè debellavit; victoriam pax aurea, & summa Reipublicæ, & Christianæ tranquillitas consecuta.

Sancti Stephani manus dextera integra, & ab omni prorsùs corruptione immunis diu permansit, quâ scilicet pauperibus eleemosynas largiri solebat, ut habetur in ejus Officio, die octava, lectione 6. Asservatur Leopoli Urbe Archiepiscopali Russiæ, quam ut recuperaret Cardinalis Pasmannus, nullum non movit lapidem circa annum 1635. sed voti sui compos fieri non potuit. Cranium, argenteâ inclusum thecâ Zagrabiæ, quæ est Sclavoniæ metropolis, asservari tradunt, & quotannis per Urbis plateas, & circos, solemni pompa, religionis causâ, circumduci: quomodò verò relatum fuerit in illam Urbem, certò nobis constare non potuit: vastatâ enim sæpè Hungariâ, & continuis attrita bellis, direptis Ecclesijs, incensis tabularijs, in quibus ista, haud dubiè, notata erant, omnia perierunt. Reliquum Sancti Regis corpus, & plura alia Sanctorum corpora, Albæ olim condita, Urbe toties captâ ab hostibus, & à nostris receptâ, ac demum amissâ, & à Turcis tandem infessâ, & occupatâ, quò devenerint, in obscuro est: à Barbaris abjecta esse, vel flammis tradita suspicamur.

Bonfin. in Annal. Hungar. lib. 1. dec. 2. Illud tandem ex Bonfinio addimus, quod contigit Salomoni Regis Ladislai fratri in carcere detento: *Postquam Ladislaus*, inquit, *ejusdem Sancti Regis pronepos, accepto à Sede Pontificia diplomate, ut Divi Stephani corpus, tanquàm Sancti, publicæ venerationi exponeretur, (nec enim alius tunc mos erat canonizandi Sanctos, quod Baronius, & Spondanus in Historia Ecclesiastica benè advertunt) habito Antistitum conventu, indictoque jejunio triduano, demum, ut corpus levaretur, ad tumulum perventum est: cumque lapis sepulchralis vi nullâ moveri posset, & Rex cum populo iram Numinis interpretatus, graviter angeretur; Virgo quædam, Charitas nomine, in Æde templo vicina degens, repentè accurrit Regem admonens; lapidem amoveri non posse, priusquam fratrem suum Salomonem è carcere educeret. Educto igitur quamprimùm Salomone, indictoque rursum jejunio triduano, facillimè amotus lapis, & corpus solemniter circumalatum;*

tum; exinde publicæ venerationi est propositum. Hæc Bonfinius. Ab eo tempore Sanctus Rex multis ad sepulchrum miraculis coruscare cœpit, & Hungariæ Patronus haberi.

TERTIUS

Sanctus Adalbertus Pragæ Episcopus, & Martyr, cujus festū vigesima tertia Aprilis celebratur, cum octava, de quo fusè scripsimus inter Patronos Bohemiæ. In Hungariam cùm venisset Geizam Principem, vel Ducem ad Christianam Fidem convertit. Filio ejus Stephano præceptor datus, eum sanctissimis moribus informavit. In Prussia tandem martyrij palmam obtinuit. In Officio proprio Hungaricæ Ecclesiæ habetur, baptizatum ab illo fuisse Sanctum Stephanum; quæ opinio communi est consensu populorum recepta; quāquam Melchior Inchofer nostræ Societatis Scriptor, computatâ diligentiùs, ut ipse existimat, temporum ratione, scribat, seriùs quàm hæc contigerint, venisse in Hungariam Adalbertum. Illud certum: *Apostolus* hujus Regni, & *Patronus* à multis jam sæculis habetur.

Surius tom. 2. SS. ad diem 23. April.

Breviar. Polonicū.

Sigebert. in Chron. ad Ann. 994

Æneas Silvius in Hist. Bohem. c. 16.

Cromerus de reb. Polon. lib. 3.

C. Baron. in notat. ad Martyr. Rom. ad diem 23. April.

QUARTUS

Sanctus Ladislaus hoc nomine Primus, Rex Hungariæ, cognomento *Pius*, filius Belæ Regis, virtutibus, & miraculis clarus, magna prudentiæ, justitiæ, & bellicæ fortitudinis laude Rempublicam administravit. Cumanos hostes in Hungariam multis bellatorum millibus irrumpentes profligavit: Dalmatiam, & Croatiam, nobiles provincias, armis subegit, easque suæ ditionis fecit: aucto imperio, ac debellatis hostibus, ad propagandam Religionem animum adjecit: Dei monitu propè Chrysium fluvium, in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ templum extrui præcepit; addito ad illius splendorem, & munimentum, magni nominis Varadino; munitissima Urbs est in limitibus Hungariæ, ad Sebeskerek fluvium, quæ non multis ante annis ob Christianorum Principum dissensiones, & socordiam à Turcis capta, duram modò servitutem servire cogitur. Adversùs Tartaros etiam feliciter bellavit: fame laborantibus Hungaris, magnam cervorum copiam divinitùs ad vescendum suffecit: ad extinguendam præterea sitim aquæ limpidissimæ fontem è saxo durissimo repentè elicuit, qui ad hanc usque diem perseverat propè oppidum Fallovizæ milliaris duobus à Cassovia dissitum. Ad recuperandam Hierosolymam ingentes militum copias comparabat, sed hæc

C. Baron. in notat. ad Martyr. Rom. die 27. Junij. Breviar. Polonicũ, & Hungaric. Bonfin. de reb. Hũg. lib. 4. dec. 2.

animo agitantem mors immatura intercepit die 27. Junij, Anno à Christo nato 1095. Varadini sepultum luxerunt Hũgari per triennium, vestibus attatis, intonsis crinibus, promissa barbâ, multisque alijs mæroris significationibus: post mortem multis miraculis claruit, quorum famâ excitus Cælestinus III. Romanus Pontifex, eum Sanctorum fastis adscripsit. Caput Sancti Regis Javarini asservatur, & singulis annis, cùm ipsius festum celebratur, publicæ venerationi exponitur; quomodò verò eò devenerit; & quid actum fuerit de reliquo corpore, postquàm Varadinum in potestatem Principum Hæreticorum Transilvaniæ venit; & nunc denique Turcis cessit, in obscuro est.

QUINTUS

Sanctus Martinus Turonensis Episcopus, & Confessor, cujus nomen valdè celebre est in Hungaria, dulcis memoria; tum quia Sabariæ in ipsa Hungaria natus est, (qui locus apud Pannones illustris habetur:) tum quia Beatus Stephanus ab ineunte ætate, ut ipsemet testatur in diplomate dato Proto-Abbatiæ Sãcti Martini montis Pannoniæ, multa, illius interventu, à Deo accepit beneficia; præsertim, cùm voto concepto de excitando in illius honorem templo, victoriam insignem obtinuit de Cupa rebellium Duce, qui vanam Idolorũ superstitionem in Hungariam reducere moliebatur, & ad id ingentes bellatorum copias collegerat: templum extruxit, & Cænobium ædificavit, eo ipso in mõte, inquit Joannes Tomcus Marnavitius, in quo Sanctus Martinus, dum in Pannonia moraretur, orare solitus erat. Idem Author in Vita Sancti Ladislai Regis Hungariæ testatur, Sanctum Martinum inter Sanctos *Patronos* Hungariæ numerari. A quo verò tempore inceperit *Patronus* haberi, non declarat: ab eo fortasse anno, quo Sanctus Rex Stephanus Cupam tyrannum, implorato illius auxilio, debellavit; id tamen divinando magis, quàm affirmando scribimus, idoneis tantùm conjecturis nixi.

Joan. Tomcus Marnavit. de SS. Illyric. pag. 205.

SEXTUS

Sanctus Emericus Dux, Confessor, Divi Stephani Regis filius unicus, morum innocentiâ, & perpetuâ corporis, animiq; munditie Angelo similis, cælestem in terris vitam egit, relictâ etiam intactâ sponsâ, filia Crescimiri Dalmatiæ Regis, quam duxerat, ut patri morem gereret. In ipso juventutis flore cælo maturus decessit, die quarta Novembris, Anno

Baron. in not. Martyrol. ad diem 4. Novembr. Vetus Codex m. s.

Christi

Christi 1032. vel 1036. licet alij in alia sint sententia; multis post mortem fulgentem miraculis Benedictus VIII. cũ patre Stephano, in SS. numerũ retulit, Anno Christi 1083. De sacro illius corpore nil prorsus rescire potuimus, cùm & templa, & cœnobia, si unum Divi Martini excipias, perierint omnia, vel sub potestate Turcarum, vel Hæreticorum, qui Turcis barbarie, & impietate non cedunt. Liceat mihi pulchram, ac piam huic loco accommodare Apostrophen Raderi nostri, suo satis nomine noti. *Salve* Emerice *Regia soboles, virtutibus macte, sidus Pannonum, decus Boiorum, Sol mundi; exemplum regiæ juventutis, intrà delicias natus, in delicijs educatus, extra delicias versatus, Josephi, Martiani, Henrici avunculi, priorum imitator, posteritatis impulsor. Vive Beatus Cælo, Patrone terrarum: trahe posteritatem ad tuum exemplum; patriæ, qua magnoperè laborat, precibus, votisque succurre.*

Cromerus 1036. Bonfin. dec. 2. lib. 2.

Matthæus Rader. S. I. de SS. Bavariæ.

SEPTIMA

Sancta Elisabetha vidua, Andreæ secundi Regis Hungariæ filia, Ludovico Thuringiæ Landgravio nupsit: viro mortuo, Principis titulo, habitúque deposito, vilem, & pauperem assumpsit vestem, & Sancti Francisci Regulam professa, ad cujus vitæ normam suam instituit, & composuit; quam Sanctã mors excepit: miraculis illustrem Gregorius IX. Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit. Quo autem tempore, vel anno ad numerata fuerit Patronis Hũgariæ, incertũ est. Obijt die 19. Novembris, Anno Christi 1231.

Jacobus Montanus in ejus Vita.

Surius tom. 6. Albert. Krantzius Hist. Saxon. lib. 7. cap 48. Fr. Marc. Vlyssip. in Chron. Min. lib. 9. cap. 10.

OCTAVUS

Sanctus Gerardus Martyr, & Episcopus Csnadiensis, ex clarissimâ, ut ferunt, Venetijs Sagredorum familiâ; parentes habuit B. Virginis cultui impensè deditos; quam filius ab ijs hausit pietatem, tam altè cordi, animoque impressit, ut de colenda gratiæ Matre, amandaque perpetuò cogitaret, & quidquid ageret, diceretve ad ejus honorem, gloriãmque referret. In Hungariam, adulta jam ætate se contulit, Fidei prædicandæ causâ, ibique à Rege Stephano summo in honore habitus est, & Emerico Principi morum magister datus. Illo suadente, Stephanus Deiparæ Virginis cultum ubique promovere studuit, & Christianãm inter Hungaros pietaté: pertæsus postea Aulæ Regiæ splendorem Gerardus, & Urbis tumultum fugiens, in Beelis solitudinem secesit, ubi ab hominum commercio sejunctus, cælestem in terris vitam agere

Surius de SS. 24. Septembr. tom. 5. Tomcus Marnavitius de Sanct. Illyrican.

Hieronym. Fabri de memor. sacris Ravenn. part. 1. p. 309.

Annales Hungar. Trithemius de Viris illustr. S. Benedict. lib. 3. c. 239.

Offic. Eccl.Hungar. Bonfin. in Annal. dec.2. lib.2.

cæpit. Inde revocatus in Aulam boni communis ; & Christianæ Religionis, quæ periclitabatur, causâ, privatas commoditates publicis rationibus postposuit; Csanadiensis Episcopus, invitus licet, creatus (Urbs est Csanadium in confinijs Transilvaniæ ad Zippam fluvium) Rempublicam, & Christianam totis viribus tueri, & promovere curavit; Beatissimæ Virginis Mariæ potissimùm auxilio fretus. Stephano Rege mortuo, graves exortæ seditiones per Hungariam, pacem turbarunt, & rem Christianam in discrimen adduxerunt; multi enim viri principes, ejuratâ Religione Catholicâ, ad gentiles ritus defecerunt, & vanam idolorum superstitionem in Hungariam revocare, quà vi, quà dolis moliebantur; quorum conatibus, & furori Gerardus fortitèr se opponens, fortitudinis,& constantiæ suæ uberrimum fructum tulit, Martyrij scilicet palmam, contuso saxis capite, effuso cerebro, hastaq; transfosso pectore, die 24. Septembris, Anno Christi 1042. cujus corpus Venetias translatum, in Ecclesia B. V. Mariæ, quæ modò *Sancti Donati* vocatur, quiescit; quasi vellet etiam post mortem suum erga Matrem dulcissimam amorem,& pietatem testari: contigit translatio die 23. Februarij. In hunc ferè modum vitam, & gesta Sancti Gerardi texunt Annales Hungariæ, & Officia propria *SS. Patronorum* ejusdem Regni Tirnavij edita Anno 1663. Philippus Ferrarius tradit, fuisse Gerardum Canonicum Basilicæ Sancti Martij Venetijs. In ejus Officio, lectione 1. secũdi nocturni habetur, Monachum fuisse in Cænobio Sancti Georgij, in Alga, & in eo Abbatis munere diù functum. Super his verò judicium meum interponere, & sententiam ferre, supervacaneum duco: erunt, qui diligentiùs rem examinent, illaque ritè examinata, ferant pro veritate sententiam. Litteræ ad me ex Hungaria missæ à quodam viro docto, & rerum sacrarum benè perito, inter Patronos illius Regni Gerardum recẽsent; tempus verò non declarant, quo cæpit esse Patronus; nec facile est in tantâ rerum antiquitate, & mutatione temporum rem obscuram assequi, aut quid certum definire; proindeque illam in medio suspẽsam relinquo.

C. Bar. in notat. ad Martyr. Roman. die 24. Septembr.

Author Anonymus.

NONUS

B. Joannes cognomento *Eleemosynarius*, Archiepiscopus Alexandrinus, inter Divos Hungariæ Tutelares numeratur, ab eo videlicet tempore, quo Mahometes Secundus, captâ Constan-

Constantinopoli, sacrum illius corpus integrum, & incorruptum Matthiæ Corvino tunc Regi Hungariæ, Budam dono misit; ibique mansit ad cladem usque Mohactianam, cujus causa translatũ fuit Posoniũ, Urbem Hũgariæ superioris caput, & totius Hungariæ Austriacæ primariam, ad Dannubiũ fluvium, leucis octo à Vienna distantem, & decenti loco repositum. Petri Cardinalis Pasmani industriâ, sumptuque tũba argentea confecta est, in qua Sancti Episcopi corpus ad hanc usque diem incorruptum quiescit; nobile etiam è marmore mausoleo, ad illam continendam, erecto. Rem descripsit Georgius Drascovitius Episcopus Quinqueclesiensis, & Posoniensis Præpositus peculiari libello.

Anton. Brandand. in Lexico Geographico.

DECIMUS

S. Demetrius Martyr Thesalonica Urbe Thesaliæ natus, Imperantibus Diocletiano, & Maximiano martyrium passus 8. die Octobris. Illũ in Hungaria colendi occasio, & Patroni loco habendi à Leontio Illyrici Præfecto manasse creditur, qui ob recuperatam, illius apud Deum precibus, sanitatem, nobilem in honorem Martyris Thesalonicæ templum fabricari curavit; aliud verò Sirmij, quæ olim Urbs caput erat inferioris Pannoniæ, & aliquorum imperatorum Sedes fuit. Eò Demetrij chlamidem, orariumque pretioso tinctum sanguine Leontius transtulit, ac idoneo loco reposuit ad alendam illius memoriam, & Fidelium pietatem excitandam.

C. Bar. in notat. ad Martyr. Roman. ad diem 8. Octobr.

Graci in Manologio Lipoman. tom. 6.

Surius tom. 5. SS.

Cedrenus in Basilio Imperat. & Zonarus in Michaele quarto.

UNDECIMUS

Sanctus Georgius, quem Græci per antonomasiam *Magnũ Martyrem* appellant. Illius cultus à S. Stephano Rege traxit originem; in more quippè habebat sub Signis Georgij adversùs Fidei, & publicæ pacis hostes bellum gerere, & in ipso conflictu Sancti Martyris nomen inclamare; qui mos ad posteros quoq; manavit Hũgariæ Reges. Cæterùm fusa jam per Hungariam Fide Christiana, Stephani Regis opera, & industria, permulti Regni Principes, diabolicis acti furijs, & avitæ religionis revocandæ studio incensi, magno collecto exercitu, Vesprinium obsederunt; sed indè magna accepta clade repulsi, in Stephanum Regem infestis signis moverunt; commisso prælio, rebellionis Duces fusi, fugatique justas temeritatis suæ pænas dederunt: Stephanus Sanctis Martino, & Georgio, quorum opem imploraverat, victoriam acceptam retulit. Sanctus etiam Gerardus Sagredus, de quo supra memi-

Author Anonymus in litteris ad me datis, dum Romæ versarer.

Bonfin. de reb. Hũg. Joan. Tomcus Marnavit. de SS. Illyric. pag. 205.

Laurẽt. Fino achiar. S.I. de S. Georg. p. 3. pag. 260.

Baptista Justiman. in suo templo Lauretano lect. 14.

 ni-

nimus, Csanadiensis Episcopus, grati animi causa, Ecclesiam Cathedralem Sancti Georgij nomine, ac titulo consecravit. Ejusdem festum magna per Hungariam celebritate peragitur; ita ut contractuum forensium terminus, & novandarum maioris momenti rerum sit initium. Multa etiam templa, Arces, oppida illius nomine insignita visuntur; quasi ambiant univesi magni Martyris tutelæ, patrocinioque subesse.

DUODECIMUS

Sancti Andreas, & Benedictus professione Monachi Benedictini, natione Poloni, diù vixerunt in Monasterio Zoborensi Beato Hippolyto Martyri sacro, in Provincia Nitriēsi, regnante in Hungaria Sancto Stephano. Solitudinis posteà amore capti, & perfectioris vitæ desiderijs incensi, in vastam secesserunt eremum ab hominū convictu, colloquijsq; sejunctam, ut ibi liberiùs Deo vacarent, & cælitum more in terris agerent; donec Andreas jam grandis natu, & meritis plenus, laboribus, jejunijsque confectus in Cælum migravit Anno Christi 1009. Benedictus verò illius discipulus, tertio post obitum Magistri anno à latronibus jugulatus, & in Vagum fluvium projectus est; cujus corpus post transactum annum, integrum, & incorruptum, supervolantis aquilæ indicio, inventum fuit, ac indè à Fidelibus extractum, & sepultum Nitriæ, in Ecclesia Sancti Emerami quiescit. Utriusque memoria celebratur die 17. mensis Julij.

DECIMUS TERTIUS

C. Baron. in not. ad Martyr. Roman. ad diem 19. Novemb.

Sanctus Paulus Eremitarum Author, & parens, magno ab Hungaris pietatis studio colitur; ab eo præsertim tempore, quo ipsius filij & alumni regularis observantiæ laude, & illustrium fama virtutum per Hungariam cæperunt excellere, & multa varijs in locis domicilia exruere, in quibus viverent Cænobitarum, seu Angelorum more.

DECIMUS QUARTUS

Sancta Ursula, cum Virginibus Socijs; cujus colēdæ Virginis occasio, cùm certò non constet, illa fuisse putatur, quòd ab Hunnis Hungarorum maioribus Gratiani Imperatoris signa sequentibus, unà cum undecim mille Virginibus Socijs sit interempta; posteri igitur, seu Hungari, maiorum suorum gentilium immanitatem barbaram Christiana pietate compensare volentes, Ursulam cum Sāctis Virginibus Socijs impensè colere, & venerari cæperūt, & Tutelarium eos loco habere,

bere, easque illo pleno honoris, & gloriæ titulo afficere. Hi Divi Tutelares Hungariæ.

Sunt qui existimenr, inrer istos etiam numerari debere Sanctum Petrum Apostolorum Principem; Sanctum Vitum Marryrem, & Sanctum Hieronymum, Doctorem Maximum: Perrum; quòd Reges olim, Hungariam illi offerre, ac devovere pietatis causa, soliti eranr. Vitum, quòd Saxones, & Rugiani, Vangionesque ad Christi Fidem conversi, damnato Idoli cujusdam cultu, *Vitech* nomine, Vitum Christi Martyrem nomine illi similem, impensè colere, & Tutelarem habere voluerunt: Hieronymum, quòd Stridone inter limites Hungariæ, & Sclavoniæ narus, jure suo ad Hungariæ Patronos pertinere videbarur. Cæterùm, quia nec Officium habent proprium, nec diem illis specialiter dicarum, quæ signa sunr patrocinij, inter Patronos Hungariæ numerari, nec possunt, nec debent.

INSIGNIA HUNGARIÆ.

Quia non omnibus obvia sunt; & quia nonnulla continēt sciru digna, liceat hic describere.

Clypeus à summò deorsùm per medium in duas areolas dividitur; in sinistra quatuor albi tractus roridem Hungariæ flumina clarissima repræsentant, Danubium, Tibiscum, Dravum, Savum. In dextera mons assurgit numero triplex, qui tres præcipuos ejusdem Regni monres significat. Super montem medium eminet corona, insignis Cruce transversis brachijs duplicata. *Illustria Regni Christiani, & Apostolici stemmata.*



B A-

BAVARIÆ

SUPERIORIS Ducatus in secũdo Imperij circulo constitutus, Monachio Vrbe Primaria,& Ingolstadio omnium disciplinarum Academia celebris, multisque magni nominis oppidis frequens, Reges olim, Duces nunc habet Regibus potentiâ, & maiestate pares; & quod caput est, eximios Catholicæ Religionis Defensores. Episcopatus, ni fallor, quinque numerat, quos inter eminet valdè Salisburgensis Metropolitani dignitate, & Germaniæ Primatu nobilis. Serenissimorum Bavariæ Ducum Insignia sunt; Rhombi argentei mixti cæruleis. Silvester Petrasancta nostræ Societatis Theologus sic illa describit in suis Tesseris Gentilitijs: *Rhombi ex argento, & cyano sunt Insignia Bavariæ Principum.* Sic verò Joannes Nadasi ejusdem Societatis, illa ad nos ex Austria misit: *Alba, & quadratæ, ac oblongæ tesseræ, cæruleis intermixtæ; quas Principes Bavari à maioribus traditas proprijs heroicarum virtutum splendoribus illustrarunt.*

Aventinus in Annal Bav. *M. Vvelserus Duũvir August. de rebus Boicis.* *Jacobus Irsing. S. I. in Histor. Deip. Oeting. lib. 1.* *Petrasancta p. 217. de Tesseris gentilit.* *Hundius in Metropol. Salisburg.* *Gulielm. Gunppenberg. S. I. in litter. ad me dat. Monachij 14. Januar.* 1669.

Gens Bavarica primum Christianæ Religionis magistrum habuit Sanctum Rupertum regio Francorum sanguine natum, morum innocentia, rerumque gestarum gloria illustrem, qui Boicæ gentis *Apostolus* appellatur, & Salisburgensis Ecclesiæ Author, & parens dicitur, quem propterea nonnulli falsò putarunt Bavariæ Patronum esse, ac Tutelarem. Cæterùm Beatissimam semper Virginem Mariam solam Patronam colit, ac veneratur; illius contenta sinu, præsidioq; subnixa, domi rerum omnium abundat copia; foris verò, partis de pugnacissimis hostibus victorijs, bellica floret gloria, Religione Catholica asserta, repressa hæresi, proculcata impietate. *Bavariam,* inquit Franciscus à Cruce in suo Hortulo Mariano, *universam B. Virginis Mariæ patrocinio subesse constat; idque primi Vormatiensis Episcopi Ruperti consilio, & autho-*

Bolland. & Henschen. S. I. in Act. SS. Martij, tom. 3. ad diem 22. *Canisius tom. 6. Antiq. lect. pag.* 1038. *Convaeus S. I. de Sanctis Hiberniæ, Sanctum Rupertũ Bavariæ* Patronum *vocat.*

thoritate factum credimus: quo fructu; atque eventu declarat ipse Bavariæ status hodiernus, quem totius Christianitatis bono videmus florentissimum. Idque etsi non exprimatur in Vita S. Ruperti, benè tamen colligitur ex ijs quæ tradit noster Canisius libro 5. Marialis, & Georgius Kolvenerius in suo Kalendario Mariano, die 11. Maij. (Vixit Rupertus temporibus Childeberti secundi Regis Francorum, & Theodoberti ejus filij.)

Baron in not. ad Martyr. 27. Martij.

A tempore igitur, quo B. Rupertus in Boica Solis instar Fidei Christianæ radios explicavit, idest ab Anno 580. regnante Childeberto, Sigeberti Regis filio, cæpisse ferunt Deiparæ in Boios patrocinium, quo ipsorum Principem Theudum, hoc nomine Tertium, subjectosque illi populos ad Christi Fidem converterit: statimque ab ipso Ecclesiæ inter hasce gentes nascentis exordio Deiparæ Virginis cultum invexit, easque ritè docuit Mariano se committere patrocinio, extructa ad id fovendum, augendumque in oppido, *Oetinga* nomine, Ædicula, quæ procedente tempore, Bavariam, & Germaniam sui nominis fama, & celebritate implevit. In summa rerum vetustate temporum injurijs involuta certò nobis constare non potuit, quo post B. Ruperti in Boiariam adventum anno, ejusmodi Ædicula, vel sacellum extructum fuerit, Cæli Reginæ dicatum. Indubitatum tamen videtur, & antiqua traditione firmatum, illo Authore, & Duce Theudo administro, fuisse erectum. Visitur adhuc MARIÆ effigies antiquitate venerabilis, quæ dextro insidentem brachio Filium; sinistra manu præfixo lilio, sceptrum gestat: dexteram filioli globus implet coloris cærulei: rubræ vestis oram aureus limbus obit: caput matris pileus tegit rotundâ forma, Principibus olim singulari, cruciculis in orbem distinctus: corpus vestit cyclas limbo aureo circumdata, palliumque eximij candoris aurea fibula super pectus nectit. Forma elegans citra artificium, maiestatis plena rapit oculos, animosque intuentium: ac nemo est, qui primo perculsus aspectu excitari se arcano quodam ad divina motu non sentiat. Id omnes testantur quicumque sint, & undecumque veniant, quos è longinquis, & diversis regionibus confluentes, lingua sæpè, & habitu, & moribus discrepantes, cùm eò conveniunt, unus & idem rerum cælestium sensus tangit, & affectus loco affigit; Duces, Principes, Præsules, summi, medij, infimi, nullo discrimine ad dulcissimæ

Bar. in Annal. Eccl. Anno Christi 580. Gulielm. Gumppeb. S.I. in Atlante Mar. part. 2. fol. 167.

Andr. Bruner. S.I. in Annal. Bojorum lib. 5. Jacob. Irsing. S.I. in Hist. V. Otting. l. 2. c. 2.

Matth. Raderus S.I. tom. 2. Bavar. sacra in Vita S. Ruperti Episcopi.

Jacob. Irsing. S.I.

Dei

Dei Matris sinum, & tutelam confugiunt ; illius implorant opem, & Patronam potentissimam venerantur.

Nec suo deesse officio ullo unquam tempore destitit Virgo Sanctissima, suosque innumeris beneficijs clientes afficere: superioribus præsertim annis, sæviente per Germaniam bello Suecico, & fulminis instar, cuncta devastante, Mariæ tutelam Bavari, patrociniumque experti sunt, repulsis non semel ab eorum finibus hostibus, defensis urbibus, religione asserta, auctaque in ipsam Deiparam mirum in modum pietate. Manet ad hanc usque diem Beatissimæ Virginis perennis apud Boios memoria à Divo Ruperto Patronæ sui Ducatûs adscitæ, nullo unquam temporis cursu peritura: quam Maximilianus Dux Bavariæ, Elector Imperij, idemque fortissimus Catholici exercitûs contra Suecos Imperator, æternitati voluit cōmendare, non solùm dum in vivis esset, sed etiam moriens: testamento enim suo præcepit, ut ipsius cor ad Beatæ Virginis Oetinganæ pedes sub nigri marmoris tabella cōderetur. Idem pietatis, & amoris officium erga Deiparam exhibuit moriens Joannes Tsceklaes Comes de Tilli, Dux clarissimus sub Ferdinando II Imperatore; quò testatum omnibus facerent suum erga Deiparam Virginem studium, & amorem singularem: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Illo igitur in sacello, vel ædiculâ Sanctus Rupertus Boiorum Apostolus Mariani patrocinij, & cultûs eximij fundamenta jecit: inde, cursu temporum, adulta jam Religione Catholica, maiora indies incrementa cæpit, multis, & illustribus miraculis confirmati. Unum in medium producemus, quò certam dictis fidem faciamus. *Gunppember. S. I.*

Albertus, quem *Magnanimum* dixerunt, Catholicæ Religionis custos, ac vindex, Oetinganæ Virginis cultor egregius, navigabat aliquando in lacu Vvirmio, animi causa: cùm exorta repentè tempestas, magicis, ut ferunt, carminibus excitata, naviculæ tam vehementer incubuit, ut vectores, & nautæ de salute desperarent. Agebatur nimbo mixtus in ora turbo; intermicabant fulgura; personabant horrendo cum fragore tonitrua; ruebant ab alto fulmina: omnium facies præsentis timore periculi mortuis, quàm vivis propiores apparebant. Hæc inter Albertus animum non despōdet; sed Oetinganæ memor Deiparæ, illius invocare nomen cæpit, & opem flexis genibus implorare; nec irrita spes orantis fuit: sedatâ *Gulielm. Gumppemberg. S. I. in suo Atlante Mariano.*

quippe repentè tẽpestate serenitas cum luce rediit; & navicula tanto defuncta periculo ad portum salva, & incolumis appulit; exscensione in terram facta, Albertus nil antiquius duxit, quàm Ottingam petere, ibique ante Virginis aram cũ Socijs in genua provolutus, lacrymas fudit, vota persolvit, sacellum donis planè regijs cumulavit.

Codex Donation. & Votor.

Non uno definiri loco potuit, aut angustæ hujus Ædiculæ terminis circunscribi Patronæ gloria singularis: inde egressa cunctas Bavariæ urbes, oppidaque implevit, & contérminas etiam regiones ad sui cultum, & amorem excitavit. Visitur Monachij columna ingens marmorea in medio Urbis foro erecta, superimposita B. Virginis Mariæ ex ære statuá inauratâ, cum hujusmodi inscriptione.

Deo Opt. Max.
Virgini Deiparæ
Boicæ Dominæ Benignissimæ
Protectrici Potentissimæ
Ob
Patriam, vrbes, exercitus, seipsum, Domum,
Et spes suas servatas ab occasu
Hoc perenne ad Posteros monumentum
Maximilianus
Com. Palat. Rheni
Vtriusque Bavariæ Dux
S. R. I. Archidapifer, & Elector
Clientum infimus, gratus, supplexque
Posuit
M. D C. X X X I I X.

Alia in aula Principis statua ærea Patronæ Virginis spectatur operis admirandi, supra marmoream basim collocata, ingenti lampade argentea ante illam perpetuo lumine collucente. In eadem item Urbe regia templum visitur valdè magnificum, in quo Serenissimi Bavariæ Duces sepeliri solent, ut omnibus testatum faciant ultra mortem etiam ire suam erga Deiparam pietatem.

Belli tempore milites, ac Duces Bavari non aliam quàm Sanctissimam Virginem Patronam invocant, ac Tutelarem habent; cùm manus cum hoste conferunt ejus nomen inclamant, ad illius patrocinium confugiunt, ut sibi præsentem ferat opem, hostibus verò terrorem injiciat. B. Virginis munita

nita præsidio à Suecis nunquam potuit expugnari Urbs Ingolstadium , Boicæ Athenæ omnium disciplinarum studijs florentissimæ, quamquàm summis fuerit viribus ab Hæreticis oppugnata. Hanc ob rem in militaribus vexillis præferunt depictam matris cum filiolo JESU imaginê,quo nullum pulchrius signum, aut religiosius, aut illustrius invenitur. Equitum prætereà alæ multis constantes turmis, armis auro, atque argento interlitis conspicuæ, non alio magis symbolo distinguntur, aut ornatu bellico decorantur, quàm vexillis versicoloribus; in quibus visitur Deiparæ Sanctissimæ effigies elegantèr expressa; & si alia etiam videantur Dulcissimo *JESV* nomine circunscripto radijs solaribus circumfusis gloriosa. Conjunctis scilicet viribus, animisque concordes (si fas est dicere) mater, & filius Bavaros suos juvant, ac protegunt; patriæ ac religionis hostes à finibus arcent; urbes, oppidaq; defendunt; cives salvos, & incolumes servant : Duces pijssimos in clientelam recipiunt; Rempublicam tuentur litteris, armis, ac pietate florentem : nihil omittunt quod ad commune Boicæ gentis bonum, & utilitatem conferre videatur.

MOGVNTIA

GERMANIÆ primæ Metropolis ad Rhenum fluvium sita, antiquitate venerabilis, ædificiorum magnificentiâ nobilis, Catholicæ Religionis amans, populo frequens, insignis Clero, & amplissimi Archiepiscopatûs caput, de quo Christianus hoc nomine primus dictitare solebat: *Plures habere viros, quàm Insubriam universam.* A Druso Germanico conditam, vel instauratam fuisse existimant Scriptores rerum Moguntinarum periti. *Nobilis quondàm Civitas* à D. Hieronymo, & Eulogio appellata; *Felix* à Venantio Fortunato; à Rheginone, *Francia Metropolis*, *Regia Civitas*; à Turnero ita laudatur: *Civitas est opportuna loco, palatio magnifica, populo polita, Clero frequens.* Insignem habet Academiam à Diethero Episcopo erectam, Imperante Friderico III. Nonnulli Authores initium Moguntini Episcopatûs referunt ad Annum Christi LXXX. & primum numerant Urbis illius Episcopum Sanctum Crescentem B. Apostoli Pauli discipulum; primum verò Archiepiscopum Bonifacium Martyrem à Zacharia Pontifice Romano creatum, Carolomanno, & Pipino fratribus diligentem apud Pontificem in id operam dantibus. Archiepiscopus Moguntinus Sacri Romani Imperij Princeps Elector est, & in Germaniâ Archicancellarius: in vetustis libris m.ss. vocatur *Principum Electorum Decanus*: concinit antiquus Poeta his versibus leoninis:

Treviris ætate, sed rerum proprietate
Gaudet Agrippina, sed honore Moguntia prima.

Competat nè Mogútino Archiepiscopo jus coronandi Imperatores, tractare, vel discutere, officij nostri non est: satis constat Bohemiæ olim Reges ab illo coronari solitos; sed petente Carolo IV. Imperatore, per Clementé VI. aucta est Pra-

Petrus Cratepolius in Annal. Episcop. Mogunt.
Nicol. Serarius S.I. tomo integro de reb. Mogũtinis agit fusè, & erudité.
Cluver. description. Germania.
Bertiùs de rebus German.
Sammarth. Fratres in Gallia Christian. sub Archiep. Mogunt.
Ann. Christi 745.
Baron. & Spondan.
Surius tom. 3. Junij 5.
Serar. l. 1. c. 22. & l. 3. notat. 23.
Ludov. Morer. in suo diction. Gall. univers.
Aubert. Miræus in notit. Episcop. Orbis Christian. l. 5. verbo Praga.

Georg. Barthold. in Hist. Bohem. Pia.

ga dignitate Archiepiscopali, Olomucensi ; & Litomislensi suffraganeis attributis, & Metropolita Pragensis, annuente Pontifice, ut Carolo morem gereret ad se transtulit jus, & potestatem coronandi Reges Bohemiæ; quam Mogūtino ablatam compensavit Imperator aliquot oppidis, & castellis illi donatis.

Nicolaus Serar. S.I. de Archiep. Mogunt.
Conradus Episcop. in Chron. rer. Mogunt.
Aug. Vvichmans in sua Brabātia Mar. lib. 3. c. 40.

Moguntinæ Urbis stemma Rota est à Vvilligiso Archipræsule, Electore I. inventa, qui cùm esset humili loco natus, filius scilicet cujusdam fabri carpentarij, ut sui memor esset, seque intra justos modestiæ terminos contineret, in summo jam dignitatis fastigio constitutus, depingi jussit in locis per urbem conspicuis Rotam carpentariam; Agathoclem Siciliæ Regem imitatus, qui ut figuli filium se esse inter regias etiam mensæ epulas fateretur, in mensa semper fictilia quædam vasa sibi jubebat apponi, in quem Ausonius Poeta hoc lusit epigrammate:

Fama est fictilibus cœnasse Agathóclea Regem,
Atque abacum Samio sæpè onerasse luto.
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul:
Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe quicumque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

In conclavi Domûs Archiepiscopalis hujusmodi versiculum inscribi mandavit Vvilligisus, quem ante oculos semper haberet:

Vvilligis recolas quis es, & undè venis?

Cæterùm quia Deus humiles solet exaltare, & de imo ad summum honoris culmen evehere; contigit, ut rota hujusmodi non dedecori, aut infamiæ Vvilligiso fuerit, sed honori, & æstimationi: ita ut Moguntina Urbs in Germania superiore clarissima, illam sibi in stemma desumpserit, ab Henrico Secundo Imperatore maturo sanè consilio confirmatum, raro ad posteros modestiæ, vel felicitatis exemplo. Excellit inter reliquas Germaniæ Ecclesias Moguntina fide, & studio erga Romanam, omnium matrem, & Magistram Ecclesiarum: illius filiam obsequentissimam se esse profitetur, ut videre est in ara principe Basilicæ Cathedralis, & in titulo maioribus inscripto litteris,

Ecclesiæ Romanæ filia specialis,

quæ

quæ pietatis, & observantiæ filialis plena inscriptio in amplissimæ Urbis laudem, & Civium suorum cedere quis non videat?

Quod attinet ad Divos Moguntiæ Tutelares, duos à multis jam annis Patronos colit, Sanctum Martinum Episcopum Turonensem, & Sanctum Bonifacium Martyrem, Germaniæ Apostolum, & primum Urbis Moguntinæ Archiepiscopum. Ecclesia Cathedralis olim in Dei honorem Sancti Stephani Protomartyris titulo dedicata erat; sed cùm novum Sancto Protomartyri templum Vvilligisus ædificari mandasset, Cathedralis Ecclesia Sancti Episcopi Martini titulum accepit: cujus memoria per Galliam, & Germaniam est valdè celebris, quòd utramque Evangelij doctrinâ excoluit, & innumeris illustravit miraculis, ut habetur in vetusto Codice m. s. Carthusiæ Coloniensis his disertis verbis: *Gallia atque Germania Martini se clypeo defendi posse gloriantur, qui easdem partim absens verbo docuit; partim sua venerabili præsentiâ à malis imminentibus liberavit.* Hanc Bardo cognomento Chrysostomus Basilicam, cùm invenisset imperfectam, perfecit, & absolvit, eamque Imperante Conrado, præsentibus simul multis Episcopis, & Abbatibus, solemnibus cæremonijs consecravit Anno Christi 1037. quarto Idus Novembris. Ipsa vestibuli interioris facies, quà vetusti operis fabrica meridiem versus suprà januam attollitur arcuatam, Sancti Martini effigiem exhibet spectantium oculis dextrâ sustinentis Ecclesiam, eâdem prorsus ideâ, quâ hodie visitur Cathedralis, lævâ codicem præferentis: addita hujus tenoris inscriptione:

Trithem. in Chron. Hirsaug.

Nicolaus Serar. S.I. rer. Mogunt. lib. 4; pag. 734.

Brouverus S.I. in notis ad venant. l. 2.

Pax huic domui, & omni habitanti in ea.

Ara verò Maxima in eam formam constructa est, ut Sacerdos in illa celebrans Missæ sacrificium faciem ad circunstantem populum versam habeat: hanc ob rem cùm pronuntiat *Dominus vobiscum* ad illum minimè se vertit, more in alijs sacris, & regionibus usitato; quia scilicet ipsum ante oculos præsentem habet; ad eum ferè modum quo Romæ Summum Pontificem facere videmus in Ara principe Basilicæ Vaticanæ Sanctorum Apostolorum memoriæ incumbenti. Æreis cancellis Ara cingitur, & munitur idoneo ordine dispositis, in superiori quorum limbo hi versiculi aureis litteris legũtur scripti, quibus de antiquo Sancti Martini in Moguntinos patrocinio certi reddimur.

Aurea Moguntia Sanctæ Romanæ specialis filia,
Adsis nobis in agone venerande Patrone
Tuâ benedictione Martine,
Vt tuæ simus memoriæ consortes, & gloriæ.

Excellit inter reliquas Sancti Episcopi Basilica quadraginta Canonicorum Collegio litteris, nobilitate, & religione præstantium, è magnis Ducum, Comitum, ac Germaniæ Principum filijs, familijsque conflato; omnes cum Moguntinis civibus Beati Martini clientes se esse testantur, eumque delato amoris, & religionis obsequio Patronum recognoscunt.

Nicol. Serar. S. Il. 5. c. 35. & l. 5. rer. Mogunt. pag. 350. Asservatur in hac ipsâ Ecclesia Cathedrali sella aurea magni pretij, gemmis multis distincta, cui imperitum vulgus *Sancti Martini sellæ nomen indidit*: non quòd in illa S. Martinus unquàm sedetit, sed quia dono datam à Joanne Henrici Imperatoris filio Petrus Archiepiscopus Moguntinus, cùm illum Bohemiæ Regem coronavit anno 1310. eam Sancto Episcopo, pietatis causâ, dicavit. *Bruschius in Petro Archiep. Mogunt. sancte legendus.*

Joan. Molanus in natalib. Sanctorum Belgij die 5. Junij. Alter Moguntiæ Patronus est Sanctus Bonifacius, natione Anglus, professione Monachus, Germanorum Apostolus, de quo Rabanus Maurus, ejus multis post annis in sede successor meminit in libro, quem inscripsit, *Quota generatione licitum sit connubium? Beatus Bonifacius Martyr, nosterque Patronus.* Meritò Germaniæ populi quem primum habuerunt Fidei Christianæ Magistrum, & Apostolum, eum Patronum etiam, & Tutelarem sibi adsciscere voluerunt. Anno Christi 719. à Gregorio II. PP. Romano in Germaniam missus annuntiandi ijs gentibus Evangelij causâ, egregium se præstitit verbi Dei præconem non sine ingenti animarum fructu: ab eodem Pontifice Romæ creatus Episcopus, & Bonifacius nominatus, nam anteà Vvinfridus dicebatur; quemadmodùm à Sergio Papa Vvillibrordus, vir sanctissimus, *Clementis* nomen accepit cùm pridie B. Clementis festum Episcopus est consecratus; sed nulli fuit addictus Ecclesiæ, ut liberiùs per Galliam, & Germaniam discurreret Evangelium prædicando, solis instar, qui uni non est affixus loco ut orbem universum diffusis circúquaq; radijs aptiùs queat illuminare. Zacharias tandem Pontifex, petentibus Carolomanno, & Pipino fratribus, Bonifacio Ecclesiæ Moguntinæ curam demandavit, quam ad Metropolitanæ dignitatem evexit, & omnium per Germaniam Ecclesiarum matrem, & superiorem esse voluit

C. Baronius Ann. Christi 719.

Surius 5. Junij

Nicol. Serar. S. I. de reb. Mogunt. lib. 1. cap. 23.

Baron. in Annal. Anno Christi 745.

(*Habeat sub se*, inquit Pontifex, *omnes Germaniæ gentes.*) Bonifacium præterea perpetuum in ijs regionibus Sedis Apostolicæ Legatum designavit. Procedente tempore, Otho Magnus Imperator Henrici Aucupis filius, Magdeburgensem Antistitem Germaniæ Patriarcham, seu Primatem instituit Romano Pontifice, & Concilio Ravennate adsentiente; idcirco in litteris Benedicti VI. ad Germaniæ Præsules de Passaviensi Ecclesia datis, Albertus Magdeburgensis ex Trevirensi Sancti Maximini Cænobio evocatus, *Patriarcha Germaniæ* nominatur. Hac ætate occupato ab Hæreticis Magdeburgo, & Lutheri erroribus infecto, Salesburgensis Archiepiscopus, à Leone III. olim creatus, per Superiorem Germaniam Primatûs honore, & dignitate gaudet, ut accepi à viris doctis, dùm Romæ versarer, in rebus Germaniæ sacris, & politicis benè versatis.

Vita S. Bonifacij l. 1. c. 37.
Apud Sur. 5. Junij.
Aubert. Mir. in notit. Episcop. Orbis Christiani lib. 4. p. 206.
Andr. Vvernerus in Chron. Magdeb.
Vigulens Hundius in sua metrop. Salisburg.
Aubert. Mir. lib. 4. pag. 207.

Cæterùm Bonifacius non Moguntiæ tantùm, sed Germaniæ totius Apostolus, & Patronus à multis habetur: nam etsi Crescens Pauli Apostoli discipulus primus fuerit Moguntinæ Urbis Antistes, & alij viri sanctimoniæ, ac doctrinæ famâ præstantes Evangelij lucem in illas provincias priùs intulissent; tamen quia Bonifacius à Romano Pontifice Christi in terris Vicario electus, ac missus est Legatus, & Apostolus ad prædicandum ijs gentibus Evangelium, illudque inter Hassos, Thuringos, Saxones, & Frisios mirificè propagavit, ipsum meritó dixerunt *Germanicæ gentis Apostolum*: ad eum ferè modum quo Sanctus Augustinus à Summo Pontifice Gregorio Magno in Angliam missus annunciandi Evangelij causâ, *Anglorum Apostolus* dici meruit: & Sanctus Franciscus Xaverius S. I. superiori nobis sæculo à Paulo III. PP. in Orientis Indiam delegatus ad prædicandum Indis Evangelium, ab Urbano VIII. *Indiæ Apostolus* pontificio oraculo nominatur: alij prætereà viri sanctimoniæ, ac doctrinæ laude insignes, aliarum gentium, & regionum *Apostoli* dicti sunt: quia scilicet Christi Fidem vel ijs primi annunciarunt; vel penè mortuam inter antiquos errores, & sepultam prædicando suis laboribus suscitarunt, & ad pristinum splendoré, & Christianam observantiam revocarunt. Extant in vetustâ Moguntinæ Arcis Ecclesia hi versus, in rem nostram valdè idonei.

Petrus Ribaden. S. I. in vita S. Greg. Pap.
Joan. de Lucen. S. I. in Vita S. Franc. Xaver.
Horatius Tursellin. S. I.

E stirpe natus regiâ Bonifacius
Britanniam ultrò deserens,
Authoritate Pontificis summi fuit
Apostolus Germaniæ.

Porrò Moguntini illum sibi peculiari jure Apostolum, & Patronum vendicant; tùm quia primus fuit Moguntiæ Archiepiscopus, & Legatus à Summo Pontifice institutus: tum quia ad illos potissimùm Fidei doctrinâ excolendos,& Christianis moribus informandos missus est authoritate pontificiâ munitus, & Moguntiam Hassiæ, Thuringiæ; aliarumque Provinciarum caput, & Metropolim reddidit, erectâ ibidem Sede, ac dignitate Primatûs. Prædicandæ inter Ethnicos Fidei Christianæ desiderio incensus in Frisiam ivit,Spiritus Sancti, uti par est credere, instinctu motus,(relicto sui loco Moguntiæ Lullo, excellentis doctrinæ, ac sanctimoniæ viro,cui Moguntinæ Ecclesiæ curam demandavit;) ibique in odium Fidei ab Ethnicis interemptus martyrij palmam obtinuit: ipsius corpus Trajectum primò, deindè Moguntiam, postremo Fuldam,divino,ut ferunt, oraculo moniti Fideles detulerunt in Cænobium Monachorum, quod ille fundaverat, dum in vivis esset, & Benedictinis attribuerat, ut divinis laudibus vacarent, & cælestem in terris vitam agerent. Id sanè religionis Benedictinæ Cænobium sacro Bonifacij corpore nobile, & opulentum in eam, decurrente tempore, magnitudinem crevit,ut instar Urbis sit, vel magno Oppido par evaserit. Abbas Fuldensis Romani Imperij Princeps est, & Augustissimæ Imperatricis Archicancellarius: sæviente posteà per Germaniam sub Gustavo Adolpho, Suecorũ Rege, belli incẽdio, illata agris vastitas ab Hassis hostibus Gustavi amicis,ac fæderatis; capta,& direpta civitas; Monachi ab Hæreticis malè habiti; Cænobium deformatum; Bibliotheca Fuldensis per Germaniam celebris flammis tradita: pauci, qui superfuere incendio codices Holmiam, regiam Sueciæ Urbem missi ad Serenissimam Reginam Christinam, litterariæ Reipublicæ decus, & ornamentum: in quâ dum versaremur urbe Anno 1650. cum Legato Lusitano Josepho Pinto Pereria, in regia Bibliotheca multos invenimus, & evolvimus libros, qui Fuldensi cladi, & excidio superfuerant.

C. Baron. tom. 9. Annal. Eccl. p. 234.

Ribadeneir. S. I. in Florib. Sanct. die 5. Junij.

Vvillibaldus in Vita S. Bonifac. M. Venerabil. Beda, & Vsuardus cũ Adone in suis Martyrologijs die 5. m. Jun.

Anno 1666. decima die Augusti grassante per Moguntiam cõtagione pestiferâ, & magnam Civium stragem edẽte, Pa-

Patroni etiam adſciti fuerunt Sanctus Sebaſtianus , Martyr inſignis,qui ubique terrarum peſtiferæ luis tempore Patronus ſalutaris habetur ; S. Antonius de Padua , S. Carolus Borromæus, & Sanctus Franciſcus Xaverius S. I. Indiarum ad ſolis ortum Apoſtolus ; addito de communi Omnium ordinum conſenſu voto extruendi in illorum honorem magnificæ ſtructuræ ſacellum. Plura reſcire de Moguntiæ Patronis non potui : parcant mihi Lectores curioſi.

COLONIA
AGRIPPINA

AD ripam citeriorem Rheni sita, Germaniæ secundæ, seu inferioris Metropolis, à Marco Agrippa Germanici Patre, & Avo Agrippinæ, fundata, *Coloniæ Augustæ* nomen accepit ab Augustis in ipsa natis, & educatis: Agrippinæ verò à Julia Agrippina Germanici filia, & Claudij Imperatoris uxore, quæ eadem in Urbe lucem vidit. Initio, Romæ Colonia fuit. A Ruperto, *Mater Ecclesiarum fidelis populi appellatur*. Ab Ammiano Marcellino: *Vrbs copiosa, & amplissimi nominis. Princeps Vrbium Galliarum*, à Sigeberto. Alijs ab alijs Authoribus titulis afficitur. Æneas Silvius inter omnes elegantissimè illam sic describit: *Quid Colonia, quæ de conjuge Claudij matre Neronis, Agrippina dicta est, & trium Magorum ossibus illustrata? Nihil illâ magnificentius, nihil ornatius totâ Europa reperitur, templis, ædibus insignis, populo nobilis, opibus clara, plumbo tecta, Prætorijs ornata, turribus munita, flumine Rheno, & lætis circum aquis lasciviens.* Inter Urbes liberas, & Hanseaticas numeratur. Catholicæ Religionis observantissima hujusmodi inscriptionem sigillo publico incisam præfert: *S. Colonia fidelis Romanæ Ecclesiæ filia.* Sanctus Maternus Coloniensem fundavit Ecclesiam, & Basilicam ejus principem B. Petro Apostolorum Principi, Magistro suo dicavit. Illam Zacharias Pontifex ad Metropolitanæ dignitatem evexit. Archiepiscopus Coloniensis Princeps est, & Elector Imperij, Archicancellarius per Italiam, Legatus natus, Dux Vvesphaliæ, & Angariæ, multarum Urbium, & Oppidorum Dominus: Bonnæ residere solet, quæ Civitas est Coloniæ proxima. Bruno Henrici Aucupis filius, & Ottonis I. Imperatoris frater, primus fuit Archiepiscopus, qui rerum sacrarum potestatem cum politi-

Cornel. Tacit. l. 12. Annalium.

Rupert. l. 2. de Divin. Offic. c. 7.

Ammian. Marcell. lib. 15.

Æneas Silvius in Epist. ad meierum Cancel. Mogunt.

Brauvius in descript. Coloniæ.

Ægidius Gelen. in Hist. Colon.

Vvichmans in sua Brabantia Mar. lib. 1. c. 4.

Aubert. Miræus in fastis Belgic.

Michaël ab Isel lib. de Bello Colon.

Petrus Cratepolius in Hist. Elector. Eccles.

Sammarth. Fratres to. 1. Gall. Christian. sub Archiep. Colon.

Herman. Chrõbach. de Tribus Magis tom. 3. l. 3. c. 50.

Chifflet. part. 2. sua Vesontiens.

Aubert. Miræus in Fast. Belg. & Burg. die 19. Aprilis.

ca, & civili conjunxit, ut advertunt, ex alijs Authoribus, Sammarthani Fratres in sua Gallia Christiana. Leo IX. PP. Max. per Coloniam transiens Ecclesiæ Cathedrali insigne concessit privilegium, scilicet, ut ad Aram Sancti Petri Apostoli septem Presbyteri Cardinales singulis diebus sacris operarentur cum Sandalijs. Concessit etiam Herimanno Episcopo, qui eum domi magnificè exceperat, officium Cancellarij Sanctæ Sedis Apostolicæ, ejusque in Episcopatu Successoribus. Nec immeritò, cùm illi summo honori sint ac ornamẽto Urbi tot Præsules Sanctorum fastis adscripti: tot Duces ac milites Martyrij laureis decorati: tot Reges Coronis Insignes, pretiosis loculis repositi: tot Virgines, Ursulâ Duce, quæ fuso pro tuenda Fide, & pudicitia sanguine Coloniæ campos inundarunt, & circumlabentis Rheni fluvij ripam consecrarunt.

Herman. Chromb. de Tribus Magis, & in litter. ad me dat.

Spelman. pag. 116.

Archiepiscopatûs Coloniensis Insignia sunt, Crux nigra in areola candida: Equus item albus subsiliens propter Ducatum Vvesphaliæ. Ipsius verò Urbis Parmula bipartita est; pars superior rubri coloris tres ordine recto coronas aureas continet à tribus Magis Regibus acceptas; eò translatis eorũ corporibus è Mediolano, Anno Christi 1162. vel, ut alij existimant 1164. Pars inferior parmulæ coloris candidi, undecim flammulas, vel guttulas fluentis sanguinis oculis exhibet, propter undecim mille Virgines propè Coloniam martyrium passas. Henricus Spelmannus in sua Aspilogia sic scribit: *Colonia in Scuto argenteo undecim guttas sanguinis, præter tres Regum Coronas, habet, ad martyrium Vndecim millium Virginum, Patronarum suarum celebrandum.*

Herman. Chromb. S. I in litteris ad me dat. Colon. 3. Martij 1667.

Quod attinet ad Sanctos Coloniæ Patronos, Beatissima Virgo MARIA jure optimo primum sibi locum vẽdicat jam inde à primis Ecclesiæ incunabulis. Appositè quidem, ut advertit Hermannus Chrombach; nam sub idem ferè tempus Deipara Virgo nata est in Galilæa, & Colonia condita inter Germanos; ut sub tam felici sidere nata, magna caperet incrementa gloriæ, & felicitatis. Multa in tam ampla, & frequenti incolis Urbe visuntur illius nomine templa opere, situ, ornatuque augusta: multæ piorum hominum sodalitates ejusdem obsequio, servitioque addictæ: eam Cives pijssimi ut Matrem amant, ut Patronam colunt, ut Dominam venerantur: sacro illius nomine, seu tessera, milites distingui, & inter

reli-

reliquos Germaniæ populos internosci solent: eò vires suas, & cogitationes intendunt, ut summo studio, & eximia pietate colatur. Et benè huic filiorum amori, officijsque clientum Deipara Sanctissima respondet curâ, & sollicitudine Matris, Patronæ, & Advocatæ; ut nullo se vinci modo à fidissimis clientibus patiatur. Eos domi custodire solet, foris defendere, propulsare mala domestica: externa avertere bella; & cùm pugnandum est contra patriæ, & religionis hostes, militibus suis opitulari. Quæ cùm sæpè experti essent Colonienses, Beatissimam Virginem *Patronæ* titulo, & honore afficere in religionem verterunt.

Sanctum etiam Petrum Apostolum *Patronum* eo nomine sibi cooptare voluerunt, quòd Maternum discipulum, cum socijs Euchario, & Valerio, ad illos Evangelij doctrina imbuendos olim miserit. Ad eum ferè modum, quo multæ aliæ Nationes, Urbesque simili prædicationis beneficio Apostolorum Principi obstrictæ, eidem honorem Patroni detulerunt, uti sunt in Germania Trevirenses, Tungrenses, Vvormatienses, Salisburgenses: in Gallia Arelatenses, Viennenses, Claromontani, Lemovicenses, Tolosates, Bituricenses, Vellaunẽses, & Senonenses, pluresque aliæ Urbes, ac gentes, quas Sanctus Petrus, missis ad eas discipulis, viris sanctissimis, Trophimo, Crescentio, Austremonio, Martiale, Vrsino, Georgio, & Sabiniano ad unius Dei cognitionem adduxit: Colonia potissimùm Romano Catholicæ religionis amans Basilicam magnificentissimam *Sancti Petri* nomine Deo Opt. Max. posuit: auream, si opulentiam spectes; gemmeam, si elegantiam cõsideres; quâ nihil sacratius, nihil augustius, nihil mirabilius conspici potest. Hi Patroni Antiquiores Coloniæ. Modò de Recentioribus agemus.

S. Petrus Ap.

Brouver. in Annal. Trevirens.

Baron. varijs locis suorum Annal.

Melchior Inchofer lib. de Tribus Magis.

Sancta Ursula cum undecim mille Virginibus Socijs Primaria, & celeberrima Coloniæ Patrona habetur, communi omnium ordinum consensu, suffragijsque electa: cujus festũ in foro, & cum octava, magnâ solemnitate peragitur: Sic de ijs meminit Breviarium Equitum Teutonicorum, Æniponti typis mandatum Anno salutis humanæ 1609. jussu Maximiliani Archiducis Austriæ, Maximiliani secundi Imperatoris filij: *Per ostia Rheni, perque Veronam Frisionum, duce agminis Vrsulâ, properans, in Hunnos, gratiani Imperatoris fautores, incidit classis.* Vvandelbertus Prumiensis, antiquus Author, ita de

Ægidius Gelen. in Hierotheca Sancta Colonia.

de illis in suo Martyrologio cecinit:

Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent
Christo Virgineis erecta trophaea maniplis
Agrippinae Vrbi, quorum furor impius alim
Millia mactavit ductricibus inclyta Sanctis.

Aubertus Miræus multis agit de Ursula, ejusque Socijs in Fastis Belgicis, & Burgundicis. Circa locum martyrij, aptius, ni fallor, reliquis rem tractat Gulielmus Lindanus, Episcopus Ruremundensis, quem citat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, die 21. Octobris. Cæteris tamen fusius, & luculentiùs Hermannus Chrombach, Societatis nostræ Theologus, de quo suprà cum laude meminimus, tomis duobus magnæ molis complexus est quidquid de S. Ursula, & de Socijs Virginibus dici, scribive potest, quem Lector curiosus consulat: nostri enim instituti est de Sanctis maximarum Urbium, Regnorumque Patronis agere; non verò singula eorum facta, eventusque describere. Non me latet Michaelem Alfordũ, Societatis nostræ Presbyterum, gente Anglũ, in suis, quos eruditè composuit, Annalibus, in multis dissentire ab Hermanno, alijsque Authoribus, tum circa Annum martyrij; tum circa locum, & alia ad Ursulanas Virgines spectantia: martyrium passas credit, (sibi benè memini, ad manum enim non habeo ejus Annales in Lusitania) Anno 453. sedente Leone I. PP. Romano. Verosimilius est quod opinatur Baronius in Annalib. Eccles. Anno Christi 383. sedente Damaso I. PP. martyrium passas esse. Alij alium assignant annum, quod lentiùs, & accuratiùs examinare officij nostri non est. Sacra tot Virginum corpora propè Coloniam in agro sepulta circumiectam impleverunt, ac sibi vèdicarunt regionem, adeo ut omnia, etiam innocentium puerorum, corpora ibi sepulta rejicere, ac extrudere divinâ quadam, & occultâ virtute dicantur, nullum intra se, nec ad unum quidem diem, passa consistere. Procedente tempore, is ipse campus Ursulanus cum cãpo simùl, in quo multi Thebæi Martyres, Duce Gereõne: & Mauri Martyres, Gregorio Duce, fuso pro Christo sanguine illustre Fidei testimonium dederunt, intra Urbis nobilissimæ ambitum inclusus est, muris latè ampliatis: maturo sanè consilio, ut prolato valdè pomærio, Colonia plures complexu suo caperet, ac sinu foveret Patronos, qui diù, noctuque in Reipub. salutem, & utilitatem

Michael Alfordus S.I. tom. 1. Annal. Britan. Eccl. ab An. Christi 383.

C. Baron. in Mart. Rom. 21. Octobr.

Silvest. Petrasʃ. S. I. to. 3. Thaumas. c. 20 Herman. Chrõbach. de S. Vrsula. Ioan. Franc. Bordinus in Carmin. de B. Vrsula, & Socijs VV.

tem excubarent, eamque ab hostium vi, & insidijs suis apud Deum precibus, & patrocinijs tutarentur.

Prima igitur, & potissima ratio eligendi Ursulam cum Virginibus Socijs *Patronam Coloniæ*, fuit, quia hæc sacras illarum exuvias possidet, quibus, seu stellis cælum lucidissimis adornatur. Accessere multa in suos cives, ac clientes, non uno tempore, collata beneficia, quibus devincti, gratique *Patronarum* eis titulum, & honorem detulerunt. Vix enim ad Sponsum Christũ migraverat sacra Virginum Phalanx, cùm sui erga Colonienses patrocinij egregium dedit specimen. Obsidebant Coloniam Hunni, barbari ac feri homines, eamque totis viribus oppugnabant defensoribus domesticis vacuam, externis auxilijs destitutam. Desperatis jam penè rebus, suppetias tulere de cælo Sanctarum Virginum cohortes, servato inter se militari ordine, aureis rutilare armis visæ fuerunt, hostiles acies impellere, fulmineos rotare gladios, & injecto divinitùs pavore animis, Barbaros in fugam vertere, & charam sibi, ac Superis Urbem ab obsidione liberare.

Surius in Vita S. Ursulæ, & Sociarũ VV. ad diem 21. Octobris.

Herman. Chrõbach. S. I.

Iterùm præsentem Civibus suis opem ferre voluerunt Anno Christi *1166*, vel ut alij malunt *1169*. Arctâ cingebant obsidione Coloniam Cliviæ Comes, Stephanus Vuylen, Comes Auratus, alijque viri Principes: addebant oppugnatibus animos Civium discordiæ mutuis inter se odijs, & studijs dissidentium, eosque brevi capiendæ Urbis spe implebant. Rebus jam ad ultimum discrimen adductis, Colonienses malo suo docti, & imminentis periculi metu perterriti, concordes animis, ad lacrymas precesque conversi, opem à Divis Tutelaribus postulârunt. Nec incassum fusæ preces: Ecce tibi Cliviæ Comes, & Stephanus, præcipui hostium Duces, concubiâ nocte vident Urbem totam circumfusis luminibus radiare, omnemque vicinam regionem accensis lare funalibus ardere: Eminebat inter alia, velut inter ignes luna minores, unum, quod Ursula, Reginæ pulcherrimæ specie, aureo diademate coronata, manu præferre videbatur, Virginibus simul socijs cum faculis suis, cælesti accensis lumine, hinc indè cincta. Ponè sequebantur Thebæorum militum, & Maurorũ Martyrum copiæ, habitu, quàm pro humano, augustiore; præeuntibus Ducibus, & Antesignanis suis Gregorio, & Gereone: Procedebant militari more agmina cælitum, totumque Coloniæ hemicyclum attentè lustrabant, ita quidem ut dum

Bredembach. lib. 4. collat. c. 21.

Schultingus tom. 4. Eccles. Biblioth. p. 2.

Burgrav. Steindorpius in Chron. m. s. Chron. Coloniense.

Herman. Chrõbach. S. I. to. 2. de S. Ursula, & Virg. Socijs: lib. 10. cap. 6.

Gulielm. Baldesan. Taur. lib. 2. Hist. S. Mauritij, & Sociorum, p. 240. & 241

Jacob. Mõteir. Lus. S. I. in sua Arte orandi, tr. ult. c. 31. §. ult.

dum singulis appropinquarent portis, singulas Ursula, tamquàm cælestium Dux copiarum, Cruce aureâ consignaret: idipsum ab aliis Sociis justo ordine factitatum: eoque salutis signo portis omnibus impresso, illas contra hostium assultus firmissimè munierunt. Jamque totius Urbis regiones, & præterlabentis Rheni marginem collustraverant, reducesque Piscinæ portam (sic vocant) attigerant, cùm hæc diffractis repentè seris, valvisque reductis, patuit, & armatas cælestium copiarum cohortes in Urbem Coloniensem immisit. Hujus ostenti fama, illucescente jam die, per hostiū cuneos, ordinesque latè vulgata, tantum ijs terroris, ac formidinis injecit, ut obsidione soluta, eos domum redire fugientibus similes coegerit, ne bellum contra Deum gerere viderentur. Durat ad hanc usque diem hujus beneficij memoria Coloniæ. In tēplo BB. Martyrum Maurorum, ut suo loco dicemus.

Baldesan. lib. 2. citat. pag. 240.

Non solùm Colonia, sed universus penè orbis Catholicus Ursulæ, ac Sociarum Virginum patrocinium ambire gestit, & memoriam colere. In alterum etiam orbem illatum nomen & cultum, cum sacris simul Reliquijs, Societatis nostræ homines invexerunt, & singularem erga illas amorem, & pietatem excitarunt; ut videre est in ejusdem Societatis Annalibus. Ut redeamus in Europam; inter Lusitanos maximè viget in Sanctas Virgines studium pietatis, Francisco de Mendoça teste, summæ fidei, & authoritatis viro, in Præfatione ad libros Regum, quos suis eruditissimis commentarijs illustravit: *Diem, inquit, Sanctissimæ Virginis, & Martyris Ursulæ, undecimque Sociarum millibus sacrum Societas nostra in tota Lusitania præcipuo quodam ritu, ac honore colit, & veneratur; quippè quæ sanctissimis illarum exuvijs, ac reliquijs in singulis hujus Provinciæ domicilijs prædives sit.* Nimirum sex Virginum Sacrarum Crania Petrus Faber, primus Beatissimi Patris N. Ignatij Socius, è Colonia in Lusitaniam detulit Anno Christi 1544. ex quibus duo sequenti Anno dono dedit Joanni III. Lusitaniæ Regi in regio sacello collocanda, ut habetur in Historia Societatis. E Lusitania, seu à capite, in Indiam, & Brasiliam, in Insulas etiam per Oceanum mare fusas, & Lusitanorum imperio subjectas, Sanctarum Virginum cultus nostrorum maximè operâ hominum mirificè propagatus est. Asservari in Ecclesia Parisiensi Sanctæ Ursulæ caput, Saussaius tradit nobilis Author Gallus, in suo Martyrologio

Andr. Saussaius in Martyr. Gallic. ad diem 21. Octobr.

logio Gallicano: Hispanus verò Joannes Tamaius Salazar, in Cœnobio Vallis Venariæ, Ordinis Benedictini in Catalonia. Joannes Tannerus, Societatis nostræ Theologus, scribit in sua Bohemia Pia, illud esse Pragæ in templo Sancti Salvatoris, juxta Pontem, donatum Orbinensi in Lusatia Monasterio à Carolo IV. Imperatore; idque ipsum constare litteris publicâ fide conscriptis affirmat, quæ cum eodem simul capite repertæ fuerunt, cùm ex illo monasterio Pragam translatum est. His Authoribus adde Michaëlem Alfordum Societatis nostræ Presbyterum, de quo suprà mentionem fecimus, qui citatis in rem suam Antiquitatibus Glastoniensibus, & Userio in Indice Chronologico, tradit dono data fuisse corpora Sanctarum Virginum ac MM. Ursulæ, & Dariæ ab Henrico Vvintoniensi Episcopo, Cœnobio in Anglia Glastoniensi. In hac sententiarum varietate judicium interponere nec possum, nec debeo; sed rem in medio suspensam relinquo. Illud nobis inculcat Georgius Cardosus Lusitanus Author in suo Agiologio SS. Lusitanorum, asservari scilicet Sanctæ Autæ, Sociæ B. Ursulæ, corpus Ulyssipone, Regiâ Urbe Lusitaniæ, in Cœnobio Illustrium fœminarum *De Matre Dei* communi sermone dicto: quod Maximilianus Imperator, hoc nomine Primus, ex Germania dono misit Eleonoræ, Reginæ Lusitaniæ, Odoardi Regis uxori: caput verò Sancti Cyriaci Papæ, qui Sanctarum Virginum comes fuit in navigatione, & martyrio, ut nonnulli crediderunt, (licèt nos id falsum esse putemus) in Sanctæ Crucis Cœnobio Conimbricensi custodiri, ut constat ex vetustis ejusdem Cœnobij Breviarijs. Idem Author est reperiri suprà centum illatum capita in Lusitania, & subjectis ejus imperio regionibus. In uno Divi Rochi templo Ulyssiponensi Societatis JESU quatuordecim numerantur: hinc facile erit de reliquis conjecturam facere.

SS. Magi-re-

Joan. Tanner. S. I. in Bohem. Pia, fol. 95.

Michael Alfordus S.I. in Annal. Eccl. Angl. tom. 4. part. 2 p. 81.

Georg. Card. Lusit. in Agiol. SS. Lusit.

Joan. Tamai Salaz. tom. 1. Martyrol. Hispan. ad diē 25. Januar.

Bolland. & Hensch. in Act. SS. to. 1 Janua. in Prolegom. pag. 611.

Ant. Vasconcel. S.I. in descript. Lusitan.

Certum & exploratum apud omnes habetur, Sanctam Ursulam cum Virginibus Socijs succurrere solitam esse morituris hominibus, qui eam ac socias VV. dum in vivis essent, singulis diebus, singulis salutationibus Angelicis coluerunt: festo tamen ipsarum die, (is est 21. Octobris) duplicare numerum Salutationum oportet, ut sic perficiantur undecim millle, totidem Virginibus respondentes. Itaque non sola Colonia inter Germanos, ob rationes à nobis suprà adductas, un-

Herman. Chromb. S.I. tom. 2. Histor. 11. mill. VV. lib. 9. cap. 57.

decim mille Virgines Patronas habet; sed universus penè orbis Catholicus, studio religionis incensus, illarum Patrociniũ opemque exposcit, & memorias veneratur.

SS. Magi Reges.

Præter Vrsulam cum Virginibus Socijs, tres etiam Magos Reges Colonia Patronos colit, amplissimusque ejus Senatus instituta singulis annis solemni supplicationis pompâ ad sacram eorum memoriam convenire solitus est, ut Reipubl. salutem, & utilitatem illorum precibus, patrocinioque commendet. Cæterùm ut tantæ pietatis ac studij in Sanctos Reges originem explicemus, altiùs rem indagare operæ pretium erit; nec Lectoribus injucundum. Helena Augusta, Constãtini Magni Imperatoris mater, Regum Magorum corpora ex Oriente C.polim, Imperij sedem, transferri curavit, & in Sãctæ Sophiæ templo, quod multis post annis Justinianus magnificentissimè instauravit, reponi; donec filius Constantinus ea, cum multis Sanctorum corporibus, donavit Eustorgio I. Ecclesiæ Mediolanensis Episcopo; qui tum temporis illa in Vrbe, negotiorum causâ, versabatur; à quo Mediolanum jam reverso collocata fuerunt in Ecclesia ipsius Eustorgij nomine insignitã. Procedente tempore, captâ, & funditùs exscissa Mediolanensi Vrbe à Friderico Ænobarbo, translata fuerunt Sãctorum Regum corpora Coloniam anno duodecimo Imperij Friderici, operâ & industriâ Reynoldi De el Archiepiscopi Coloniensis, ejusdem Cæsaris Cancellarij, ibique communi omnium gaudio, & gratulatione recepta Anno, ut ferunt, 1164. cum Sanctorum simul Martyrum Naboris, & Felicis corporibus. In templo Vrbis principe reposita, & loculis pretiosissimis inclusa quiescunt. Hierothecæ descriptionem hìc apponere ex Hermanno nostro decerptam non erit Lectoribus ingratum:

Hierotheca, inquit, *Sanctorum Regum ferreis undique lateribus, ostiolisque munitur, & simili tecto fastigiatur; cujus pars superior cblatris è ferro reticulatis constat, ut perspici cõmodè possint: hæc grandibus ex auro, atque argento laminis vestitur, statuis item, crustis, ac emblemmatis gemmeis exornatur justâ magnitudine, ut tres Reges idoneo juxta se locentur ordine proni, quasi Christum in Ara principe, prostratis humi corporibus, vultibusque adorent. Tumbæ latera duodecim Apostolorum, totidem Prophetarum, virtutum etiam præcipuarum imagines exornant. Frons verò Deiparam plenâ maiestatis facie, & Puerulum Jesum*

brachijs sustinentem exhibet, ac trium Magorum dona recipientē, quæ paululum elevari solet in festis Epiphaniæ, & eorum translationis, ut horum capita aureis coronis cincta per argenteos cancellos Fidelium eo tempore magno numero confluentium, oculis pateāt: ardent diù, noctuque tres grandes cerei in candelabris argenteis, quos custos Sanctorum Regum, qui semper est magnæ authoritatis Canonicus, indies renovari curat. Hucusque Hermannus.

Ex quo Regum Sanctorum corpora Coloniam sunt translata, ejusdem Urbis Patroni esse cæperunt: atque ad eorum memoriam illustrandam Urbano suo stemmati Cives pijssimi tres coronas aureas in campo purpureo superiori parti Parmulæ inserere; & auream monetam, expressis illorum nominibus, cudere jusserunt. Prætorio etiam vexillo additæ Magorum effigies Jesum infantem adorantium. Translationis præterea diem, quæ incidit in 23. Julij, ritu duplici, ac publicis lætitiæ significationibus celebrari curarunt. Huic verò Civium suorum studio, & pietati egregiè respondet Magi regiâ planè, ac paternâ beneficiorum copia, & munificentia: non erit à proposito alienum unum, aut alterum hic referre, ut dictis fidem faciamus. In primis Joannes Hildesiensis, nobilis, & gravis Author, scribit, Deum multa per illos miracula patrare.

Joan. Hildesiensis in Hist. SS. Regū c. 12.

Fridericus etiam Ænobarbus cum Henrico filio non multis post translationem Magorum de inferendo Coloniensibus bello cogitavit; milites magno numero conscribi jussit; Imperij Principes complures, missis ad illos nuntijs, ac litteris ad belli societatem solicitavit. Nullus tamen inventus est, qui vel præsens bello adesse; vel absens auxiliares militum copias Friderico mittere vellet, cælesti quodam timore perculsus religionis pleno, quo sibi persuadebat impium illud bellum esse, quod Cæsar Coloniensibus, Sanctorum Regum patrocinio defensis inferre parabat. Abstinuit igitur ab inferendo ijs bello, vel invitus, Imperator militaribus copijs, & externis auxilijs destitutus. At Colonienses tanto defuncti periculo, immortali Deo, ac Sanctis Tutelaribus gratias agere non cessarunt.

Herman. Chromb. S.I. in dedic. oper. de 3. Magis ad Senatum Colon.

Rursum Anno Christi 1164. Conradus Comes Palatinus, Fridericus Dux Sueviæ, Conradi III. Imperatoris filius, & Ludovicus Thuringiæ, Hassiæque Landgravius Coloniam armorum vi expugnare, captam diripere, ac incendere agitabant

Herman. Chromb. S.I. to. 3. de Tribus Magis lib. 2. c. 47.

bant animis. Eâ impij belli fama exciti milites innumeri, divino, uti par est credere, instinctu moti, è diversis Germaniæ Provincijs, Duce Philippo Heinsberg, conjunctis inter se animis ac viribus, advolarunt ad Coloniam Deo charam, ac cælitûm Patriam defendendam: quorum adventu hostes cognito, fugientibus similes campo cesserunt, & ad patrias sedes remeârunt, pari ignaviæ ac impietatis famâ. At Philippus explicatis ad ventos militari more vexillis, sine sanguine, sine pugna victor, & ovans Coloniam intravit ipso die Pentecostes, quo res evenit; ibique festo Civium plausu, & publicæ lætitiæ significationibus exceptus est.

Harum rerum moti famâ permulti Imperatores, Reges, ac Principes ex Germania, Gallia, Polonia, Italia, Hispania, Belgio, Burgundia, Anglia, quorum catalogum longo ordine texit Hermannus Chrombach S. J. Coloniam venerunt, ut Sanctorum Regum Memorias supplices inviserent, & adorarent, eorumque apud Deum preces, & patrocinium exposcerent. Maria etiam de Medicis Galliæ Regina, moriens Anno Christi 1642. intestina sua, studij, & pietatis causâ, cum donis simul regiâ munificentiâ dignis, in Cathedralem Basilicam asportari jussit, ibique in Sacro trium Regum sacello sepeliri. Aliorum verò Fidelium, qui religionis causâ, eò è diversis orbis regionibus, peregrinationes instituunt, vix numerus iniri potest; qui ab animarū noxis per sacram exomologesim expiati, & cælesti pane refecti donari solent icone tactu Sanctorum corporum consecratâ, quæ vim habet divinitûs inditam ad morbum comitialem depellendum, & dolorem capitis persanandum. Fuit igitur, eritque perpetuo celebris coloniæ Trium Sanctorum Regum Balthasaris, Gasparis, & Melchioris memoria; eorumque Translationis Festum ritu solemni à Coloniensibus agitur die Julij 23. ut supra diximus. Vulgò circumferuntur hi versus, quibus sua cuique dona Puerulo JESU in antro Bethlemico recens nato oblata adsignantur; simulque virtus exprimitur divinitûs concessa ad morbum comitialem depellendum:

Gaspar fert mirrham, Melchior thus, Balthasar aurum.
Hæc tria qui secum portavit nomine Regum,
Solvitur à morbo, Domini pietate, caduco.

Cæterùm quia post Constitutionem Vrbani VIII. Romæ editam Anno Christi 1642. non licuit nisi unum tantum, & prima-

marium eligere Patronum; ejusque festum eo nomine celebrare, Sancta Vrsula cum Virginibus Socijs primaria Coloniæ Patrona electa est; mansit tamen suus honos Magis, qui etiam Epiphaniæ diem festum habent cum JESV Infantulo communem. Conditi sunt, ut supra diximus in tumba pretiosissima auro, & gemmis ornata. Ante illam tres grandes cerei perpetuo illustres lumine visuntur; & innumera à Principibus Christianis, alijsque viris pijs, religionis causâ, oblatá donaria. Illud silentio non committam. Translatis Coloniam SS. Regum corporibus, Mediolani in templo Beati Eustorgij vacua remansit arca, in qua jacuerant; hæc tamen justo eam ob rem à pijs Civibus honore afficitur: ipso quippe Sacræ Epiphaniæ die à Fidelibus singulis annis invisitur, & piè colitur memoria Thesauri inde ablati. Ibi etiam asservantur monetæ quædam ex illis (ut ferunt) quas Puerulo JESV recens nato Magi Reges obtulerunt, & corpus Sancti Petri Martyris è sacro Prædicatorum Ordine; ut Vghellus tradit tomo 4. suæ Italiæ Sacræ.

Andreas Saussai in supplem. Martyr. Gallic. p. 1149.

Ferdin. Vghelio. 4. Ital. sacr. sub Archiep. Mediolan.

S. Gereon M. cum Socijs.

Beatum Gereonem Martyrem Legionis Thebææ Ducem suis etiam Colonia Divis Tutelaribus adnumerat, cum Socijs 318. quibus in bello præerat. Post illustrem Sancti Mauritij, & Commilitonum pugnam, palmamque apud Agaunum Sedunorum oppidum fuso pro Christo sanguine adeptam, anno, ut ferunt, 291. in campis Agrippinæ Coloniæ, Imperantibus Diocletiano, & Maximiano, unà cum Socijs Martyrij coronam obtinuit. Certaminis locus *Ad Martyres* vulgò dictus: eo ipso in loco Helena Imperatrix templum nobile extrui jussit, formâ rotundâ, structurâ mirabili, ornatu mirifico, cui, propter ingentem auri copiam, & splendorem *Ad Sanctos Aureos* nomen fuit impositum: in cujus frōte hi legūtur versus:

Regibus exemplum, sacroque charismate plena
Condidit hoc templum Sancti Gereonis Helena.

Hujus invicti Martyris, & Sociorum corpora diù in eodem templo jacuerunt humili condita loco, ad annum usque 1121. quo Sanctus Norbertus Ordinis Præmonstratensis Author, ea, divino monitus oraculo, detexit; deditque operam, ut Fridericus Archiepiscopus Coloniæ illa de terra elevaret, ac digniori loco reponeret, ut scribunt Trithemius, & Miræus. Horum reliquias Martyrum, & partem corporis S. Gereonis, quod

Aubert. Miræus in Fastis Belg. & Burgund. 10. Octobr.
Molan. in Indic. SS. Belgij ad diem 10. Octobr.
Baron. in Annal. existimat martyrium passos esse Anno Christi 297.
Surius tom. 5. SS.
Baron. in not. ad Martyr. 10. Octobr.
Helinand. de SS. Gereone, & Socijs MM.
Gulielm. Baldesan. in Hist. sacra Thebæor. l. 1. p. 104. & l. 2. p. 158.
Rodulph. Abbas S. Gereon. in Hist. S. Gereon. & Sociorū.
S. Gregor. Turon. de glor. Martyr. lib. 2. a cap. 62.
Miræus in Histor. Præmonst.
Saussai in Martyr. Gallic. ad diem 24. Novembr. tom. 2.

quod Norbertus invenit integrum, & militari adhuc sago indutum; partim deposuit Floresiæ in Diœcesi Namurcensi; partim Præmonstrati in Laudunensi territorio, ibique ad hanc usque diem à Fidelibus piè coluntur. Ferunt Evergistum Coloniæ Præsulem, Sancti Severini in Episcopatu successorem, gravi dolore capitis laborantem, ad horum Martyrum confessionem accessisse, ut illorum se precibus commendaret, illum Psalmi Davidici versiculum consueto Ecclesiæ more canendo: *Exultabunt Sancti in gloria:* cui subitò responsum fuit suavissimo concentu vocum, ab ipsis Sanctorum Martyrum adytis: *Lætabuntur in cubilibus suis*: quo Episcopus responso mirificè recreatus est, & capitis simul dolore levatus, ubi pulverem suprà imposuit de Sanctorum confessione collectum. Sancti Gereonis brachium militari more armatum asservatur in Templo Sancti Rochi Ulyssiponensis in Lusitania, quod dono dedit Patribus Societatis JESU Joannes Borgia Hispaniæ Dynasta, de quo suprà meminimus.

Herman. Chrŏb. S.I. in Histor. de tribus Magis tom. 2. lib. 7. cap. 16.

Bolland. & Hensch. in Actis SS. Januarij tom. 1. p. 611.

SS. Cassius, & Florentius cũ Socijs.

S. Victor M. cum Socijs.

Sub idem ferè tempus, quo Gereon cum Socijs propè Coloniam; Cassius, & Florentius juxta Veronam ad Rhenum; Victor cum Socijs in territorio Agrippinæ, ubi nunc visitur Sanctense oppidum, martyrij palmam obtinuerunt: Gregorius item Maurorum militum Præfectus (: 360. numero fuisse dicuntur, licèt in hoc varient Authores) ex Mauritania Africæ Provincia, venit in Gallias de mandato Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, causâ frænandi Gallorum hostium audaciam, qui subitis, & continuis excursionibus vicinam Germaniam infestabant; latèque vastabant agros, direptis oppidis, pagis incensis, pecoribusque abactis. Hi omnes, quod unum Deum Cæli, & terræ conditorem Christiano ritu colerent, nec idolis sacrificare vellent, martyrij agonem propè Coloniam feliciter consummarunt: eorum corpora à Fidelibus sepulta in templo Sancti Gereonis diù latuerunt, humili atque obscuro loco conclusa: penè exciderat tanti thesauri memoria: donec concubiâ quadam nocte cælesti radiantes luce, & humanâ specie augustiores Annoni Apparuerũt Coloniæ per id tempus Episcopo, eumque verbis increpitum impulerunt, ut nulla interposita mora, Sacras ipsorum exuvias, in digniorem locum transferri curaret: Factum ut imperaverat: Anno corpora de terra levavit, & supra ejusdem templi aram principem decentèr reposuit; his additis versibus

bus ad tantæ rei memoriam æternandam:

Ex Domini merito compunctus Episcopus Anno
Quidquid habere potest divinis cultibus offert:
Jussit & adstantes adpingier ordine Patres
Vrbis Agrippinæ.

Ex quibus bene infertur eos ipsos Martyres cum Gereone, & Socijs, Urbis Coloniensis esse, dicique Patronos. Singularis in illam studij, ac patrocinij specimen præbuerunt, cùm obsessam ab hostibus, & humano auxilio destitutam Urbem, unà cum reliquis Divis Tutelaribus liberarunt, anno, ut in loco diximus, 1266. In cujus beneficij memoriam Senatus Coloniensis singulis annis decem prægrandes cereos, vel tredecim, ut ab alijs audivi, die decima quinta Octobris, illis sacrâ, offerre consuevit ad eorum confessionem, ut jam supra diximus.

Aubert. Miræus in Fastis Belg. & Burg. ad diem 15. Octob. Hist. S. Mauritij, & Sociorum p. 240.

S. Severinus Episc. & Conf.

Sanctus Severinus Episcopus, & Confessor, patriâ Aquitanus in Gallia, Tungros, vicinosque ijs populos Ariana hæresi infectos expiavit, & Catholicæ Fidei reddidit circa annum 390. ad suam enim provinciam eo tempore pertinebat: divino postea monitus oraculo, Coloniensi relicto, ad Burdigalensem in Gallijs transivit Episcopatum, quo sponte cesserat Sanctus Amandus. Multis post mortem miraculis clarum Burdigala sibi Patronum adscivit, & partem corporis concessit Coloniæ, ibique decenter reposita in Ecclesia sui nominis innumera Civibus beneficia conferre non cessat: hac ob rem ejusdem Urbis Patronus electus est. Vigente præsertim siccitate, agris sitientibus pluviam de cælo suis ad Deum precibus obtinere consuevit, quo satis declarat paternam se habere de suis clientibus curam, ac eorum commodis, & saluti consulere. A multis jam annis id munus gerere videtur, à tempore scilicet Leonis III. Romani Pontificis, qui ab Urbe, & sua Sede pulsus, ad Caroli Magni patrocinium confugiens, Coloniam venit, ibique Sancti Severini templum invisens, illius opem afflictis Romanæ Ecclesiæ rebus suppliciter imploravit, illumque titulo affecit *Patroni*, ac *Defensoris Coloniæ*. A Leone, ut existimant viri docti, mos inductus, ut Cives singulis hebdomadis ad Sancti Severini templum confluant, ibique ad illum preces fundant, ut Urbem in suam fidem, ac tutelam receptam suo protegere, ac tueri patrocinio non desistat. Hermannus Coloniensis Præsul, sacras illius

Martyrol. Colon. ad diem 23. Octobr. Molan. in Natal. SS. Belgij, die 23. Octobr. Sammarth. Fratres tom. 1. Gall. Christ. sub Archiep. Burdigal. & Coloniens. Surius tom. 5. 23. Octobr. Saussai in Martyr. Gall. tom. 2. die 23. Octobr. Herman. Chromb. in litteris ad me dat. Colon. Arnaldus Oihenartus in notitia Vasconiæ pag. 433. C. Bar. in Martyr. Rom. 23. Octobr. S. Greg. Turon. de glor. Confess. c. 45.

exuvias è ligneo sarcophago in feretrum argenteum transferri jussit auro, & gemmis ornatum ; quod postea Theobaldus Crassellius Episcopus suffraganeus, aliique viri pij & opulenti pretiosis donis, & anathematis adornârunt. Celebratur Beati Severini festum die 23. Octobris, tamquàm Patroni Coloniæ secundarij, seu minùs præcipui.

S Cunibertus Episc. & Conf.

C. Baron. in not ad Martyr. Roman. 12. Novembr. Monachus S. Dionysij in Vita Regis Dagoberti. Baldricus l. 1. c. 14. Aymoinus l. 4. c. 19. Sammarth. Fratres tom. 1. Gall. Christ. sub Archiep. Colon. Andr. Saussay p. 2. Martyr. Gallic. ad diem 12. Novembr.

Sanctus Cunibertus Episcopus, & Confessor inter Patronos etiam Coloniæ secundarios numeratur. Floruit sub Pipino, Dagoberto Magno, ejusque filio Sigiberto Regibus, quibus ob eximiam pietatem charus fuit. Columbæ candidissimæ indicio suprà ipsius caput ad aram in templo facientis expansis alis apparentis, Deus ejus sanctitatem, & morum candorem sacro adstantibus patefecit. Quadraginta ferè annis Coloniensi Ecclesiæ præfuit. Tandem meritis plenus, & miraculis illustris in Domino quievit die 12. Novêbris. Egregium se exhibuit clientum suorum Advocatum, ac Tutelarem Annô 1080 ut à viris probis, & eruditis accepi ; quo Basilicam principem ab incendio liberavit. Hi Patroni Coloniæ, Urbis clarissimæ, & Catholicæ religionis amantissimæ.

Molan. in Indiculo Sanctorum Belgij. Miræus in Fastis Belg. & Burgund. die 12. Novembr. Inchofer de tribus Magis Evangel.

Ex ijs, quæ hactenùs diximus, meritò inferet curiosus, ac prudens Lector, nullam in universo Orbe Catholico, Româ exceptâ, Urbem reperiri pluribus ornatam Divis Tutelaribus; pluribus munitam Patronis, ac defensoribus : Sanctissima quippè Virgo MARIA; Beatus Petrus Apostolorum Princeps; Sancta Ursula undecim mille Virginibus, cælesti veluti agmine cincta, vel coronata : Tres Magi Reges sanguinis claritate conspicui ; Sancti Gereon, & Gregorius victricium copiarum Duces egregij, palmis nobiles, & immortalis gloriæ laureis donati ; Sanctus Severinus, & Sanctus Cunibertus Episcopi, Coloniam patrocinijs suis protegunt, ac tutantur ; eamque Cæli magis, quàm terræ Coloniam constituunt, & coronant. Aliarum gentium Provinciæ, & Urbes, vel Apostolos, vel Martyres, vel Confessores, vel Sanctas Virgines habent, ad quorum tutelam, patrociniumque confugiant: ad Coloniam tamen ornandam, ac protegendam, omnes simul Beatorum ordines Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, cum Sanctissima Dei Matre videntur confluxisse, ibique vel depositis corporum exuvijs, vel Reliquijs collocatis, suam in terris Patriam, vel Coloniam habere voluerunt. Hanc ob rem etsi Germanos inter abierit in paræmiam: Basilea grata,

Apud Sammarth. Fratres tom. 2. Gall. Christian. p. 352.

Con-

Constantia ampla, Argentina nobilis, Spira devota, Moguntia honorata, Treureis antiqua, Colonia dives; aptiùs tamen, ni fallor, dicerent, *Colonia Sancta* : nato, factoque in rem nostram titulo, quo Romam in Italia Orbis Christiani Urbem principem, *Sanctam* per antonomasiam nominare consuevimus ob ingentem Sanctorum copiam, quorum corpora, vel exuvias, vel reliquias sinu suo continet, ac complectitur. (Ludovicus Moretius in diction. Gallico universali, id ipsum in Coloniam quadrare epithecton scitè confirmat: & 365. Ec- *Verbo Colonia Agrippina.*
clesias habere contendit.)

Ad extremum advertimus, Colonienses olim prælia inituros adversus patriæ, aut religionis hostes, solitos fuisse Deiparam Virginem, & Sanctum Petrum invocare, cui dicata est Ecclesia Metropolitana: hinc ejus *vassalli nobiles Peterlingi* communi sermone dicebâtur. Hac verò ætate pro affectu, seu arbitrio Ducum, Sancti Reges Magi, Sancta Ursula, Beatus Gereon, vel etiam Mauri Martyres, pro tessera, militibus in bello pugnaturis dari consueverunt. A nobis hactenùs dicta claudat Scaliger hoc epigrammate in Coloniam apto:

Maxima cognati Regina Colonia Rheni
Hoc te etiam titulo musa superba canit.
Romani statuunt, habitat Germania: terra es
Belgica, ter felix, nil tibi Diva deest.

AUGUSTA TREVIRORUM.

VRBS Archiepiscopalis, Belgicæ primæ metropolis ad Mosellam fluuium, tam ab Ethnicis, quàm à Christianis Scriptoribus ab antiquitate, ab opulentia, à magnitudine laudatur: illam Ammianus Marcellinus, *Principum domicilium* appellat: Zozimus *Transalpinarum Vrbium maximam.* Pōponius Mela cum Ptolomæo, *Augustam.* Berengosius, *Secundam Romam.* Salvianus, *Vrbem Gallorum, opulentissimam, excellentissimam.* De illa sic carmine cecinit Venantius Fortunatus:

Perducor Treuirim, quâ mænia celsa patescunt:
Vrbs quoque nobilium nobilis, atque caput.

Et Ausonius:

Armipotens dudùm celebrari Gallia gestit
Treuericæque urbis solum, quæ proxima Rheno
Pacis ut in medio gremio secura quiescit,
Imperij vires, quod alit, quòd vestit, & armat.

In ea sedem ad tempus fixerunt Constantinus, & Constans Magni Constantini filij, Iulianus Apostata, Valentinianus primus, Gratianus, Maximus Tyrannus, alijque dum in Gallijs morarentur Imperatores, ut constat ex illorum rescriptis, ac rebus gestis. *Sammarth. Fratres in Gall. Christ. sub Archiep. Trevirens.*

Prima Fidei Christianæ rudimenta dicicit a Sanctis Euchario, Valerio, & Materno, quos Beatus Petrus Apostolus eò misit prædicandi Evangelij causâ: tres hi, veluti Davidis fortes, Apostolico pleni spiritu, depulsis errorum tenebris, Evangelicæ veritatis lucem in Galliam Belgicam intulerunt, eamque per vicinas Augustæ urbes, ac regiones latè propagarunt, *Christophor. Broüer. S. I. de rebus Trevirens.* *Andr. Saussains in Martyr. Gallic. ad 1. diem Maij.*

C. Baron. in not. ad Martyr. Rom. die 14. Septembr.

gatunt, ditutis Idolorum fanis, erectis in unius Dei honorem templis, constituta Treveris, reliquarum urbium principe, Cathedra Episcopali, ut indè, seu à capite, in alias vicinarum regionum Civitates Christianæ Fidei instituta, & documenta manarent. Primus Trevirorum Episcopus fuisse dicitur Sãctus Eucharius; secundus S. Valerius; tertius S. Maternus: qui depingi solet manibus Ecclesiæ schema præferens turriculis tribus distinctæ; ut intelligas tribus simul Ecclesijs præfuisse, Trevirensi, Coloniensi, & Tungrensi, nondùm divisis his amplissimis Urbibus in tres Episcopatus. In tabulis Episcoporum Trevirensium primo loco ponitur Sanctus Eucharius; secundo S. Maternus; tertio Sanctus Valerius. Hac ætate Augustæ Trevirorum Archiepiscopus Sacri Romani Imperij Princeps Elector est, & in Galliâ, ac Regno Arelatensi Archicancellarius; multorum prætereà, & nobilium oppidorum Dominus. Archiepiscopatûs Insignia sunt Crux rubra, in areola candida. Urbis verò Trevirensis stemma est Sanctus Petrus Apostolorum Princeps, grati, ni fallor, animi causâ, quòd ad illam Christianæ Fidei mysterijs imbuẽdam, primos Apostolos, ac Magistros miserit Eucharium, Valerium, & Maternum.

Brouver. in Annal. Trev. lib. 2.

C. Bar. in not. ad Martyr. Roman. die 29. Januar.

Cæterùm Archiepiscopi, alijque in Germania Sacri Principes (ut id scitu dignum hic obiter advertam) Scuta sua in varias, ac diversas areolas partiri, ac secare solent, ut commodum in ijs locum habeant tum suarum familiarum stemmata gentilitia, tum aliarum urbium, vel oppidorum, si quæ fortè possident, paradigmata; exempli gratia, in Serenissimi Principis Caroli Gasparis Archiepiscopi Trevirensis Scuto, in superiori parte visitur Crux; à sinistris trabs, seu columna erecta coloris albi, in campo cæruleo: Insignia sunt gentis suæ, seu clarissimæ Familiæ Leyanæ quæ etiam, sed inverso ordine visuntur in inferiori parte sinistra: medium occupat Agnus Crucem præferens coloris candidi, in alveolo rubro: Arma sunt Abbatiæ Prumiensis, unitæ superiori seculo Archiepiscopatui. Tres habet Episcopos sibi suffraganeos, Tullensem, Metensem, & Virdunensem.

Henric. Turck. S.I. in litt. ad me datis August. Treviror.

Sammarth. Fratres in Gall. Christ. to. 1. sub Archiep. Trevi.

S. Petrus Ap.

Non unum, sed multos colit Augusta Trevirorum, & Archiepiscopatus Divos Tutelares; inprimis Sanctum Petrum Apostolum, in cujus honorem, ac memoriam dicata est Ecclesia Cathedralis; tũ quia tres Socios, ut diximus, ad Trevirẽses

misit Evangelij doctrina informandos; tum quia multis illos beneficijs afficere non desistit, ita ut Patrem magis agere in filios, quàm Patronum in clientes videatur. Visitur hodie ligneus ipsius Apostoli baculus in thesauro Reliquiarum Ecclesiæ Cathedralis, cujus tactu Sanctus Eucharius, & Valerius B. Maternum mortuum ad vitam revocarunt in vico Alegia Alsatiæ provinciæ ad Illæ fluvij ripam sito. Plures certè baculos S. Petri Apostoli in sacris Historiæ Annalibus reperimus, quos hìc enumerare, non erit curiosis Lectoribus injucũdum. Neapoli in Ecclesia Cathedrali asservatur baculus, cujus tactu Apostolorum Princeps Asprenum ejusdem urbis Senatorem gravissimo laborantem morbo, sanavit, & ad Christi Fidem convertit, cumque Neapolitanis primum Episcopum dedit. Alium Frontoni, primo Petracoricencium Præsuli baculum donavit Petrus, ut Georgium, primum etiam Vellaunorum Antistitem mortuum suscitaret, uti re ipsa suscitavit. Alium S. Martialis, Lemovicensium, Tolosatum, & Burdigalensium Apostolus, à Sancto Petro accepit, cùm ab illo ad prædicandum ijs gentibus Evangeliũ mitteretur, cujus etiam tactu, & virtute Austriclinianum nupèr mortuum vitæ restituit. Nec silentio committendus baculus pastoralis, quem S. Petrus Hermagoræ Episcopo Aquileiæ Sancti Marci successori tradidit, qui ad hanc usque diem integer, & incorruptus in principe urbis ejusdem templo perseverat, si fidem adstruimus Ferdinando Ughello Abbati, tomo 5. Italiæ Sacræ. Ijs tamen longè illustrior habetur Sancti Petri baculus Trevirensis, tum quia multis, & magnis ab Authoribus laudibus extollitur, maximè ab Petro Cluniacensi, Honorio Augustodunẽsi, Theofrido Epternacensi Abbate, & ab Innocentio Tertio, Summo Pontifice Romano: tum quia Christophorus Brouverus, eruditissimus Societatis nostræ Historicus, ex m.s.s. Actis synodalibus probat solemnem morem, fuisse Episcopis in synodis, vel concilijs provincialibus congregatis, præter authoritatem scripto testatam, Ecclesiastica Decreta baculo Sãcti Petri, tamquàm sacrosancto aliquo signaculo, confirmare, addito ejusdem baculi in hunc modum elogio singulari: *Cum quo (idest baculo) Beatus Maternus à mortuis suscitatus extitit.* Colonia Agrippina superiorem hujusce baculi partem haberi dicitur: Augusta Trevirorum inferiorem, argentea theca inclusam: suam item partem fuisse Pragam, Bohemiæ

Phebeus Archiep. Tarsens. lib. de Antiquit. Cathedra S. Petri in Vatican. fol. 29.

Ferrar. in Catal. SS. Ital. ad diem 3. Augusti.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. C. Baron. in Annal. Eccles. Ann. Christi 74. n. 7.

Vghell. tom. 5. Ital. Sacr. sub Patriarchis Aquileiensib.

Christoph. Brouver. S.I. in Annal. Trevir. lib. 2.

caput, translatam à Carolo IV. Imperatore, & Rege Bohemiæ, legitur in Martyrologio Ecclesiæ Pragensis ad diem vigesimam secundam Februarij.) Hanc ob rem Papa baculo tantùm utitur in Diæcesi Trevirensi, & non alibi, ut advertunt Rituum sacrorum periti, Durandus in suo Rationali, Stephanus Durantes, Innocentius IV. & Severanus.

De anno, vel tempore, quo Sanctus Petrus electus fuit Augustæ Trevirorum Patronus, nil certò definire possumus, cùm id neque ex Annalibus Ecclesiæ Trevirensis, neque ex alijs antiquorum monumentis constare videatur. Illud nobis inculcat Author Anonymus in suis m. s.s. membranis Lutrensibus, operâ, & industriâ Francisci Chiffletij è Societate JESV collectis, in Luxovio suo nondum typis mandato; Sanctos Eucharium, Valerium, & Maternum Beati Petri Apostolorum Principis discipulos, & Trevirensium Magistros, & Apostolos, illorum etiam Patronos existere; & eodem honoris titulo, cursu temporum, donatos fuisse Maximinum, Paulinum, Agritium, Nicetium, & Lintinum, Episcopos, & Martyres pietatis famâ clarissimos; de quorum tamen Patronatu nil certum reperire potuimus: meritò credimus illos à Trevirensibus, ut Sanctos piè coli, & apud Deum Advocatos haberi; non tamen proprio, ac justo *Patronorū* titulo, de quibus nobis sermo est, fuisse donatos. Ad alios proinde currenti calamo properamus, certiorem quorum notitiam, dum Romæ versaremur, comparavimus.

Franc. Chifflet. S.J.

S. Helena Imperat. Augustæ Trevriorum Patrona.

Sancta Helena, Constantini Magni Imperatoris mater, propriè Augustæ Trevirorum Patrona habetur; ejusque festum die 18. Augusti cum octava celebratur; eo nomine quòd civem suam esse apud ipsos natam, & educatam credūt Trevirenses: idque probant ex vetustis ipsius Trevirensis Ecclesiæ, Bonnensis, ac Sanctensis Annalibus: nec desunt magni nominis Authores, qui id ipsum suis commentarijs confirmare, & illustrare non dubitarunt. Hæc tamen lentiùs, & accuratiùs examinare, & nostrum judicium interponere, nostri instituti non est. Bona tamen tantorum Scriptorum veniâ, advertimus plures, eosque rerum antiquarum peritissimos Authores litteris prodere Sanctam Helenam in Britannia splendidos habuisse natales, idque tam solidis probant rationibus, ut vix supersit ea de re dubitandi locus. Cōsulat Lector curiosus Cardinalem Baronium in Annalibus Ecclesiasti-

Monachus Trevirensis in codic. m. s. de Invent. corporis S. Matthiæ Ap. Henric. Turck. S.J. in litt. ad me datis.

ſiaſticis ad Annum Chriſti 306. & in notat. ad Martyrologium Roman. die 18. Auguſti, & Michaelem Alfordum Societatis Jeſu Presbyterum in Annal. Eccleſ. Anglicanis. Non me latet quòd Joannes Toncus Varſavitius in libro à ſe nuper edito *de Sãctis Illyrici*, ſeriò affirmat, multisq; argumẽtis ab authoritate, & ratione petitis probare contendit, Sanctam Helenam in Bithynia, Aſiæ provincia, natam eſſe. Illud nobis veriſimile videtur, quod noſter Alfordus, ſi benè memini, in ſuis Anglicanis Annalibus Eccleſiaſticis obſervavit: Conſtantius Chlorus, Conſtantini Magni pater, ut morem gereret Maximiano Imperatori, cujus privignam Theodoram duxerat uxorem, repudiatam Helenam Treviros amandaſſe, ædeſque magnificas, in quibus commodè habitaret, ædificari juſſiſſe: hinc fortaſsè capta occaſio opinandi illam Treviris natam fuiſſe. Imperatrix certè Trevirenſem dilexit Eccleſiam, eamque mirificè ornavit. Cives igitur, grati animi cauſa, Helenæ nomen apud ipſos ſacrum, & memoriam æternam eſſe voluerunt, cuſo numiſmate, cum hujuſmodi inſcriptione in altera facie: *Flavia Helena Auguſta*; in altera: *Securitas Reipublicæ*: infrà vero: *S. Tr.* id eſt, *Signatum Treveris.* Illa etiam ratione ducti Trevirenſes Helenam ſibi adſcivere Patronam, quod ſacrum ipſius caput in theſauro Reliquiarum à multis jam ſeculis aſſervant. Corpus ubi quieſcat? antiqua eſt controverſia inter Latinos, & Græcos. Romæ ultimam obiiſſe diem, ibique ſepultam eſſe, multis proſequitur Baronius Cardinalis, cum alijs Scriptoribus Italis.

Annal. Eccl. Trev.

C. Bar. in notat. ad Martyr. die 18. Auguſt. & in Annal. Eccl. Anno Chriſti 306.

Nomen etiam, & Patronæ titulum Trevirenſes Beatæ Helenæ meritò detulerunt, quòd Sancti Matthiæ Apoſtoli corpus ex Oriente Romam advectum, de conſenſu Sancti Silveſtri Papæ, Beato Agritio Epiſcopo in Urbe tum commoranti illa dono dederit Treviros deferendum; ibique in antiquo Sancti Eucharij Cœnobio, prope tumbas ejuſdem Eucharij, Valerij, & Materni à Civibus religiosè colitur. Cæterùm Trevirenſes tam ſibi perſuaſum habent ſervari apud ipſos Sãcti Apoſtoli corpus ab Imperatrice donatum, ut grave admodùm nefas ſit ea de re vel levitèr dubitare: nec parum idoneis ad id credendum rationibus ducuntur. Primò, quia ita eſſe conſtat majorum traditione per multa ſecula non interrupta, ad poſteros derivata. Secundò, ex authoritate, & fide codicum vetuſtiſſimorum, in quibus id diſertis

Ritual. Eccl. Trev. Ferrar. in Catal. SS. Ital. & in Topogr. Sanſſaius in Mart. Gall. die 13. Janua. Monachus Trevir. in Act. Translation. corpor. S. Matthiæ.

verbis

verbis affirmatur. Tertiò, ex antiquo Usuardi Martyrologio, & ex Sancti Antonini Florentini Archiepiscopi testimonio. Quartò, ex mutatione nominis Ecclesiæ Sancti Eucharij in Sancti Matthiæ Ecclesiam. Quintò, id etiam verum esse persuadent multa, & illustria miracula Sancti Apostoli ope in utilitatem Fidelium patrari solita. Sextò, Trevirensium, & finitimarum gentium, nec non multorum virorum doctrina, & pietate illustrium constans eâ de re, ac communi consensu recepta sententia. Septimò, frequentes totius anni decursu Fidelium peregrinationes eò religionis studio confluentium: quibus accedunt, & robur addunt tot affixa templi parietibus anathemata, & tabellæ, tot prægrandes cerei, & argenteæ lampades perpetuo illustres lumine ante B. Apostoli sepulchrum appensæ excubias agere ad Dei, & Matthiæ Apostoli honorem videntur. Nono, celebratur à multis jam seculis sacri corporis Româ in Augustam Trevirorũ translatio. Decimò, ipse Summus Pontifex Eugenius Tertius suum huic sententiæ calculum addidisse videtur; dum enim moraretur Treviris cum Sancto Bernardo Abbate, & viginti quatuor Cardinalibus Ecclesiam S. Matthiæ Apostoli solemni ritu cõsecravit anno salutis humanæ 1148. Undecimò, quia etsi post quinque Urbis Trevirensis excidia, temporum injuriâ, & hominum incuriâ ac oblivione sepultus fuisset sacrosancti corporis thesaurus, divini tamen Numinis beneficio, ita inventus fuit: Versabatur Romæ, negotiorum causâ, Ebehardus Archiepiscopus circa Annum Christi 1050. ibique in vetusto quodam codice legit: *Quiescere Treviris corpus Sancti Matthiæ Apostoli.* Domum igitur brevi reversus, illud diligentissimè inquiri fecit, adjunctis sibi Episcopis suffraganeis Tullensi, & Virdunensi: post multas populi preces, & Missarum sacrificia, inventum est erumpente subitò magna vi odoris è tumulo, in quo latebat, qui per totã se diffudit afflatu suavissimo Ecclesiã, & omnes ejus partes pervasit. Id cõsuetis olim cæremonijs de terra Ebehardus levavit, & publicæ Fidelium venerationi exposuit. Extant in Ecclesia Trevirensi vetusta incorruptæ fidei hujus Inventionis monumenta, quibus proinde credere in religionem vertimus. Caput fuit posteà trãslatum in Ecclesiam Cathedralem: & si Galli Barberiaci in Aquitania tamdiù mansisse referant, donec ab Hæreticis Calvinistis, è templi sacrario per summam impietatem extra-

S. Antonin. part. 1. l. 6. c. 15.

Henric. Turck. S. I. in litter. ad me dat. Augustæ Trevir.

Christoph. Brouver. S.I. lib. 2. Annal. Trevir. a pag. 659.

Molanus in Indic. SS. Belg.

Joann. Ekius in Vita S. Matthiæ Ap.

Lambertus Monachus in Vita ejusdẽ Apostoli.

Martyrol. Colon.

Breviar. Trevir. & Lectionarium.

Vvilhelm. Monach. Sancti Maximini in gestis Trevir. m.s.s. sub Ottone Archiepiscopo.

ctum, sacrilegis flāmis traditū est. Hispani illud apud se adhuc extare contendunt, asservarique in Ecclesiæ Valentinæ sacrario, unà cum sacris capitibus BB. Apostolorum Barnabæ, & Andreæ. Corpus in templo Sancti Eucharij custoditur, quod exindè mutavit nomen, & *S. Matthiæ Ecclesia* nominari cæpit. Sita est in agro Trevirensi meridiem versùs semihoræ spatio ab ipsa Urbe disjunctum, nobili, & opulenta Benedictinorum Monachorum Abbatia, satis notum. Supradictis rationibus moti Trevirenses certò credunt apud se habere Sancti Matthiæ Apostoli corpus. At Romani ejusdem Apostoli corpus ad Sanctæ Mariæ Maioris custodiri, & piè coli validissimis etiam rationibus defendunt: quas hìc proponere, & expendere, supervacaneum ducimus: non deerit qui studeat, sublatis de medio contentionibus, partes ad concordiam reducere, illa potissimùm ratione, qua non semel usus est Cardinalis Baronius ad componendas inter se discordes Authorum sententias: partem scilicet corporis in uno loco, partem in alio asservari: inde capta ab illis abeundi in varias partes, & intentandi lites importunas, occasio. Consulat curiosus Lector Bollandum, & Henschenium Societatis nostræ Scriptores in Actis Sanctorum Februarij tomo 3. die 24. ubi rem fusè, & dilucidè tractant.

C. Baron. in varijs locis annot. in Martyr. Roman. cum alijs idem sentientibus.

S. Thyrsus cū Socijs MM. Thebæis.

Sanctis Augustæ Trevirorum Patronis etiam adnumerātur Thyrsus, & Socij è legione militum Thebæorum, imperantibus Diocletiano, & Maximiano, sub præside Rictiovaro martyrij palmam adepti, Urbem ipsam in paucis nobilem, fuso pro Christi Fide sanguine longè nobiliorem reddiderūt. Decem illorum capita cum decem ossibus Mediolanum trāsmissa fuerunt; indè capita duo in Hispaniam translata per Gasparem Riera civem Barcinonensem, & in Ecclesia Monialium *de Junquera* dicta, reposita, regnante in Hispania Philippo Secundo, quem *Prudentem* antonomasticè appellarunt.

Joann. Molan. in Indic. SS. Belgij 5. Octobr.
Aubert. Miræus in fastis Belgicis, & Burgundicis.

Palmatius Consul, & Socij, Urbis Senatores, sub Diocletiano Imperatore martyrium passi, ad cælestem patriam evolarunt die 5. Octobris: de illorum sepultura, & Inventione corporum scribit Sigebertus in Chronico Anno Christi 1071. & Baronius Cardinalis in notat. ad Martyrolog. Romanum. A tempore, quod hominum memoriam excedit, Trevirensium Divi tutelares habentur, tum quia inter ipsos nati sunt; tum

tum quia multis eos beneficiis affecerunt, ut observavit Brouverus in suis Trevirorum Annalibus, & Henricus Turck S. J. in litteris ad me datis 15. Aprilis, Anno Domini 1667.

Martyrol. Trevir.

Suum etiam locum habent inter Patronos Augustæ Trevirorum Martyres innumeri, qui sæviente Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione, sub Rictiovaro Præside, Treviris, in qua is sedem suam fixerat, vario mortis genere in odium Fidei interempti fuerunt Anno Domini 302. quorum numerus cùm certò sciri non posset, *Martyres Innumerabiles* à Fidelibus dicti sunt; & in Martyrologiis Romano, Gallico, & Germanico ita descripti: *Treviris cómemoratio Innumerabilium penè Martyrum, qui in persecutione Diocletiani, sub Rictiovaro Præside vario mortis genere necati sunt.* Illos itē Ecclesia in sacrolancto Missæ sacrificio unica commemoratione *Innumerabilium Martyrum* comprehēdit. Quemadmodum in Hispania Cæsaraugustæ *Martyres Innumerabiles* immissis per Dacianum Præsidem militibus, trucidati, eo nomine in tabulis Ecclesiasticis describuntur, & celebrantur. Calari quoque Urbe Sardiniæ Insulæ principe, non multis antè annis inventus fuit ejusdem tenoris titulus *Innumerabilium MM.* in Basilica Constantiniana Sancto Saturnino Martyri dicata, ut refert Ambrosius Machinus Archiepiscopus Calaritanus in defensione Luciferi Calaritani Episcopi: ut alios alibi passos Martyres omittamus. Sacra Martyrum Trevirensium corpora in puteum ab Ethnicis projecta, ibique sepulta diu mortalium oculos latuerunt, donec Felix Trevirensis Præsul, extructa in honorem Deiparæ Virginis Ecclesia, sacrosancta illorum pignora, divini Numinis Beneficio invenit, & in eamdem transtulit Ecclesiam celebri apud omnes titulo *Sanctæ Mariæ ad Martyres* prænotatam; uti Romæ legimus ejusdem omninò tenoris nomine Basilicam insignitam à Marco olim Agrippa erectam, & *Pantheon* ab Ethnicis appellatam.

C. Bar. in notat. ad Martyr. Roman. 5. Octobr.

Molan. in Additionibus ad Usuardū.

C. Bar. in notat. ad Martyr. Rom. die 6. Octobr.

C. Bar. in notat. ad Martyr. Roman. 3. Novembr.

Petrus in Catal. lib. 10. c. 17.

MM. Innumerabiles.

Causæ eligendi Martyres Innumerabiles, Trevirorum Patronos, hæ fuerunt; illorum in eadem Trevirensi Urbe natales, mors in odium Christianæ Religionis ab Ethnicis illata: beneficia, eorum precibus, à Deo accepta; quorum unum, sed palmarium, ad faciendam dictis fidem, in medium producemus: omnium quidem Divorum Tutelarium intercessione illud concessum credimus, sed potissimam operæ in tato

Gulielm. Baldesan. in Hist. MM. Thebæorum l. 2. p. 231.

par-

partem MM. Innumetabiles habuisse videntur Anno salutis humanæ 1301. Henricus de Lucemburg magnis bellatorũ instructus copijs Augustam Trevirorũ aggressus, eam summis viribus oppugnavit: cives humano auxilio destituti, ad divina provocarunt; ad Sanctorum Tutelarium patrociniũ confugerunt: illorum opem multis cum lacrymis postularũt: nec incassum fusæ preces; nam Henrici exercitus subita capitis vertigine laborare cæpit, & ebtiorum more milites circumagi, in gyros agi, ac titubare, nec certo loco pedes figere: mox alij in alios districtis gladijs irruete, & mutuis se se vulneribus conficere, ut olim in sacris Judicum libris sub Gedeone Duce fortissimo Madianitis hostibus contigisse legimus. Soluta Urbis obsidione, pari fetè hostium damno ac dedecore, Cives nil antiquius habuerunt, quàm maximas Divis Tutelaribus, quorum ope victores extiterant, gratias refetre. *Annales Eccl.Trev.*

Serenissimus denique Princeps Archiepiscopus Carolus Gaspar à Petra paucis abhinc annis, de communi omnium ordinum consensu, elegit, ac declaravit Sanctam Helenam Imperatricem, Primariam Trevirensis Urbis Patronam: & totius diæcesis Archiepiscopalis, Deiparam Virginem M. sine macula peccati originalis conceptam; ejusq; diem sacram, cũ octava, Romano ritũ per universam diæcesim celebrari præcepit.

Quem verò Divorum Tutelarium belli tempote in prælijs invocare soliti sint Ttevirenses milites? mihi certò constare non potuit: meritò dicere possumus: olim cum bella gerebant Principis sui, Archipræsulisque auspicijs, Sanctum *Petrum Apostolum* inclamare in bellicis congressibus consueverant, & illius effigiem in militaribus vexillis depictam præferre: quod conjectando magis, quàm affirmãdo scribimus: neque enim in re vetustatis, tenebris, & scriptorum silentio altè sepulta, lucem veritatis aspicere, vel certi aliquid statuere possumus. Modò, cùm sub aliorum Principum, & maximè Imperatorum, signis stipendia faciant milites Trevirenses, suorum mores militum, ac leges servant, & in bellicis conflictibus eosdem, quos ij, Pattonos inclamant.

SAXONIA

GERMANIÆ regio amplissima, Ducatûs, & Electoratûs dignitate nobilis: metropolim habet Vuitembergam ad Albim fluvium sitam, Academiâ celebrem à Friderico hujus nominis Secundo instituta Anno 1502. in cujus sigillo expressa visitur Friderici fundatoris effigies trabeata, cum hujusmodi inscriptione:

Aubert. Miræus in notit. Episcopatuũ, v. Vuitemberga, & Saxonia.

Me auspice cæpit Vvitemberga docere.

Optimarum quondam artium studijs floruit, & multos protulit magistros, & alumnos doctrinæ, ac pietatis famâ illustres: ejurata posteà Religione Catholica, & Lutheri, impij fraterculi errores amplexa antiqui nominis splendorem cum vera simùl religione amisit. Ab illa, seu fonte, manavit hæresis Lutherana, & per totam se diffudit Germaniam, non sine gravissimo gentis clarissimæ damno, & infamia. Id unum sciolis Saxonibus ante oculos propositum: Magistelli sui Lutheri, pecudum more, vestigijs insistere, impia sectari dogmata, atque in ipsius verba jurare: Romanum Pontificem, justum, ac legitimum Christi in terris Vicarium, dicterijs impetere, injurijs afficere, illius authoritati detrahere, nulla habita personæ, quam gerit, ratione. Sed frustrà: cùm Sedes Apostolica suprà firmissimam petram, idest Christum, fundata, velut pelagi rupes immota resistat: nec portæ inferi, quas Lutherus sibi, suisque sectatoribus aperuit: nec Saxones, innumeris licet illam convicijs, seu saxis, petant, prævalebunt adversus eam.

Saxoniæ Dux ratione muneris, & officij, quod obit, in areola Scuti rubra, & candidâ duos decussatos gladios pro Armis habet: ratione verò familiæ Saxonicæ cum Lavemburgica, alijsque ejusdem provinciæ Principibus, Scutum gerit in latitudinem trabibus flavis, & alternis variegatum, quam

fascia coloris flavi tænijs asperata dentatis, instar radiatæ coronæ, per transversum secat. Albertus Krantzius Saxonibus sub VviticHindo Principe pro Insignibus pullum equinum atri coloris attribuit: ad Christi verò Fidem jam conversis, albi coloris pullum. Hæc erant antiquæ Saxoniæ Insignia, decursu temporum sæpè mutata; si fidē adstruimus Joanni Palacio in Academia Patavina Magistro. Saxones à *Gladijs*, qui ipsorum lingua *Sahs* dicuntur, nominatos, affirmant Vvitichindus Corbeiensis, S. Gregorius Turonensis, Gobelinus, Justus Lipsius, & Ferdinandus Fustembergius, felicissimæ memoriæ Episcopus Paderbonensis, & Monasteriensis, paucis antè annis immatura morte præreptus: quanto omnium mærore, fletuque; quanto cum Societatis nostræ, cui impensè favebat, luctu, quid attinet memorare. S. Isidorus Saxones à duritie sic appellari existimat, citatus à Michaele Antonio Braudand in suo Lexico geographico, v. Saxones.

Krantzius, Saxon. lib. 2. c. 23.

Joann. Palac. in sua Monarchia Occidentali sub Carolo Magno Imp.

Fustemberg. Episc. Paderbon. in suis Monum.

Primarium Vvitembergæ templum ædificari mandavit Rodulphus Secundus, & Sanctæ Christi Martyri, ac Virgini Ursulæ dicari: in cujus honorem Fridericus Elector *Sapiens* dictus, argenteam posuit statuam: anno præterea 1509. nobilem B. Ursulæ sodalitatem instituit, eamque per Saxoniam universam propagari curavit, ut subditi sibi populi illius memoriam piè colerent, ac in posterùm Tutelarem haberent. Cæterùm templi conditorem fuisse Fridericum, non verò Rodulphum, verosimilius videtur. A nobis hactenus tradita per litteras Coloniæ Agrippinæ datas à multis jam annis accepimus, eaque de aliorum sententia, scriptis m andare decrevimus. Lectis tamen Saxonicæ gentis Annalibus, ijsque accuratè examinatis, invenimus, Sanctum Christi Martyrem *Vitum Saxoniæ Patronum* à multis jam seculis fuisse delectum, nempe ab anno octingentesimo trigesimo sexto, quo prima contigit Nortmannorum in Gallias hostilis irruptio, & facta creditur corporis sacri in Corbeiam Saxoniæ solemnis translatio, sedente Gregorio IV. Romano PP. imperante Ludovico Pio: uno, eodemque anno Translationem corporis Viti Martyris in Saxoniam, & Barbarorum in Gallias irruptionem contigisse testatur, ac dolet Caroli Simplicis Imperatoris Legatus apud Vviticindum Saxonum Principem his disertis verbis: *Postquàm nos deseruit insignis Christi Martyr Vitus; & ad nostram perniciem, vestramque perpetuam pacem visitavit, co-*

Herman. Chröb. S. I. in litter. ad me dat. Coloniæ.

S. Vitus M. Saxon. Patron.

C. Baron. in Annal. Eccl. Anno Christi 836. n. 4.

Surius de SS. 15. Junij.

municare vobiscum malunt; neque enim postquàm translatum est ejus corpus à nobis civilia, vel externa cessavere bella. : eodem quippè anno Dani, & Normanni regionem nostram invâserunt: hæc Legatus Imperatoris; de quibus etiam meminerũt Galliæ, & Germaniæ Scriptores. Cardinalis Baronius, suó satis nomine Author celebris ad annum suprà citatum Viti Martyris in Saxones patrocinium sic commendat, & illustrat: *Vitum Martirem Saxones omnes suscipientes in Patronum mira à Deo per eum consecuti sunt beneficia : è contra vero postquàm à Gallia translatus est, eadem à civilibus, vel externis bellis numquam quievit.* Id ipsum confirmat Author Anonymus apud Surium in Vita S.Viti 15. Junij.

Ferrar. in Catal. SS. die 15. Junij.

C.Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 920. n. 111.

Igitur dum esset sacrum Viti corpus Parisijs (quò fuerat sub Pipino Rege Roma translatum) potentissimum illud Regnum omnium rerum abundabat copiâ, armorum gloria, & pietatis laude excellebat: nec erat qui externa Francis inferret bella, nec domesticam turbaret pacem: stabat Respublica non minùs opibus, quàm armis potens : . cæterùm illius corpore inde in Monasterium novæ Corbeiæ paulò ante in Saxonia ab Imperatore Ludovico Pio, suasione Adelhardi propinqui sui, erectum ad exemplar Corbeiæ Galliæ, translato, tanto Gallia destituta Patrono, cæpit confestim magnis concuti bellorum motibus; Normannicis flagrare irruptionis incendijs; cuncta ferro, flammisque misceri: quibus certó cõstitit Sanctorũ Reliquijs, ac patrocinio apud Deum stare nixam Rempublicam; Regnaque florere domi pacata, foris gloriosa: ut Sanctus Basilius de sua Cæsarea Metropoli, & de vicinis urbibus apertè testatur loquens de Sanctorum quadragintra Martyrũ patrocinio: *Hi sunt,* inquit, *qui nostram obtinentes regionem quasi quædam turres contra adversariorum incursus refugium exhibent.* Id ipsum fusiùs, & luculentiùs prosequitur Sanctus Eucherius Lugdunensis homilia de Sanctis MM. Epipodio, & Alexandro.

Boschetus in notis ad Epist. Innocentij III. pag. 1.

Translatio corporis S. Viti in novam Corbeiam Saxoniæ facta est anno supra citato 836. operâ, & industriâ Varini Abbatis novæ Corbeiæ, qui illud obtinuit ab Hilduino Abbate Sancti Dionysij, annuente Ludovico Imperatore, & Parisiensi Episcopo permittente. Repositum fuit in templo Corbeiæ Saxonicæ Idibus Junij, ut scribit Author Anonymus, qui translationi interfuit.

Cruce aurea è medio assurgente.

Sanctum Christi Apostolum Petrum Saxoniæ utriusque fuisse Patronum non pauci, nec ignobiles Scriptores affirmant: Carolus enim Magnus, rerum gestarum fama clarissimus, & Romanæ Ecclesiæ defensor, & fautor egregius, bello contra Saxones animosè suscepto, & post triginta tres annos Sancti Apostoli tandem ope, & patrocinio ex animi sententia confecto, domitis non solùm hostibus, sed etiam ad Christi Religionem conversis, duplicata ad Dei honorem, & ad Cæsaris laudem gloria, multas, easque elegantis structuræ Basilicas B. Apostoli titulo prænotatas ædificari jussit, cujus auspicijs difficillimum bellum, & felicissimè confectum esse credebat: voti ergo sui compos jam factus Carolus, & utraque Saxonia armis subacta, & Christi legibus jam subjecta, illam Sancti Principis Apostolorum tutelæ, patrocinioque commisit, & Apostolicæ quodammodò ditionis fecit, ut testatur Gregorius Septimus Papa in Epistola ad Petrum Episcopum Albanensem, & G. Principem Salernitanum, ab eo legatos in Galliam missos.

S. Petrus Ap.

Gregor. VII. PP. Max lib. 8. epist. ultim.

THURINGIA

SUPERIORIS Germaniæ provincia Landgraviatûs titulo nobilis, Erfurdiam habet Urbem primariam ad Geram fluvium cōditā, & Academiam à Bonifacio VIII. amplis ornatam privilegijs Anno 1392. si credimus Auberto Miræo in suis Notitijs Episcopatuum Orbis Christiani. Insignia verò, Leonem falcatis unguibus in pedes erectum tribus partitum lineis albo, & rubro colore distinctum, cæruleo campo insistentem. In Scuti apice duo hinc, inde cornua foliolis decorata candidis, ac modicè prominentibus assurgunt. *Aubert. Miræus in in notit. Episcopat.*

Paruit olim Erfurdia Archiepiscopo Moguntino, à cujus potestate, crescēte cum viribus libertatis desiderio, se exemit; paucis tamen ante annis eidem parêre coacta est, & antiquū Dominum, delato obedientiæ obsequio, recognoscere. *Vvilhelm. Kirsing. S. I. in litter. ad me datis 10. Octobris 1668.*

Patronum, vel Divum tutelarem habuit olim Sanctum Bonifacium Episcopum Moguntinum, insignem Christi Martyrem. Ratio eligendi Patronum fuit, illius per Thuringiam, & conterminas huic regiones apostolatus: à Summis enim Pontificibus Gregorio II. & III. & Zacharia ad prædicandum Christi Evangelium per Germaniam missus, Thuringos, Hassos, & Moguntinos à vana Idolorum superstitione ad veram religionem traduxit, extructis ubique in unius Dei honorem templis, institutis per Franconiam, Hassiam, Thuringiam, & Bavariam Episcopatibus Vitceburgi, Birburgi, Erfurdiæ, Saltzburgi, Frinsingæ, Passavij, & Ratisbonæ; Christiana Religione inter Germanos mirum in modū propagata. In animo habebat Bonifacius Erfurdiæ sedem figere Archiepiscopalem, idque ipsum Pipinus Princeps Christianissimus gratum sibi fore per litteras illi significaverat: sed Zacharias Papa meliori, ut eventus docuit, consilio divinitûs sibi injecto, Moguntinam Ecclesiam ad Metropolitanæ dignita- *Serarius de reb. Mogunt. lib. 3. c. 24. 25. 29. & notat. 29. Vvillibald. in Vita ejusdem Martyris. Ratbodus lib. 1. de Sancto Bonifacio. Baron in Annal. Eccl. ad An. Christi 755.*

gnitatem evexit, ut fusis per Germaniam præesset Ecclesijs. Erfurdiam tamen Sede Episcopali Bonifacius insignivit, illique assignavit Episcopum Abelarium, seu Adhelarium: (Joannes Molanus Athalarium appellat) eximia pietate, ac prudentia virum, qui multis posteà clarus miraculis ad Deũ migravit 12. Kal. Maij: Anno salutis humanæ Ecclesiam Urbis principem Beatissimæ Virginis Mariæ nomine consecravit.

Anten. Balinghem S.I. in Ephem. Marian. die 5. Junij. Molan. in Natalib. SS. Belgij 6. Junij. Ferreolus Locrius in Mar. Augusta l.4. c.50. Nicol. Serar. S.I. rerum Mogunt. l.3. notat.22. Aimon lib.2. c.27. C. Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 527. Othlonus in Vita S. Bonifacij. Serar. rer. Mogunt. lib.3. notat.29.

Cæterùm Thuringia ante Bonifacij in eam adventum, Christi Fidem jam susceperat, vigueratque in ijs regionibus Religio Christiana, quam simùl cum armorum terrore in illas invexerant Reges Theodoricus, & Clotarius fratres Anno salutis humanæ 527.: ille, Herminifrido Thuringorum Rege ad Onestrudim fluvium ingenti prælio superato; iste, Radegunde Virgine, Bertharij alterius Regis filia, in matrimonium ducta. Excussit aliquot post annis Francorum jugum Thuringia, & Saxoniæ se adjunxit, & ejurata Christiana Religione, ad pristinos mores, & superstitionem gentilicam defecit: in hanc igitur vitiorum cæno immersam, & errorum tenebris involutam Evangelicæ veritatis radios intulit Bonifacius; impigramque navavit operam, ut eam ad unius Dei cognitionem reduceret. Erfurdiæ diù moratus, fidem inter cives mirificè promovit; vitia extirpavit; virtutes inseruit aliam atque invenerat discedens indè, reliquit; nam quæ anteà dicebatur vulgari sermone *Vrbs Paganorum Rusticorum*: Christianorum posteà civium metropolis evasit, operâ, & industriâ Bonifacij. Amplissimam hac ætate Urbem vocat Aubertus Miræus, & totius Germaniæ maximam; & si ego in alia ab eo sententia sim, ut potè qui viderim alias in Germania Superiore Urbes Erfurdiæ magnitudine pares. Dolui valdè cùm per illam transivi anno 1651. adulto jam mense Septembri, (Romam missus à Serenissima Regina Sueciæ Christina) & hæresûm peste infectam, & penè corruptam animadverti: supererant tamen in vasto Urbis corpore nonnulla religionis antiquæ monumenta, quæ veterem adhuc, & Romanam spirare videbantur sanctimoniam, & maiorum memoriam refricabát, à Novatorum erroribus alienam. Collegium etiam Societatis JESU in media Urbe erectum non modico civibus Catholicis adjumento est (frementibus licèt Hæreticis) ad tuendam, & conservandam in Sanctos pietatem, & Religionem Catho-

licam à Maioribus traditam, retinendam. Anno 1664. Moguntinæ ditionis facta cùm in ſacris, tum in politicis, antiquum Principem, ac Dominum recognoſcere, illique parêre coacta eſt. Faxit Deus, ut ſub tanti, ac tam pij Principis ditionem redacta, deterſa hæreſum caligine, veritatis lucem aſpiciat, & maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtens, horum amplectatur religionem à Sancto Bonifacio traditam, à maioribus acceptam, & miraculis innumeris confirmatam.

SILESIA

METROPOLIM habet Uratislaviam, Urbem amplissimam,& pulcherrimam; sed hæresum lue infectam, & deformatam: non pauci tamen cives inveniuntur Catholicæ Religionis studiosi, & rara quædam antiquæ pietatis monumenta ab maioribus tradita, cum nonnullis sacrarum familiarum cœnobijs. Decorata fuit sede, ac titulo Episcopali, sub Archiepiscopo Gnesnensi, procurante Casimiro Rege Poloniæ Anno Domini 1015. Arma Silesiæ sunt eadem & Poloniæ, cujus olim pars fuit: & stemma regium in multis adhuc provinciæ Ducibus perseverat. Sub Henrico IV. Imperatore Silesia cum Moravia, & Lusatia adjudicata fuit Regno Bohemiæ.

Aubert. Miræus in notit. Episcop.

Joan. Tanner. S.I. in litt. ad me dat. Olomucij.

S. Heduvigis. Sanctam Heduvigim Poloniæ Ducem, & Meraniæ olim Comitem, Henrici Ducis Matrem, à Tartaris in bello interempti, cujus illa necem multo ante prædixerat, totius regionis Patronam agnoscit, ac veneratur; quia religione in Deum, pietate in subditos, liberalitate in pauperes excelluit: item quia illius corpus inventum fuit Anno Christi 1268. cōsumptis prorsus carnibus, solutaque membrorum omnium compage: tres tamen digiti manus sinistræ reperti fuerunt omnino integri, & incorrupti, ac intra ipsos exigua Deiparæ Virginis Mariæ effigies visebatur; à quibus tam arctè, ac tenacitèr apprehensa tenebatur, ut nulla vi humana ab ijs avelli, extrahive unquàm potuerit. Hanc illa dum in vivis esset, summo pietatis, & amoris sensu coluit; & cum eâdem sepeliri voluit: ut omnibus palàm faceret, ultra mortem ire suam erga viventium Matrem observantiam, & pietatem.

Anton. Balinghem S.I. in Ephem. Marian. die 15. Octob.

Faxit Deus, ut ejurata hæresi, Silesia ad antiquam, & veram Fidem redeat, quam Sancta Heduviges, & regionis maiores professi fuerunt, nullis scilicet errorum fæcibus inquinatam.

MO-

MORAVIÆ

MARCHIONATUS â fluvio Mora quemadmodùm ab Ibero Iberia, India ab Indo fluminibus nomen traxit. Pro Insignibus habet Aquilam apertis ad volandum alis, redimitam corona, tessellis rubri, & cærulei coloris alternatim distinctam, in campo cæruleo ab antiquis Marcomannis acceptam, ut rerum Moravicarum periti nos per litteras monuerunt: amabant enim veteres Moravi tessellatas vestes. Olomucium regionis caput eminet, Urbs nobilis, & opulenta, incolis frequens Religione Catholicis, & Sede Episcopali illustris sub Metropolitano Pragensi. Moravia Fidem puram, & Romanam Catholicam à maioribus traditam superiori seculo novis erroribus infecit, & Sanctorum cultum proscripsit, & Martyrum memorias evertit: Olomucium tamen cives habet vetustæ religionis amantes, & Sanctorum cum Deo regnantium cultui deditos; Cyrilli præsertim ac Methodij Episcoporum; quos Moravicæ, & Slavicæ olim gentis Apostolos, & Magistros fuisse perhibent, ab Adriano Secundo Pontifice Romano ad prædicandum ijs gentibus Evangelium missos Anno salutis humanæ 879. Sanctissimè vitam egerunt, & Evangelij prædicationem multis miraculis confirmarunt. Eorum operâ, & industriâ corpus Sancti Clementis Papæ, & Martyris Romam fuisse delatum, & in Basilica Sancti Clementis repositum, Author est Cardinalis Baronius, in notationibus ad Martyrologium Romanum, die nona mensis Martij; ibi etiam fuisse sepultos virtutibus, & miraculis claros, affirmat.

Joann. Tanner. S.I. in litter. ad me dat.

Aubert. Miræus in notis Episcopat. verb. Olomucium.

Joan. Dubravius in Hist. Bohem.

SS. Cyrillum, & Methodium Moravi dum Catholico ritu, ac more viverent Patronos, ac Divos Tutelares habuerũt, quòd ab ipsis, tamquàm ab Magistris, & Apostolis, prima Fidei Christianæ mysteria didicerunt. Olomucium verò Catho-

Æneas Silvius l. 1. Hist. Bohem. c. 13. C. Baron. in not ad Martyr Roman. die 9. Martij. Cromer. lib. 3. de reb. Polon.

Matth. Archiep. Pragens. in gloria S. Vvenceslai.

tholicæ Religionis tenax, & in maiorum Fide perstans, Sanctos Episcopos piè, ac religiosè colit; ipsosque apud Deum Advocatos, & Intercessores habere in religionem vertit.

BEL-

BELGIUM
SEU
GERMANIA INFERIOR.

SEPTEMDECIM numerat Provincias, quas hìc recensere supervacaneum ducimus, cùm passìm apud Authores, & Cosmographicas tabulas reperiantur descriptæ suis quæque insignibus conspicuæ, moribusq; distinctæ. Instituti nostri est inquirere an omnes, vel earum singulæ unum aliquem, vel plures Divos Tutelares, aut peculiares Patronos colendos susceperint, ad eum ferè modum, quo colendos susceperunt, ac venerantur multæ in orbe Catholico urbes, ac provinciæ? Ad assequendam hujusce rei veritatem nonnullos viros doctos, & in sacris Belgij rebus benè versatos per litteras consului, quorum unus eruditionis famâ clarus hujus tenoris epistolam ad me dedit Antuerpiæ 25. Maij, Anno 1669. *Tutelarium Provincijs, aut Vrbibus adsciscendorum usum, qualis nunc in Italia viget, in omnibus Germanicis, Belgicisque Provincijs omninò nullum esse existimo: & quidem quod attinet ad Provincias tam longè abest, ut aliquis Sanctus habeatur alicujus provinciæ universalis Patronus, ut ne per umbram quidem talis uspiam nominetur: Vrbibus verò singulis latiori quadam acceptione Patronos attribui consuevisse, eos maximè, quibus Ecclesia Cathedralis, vel Primaria esset consecrata.* Sic ille. Bona tamen viri tanti, & nobis amici venia, multos in medium Sanctos producemus Belgij universi, vel Belgicarum Provinciarum, Urbiumque Patronos ab ipsis Flandriæ, Belgijve Scriptoribus collectos, quibus utpotè rerum suarum peritissimis plena, & indubitata fides habēda est. In primis Franciscus Costerus nobilis, & pius nostræ Societatis Author in præfatione libelli *De sodalitio Mariano* *Franc. Costerus S. I.*

Deipara V.

Belgio, ac finitimis Provincijs Deiparam V. Mariam Patronam aſſignat his diſertis verbis: *Non pauca olim Respublicæ, adeoque regiones integræ hujus Sacratiſſimæ Virginis patrocinio ſe commiſerunt, quod Alſatia tota, Hungaria, & Belgica nobilis provincia teſtantur; quæ ſimulac fidem ſuſceperunt, ſimul etiam Chriſti Matrem in ſingularem elegerunt regionis Patronam. In Belgio ſanè Cathedrales Eccleſiæ Cameracenſis, Tornatenſis, Atrebatenſis, & Tungrenſis in Beatæ Virginis honorem conſecratæ ſunt Deo: Autuerpienſis porrò Civitas originem ſuam, & progreſſus Dei Matri debet, ſicut Argentinenſis Rempublicam ſuam floren-tiſſimam.* Hæc Coſterus. Cujus dictis pondus, & robur addit Euſebius Nieremberg noſtræ etiam Societatis Theologus, ijs quæ tradit in libro de Trophæis Marianis: & Ferreolus Locrius de Maria Auguſta ſic ſcribit: *Antiquiſſimæ Belgicæ Diæceſes ultrò Mariæ Virginis tutelam ſubierunt, Cameracenſis, Atrebatenſis, Tornacenſis, Ultrajectina, & noſtra ex parte Morinenſis. Aliæ recentiores multò poſt, petente Philippo Secundo, inſtitutæ: illæ igitur antiquiſſimæ omnes Patronam communem B. Virginem inclamarunt, & rem patriam, & Chriſtianam ſub ejus umbra promovere ſtuduerunt: unde ita comparatum ut Sanctiſſimæ Virginis cultus quà maximè fuerit per ejuſmodi regiones propagatus.* His ſimilia invenies apud Antonium Balinghemium Societatis JESU Presbyterum in ſua Ephemeride Mariana, Georgium Kolvenerium in Kalendario Mariano, & Auguſtinum Vvichmans in ſua Brabantia Mariana.

Euſeb. Niere mb. S. I. lib. 1. c. 8.

Cum his igitur magni nominis Scriptoribus ſentire volumus, & affirmamus non paucas olim in Belgio Provincias, Urbesque primarias ſtudio Marianæ pietatis incenſas Beatiſſimam Virginem Mariam optimam ſibi Patronam delegiſſe, haud ignaras quanta apud Deum filium Protectrice, & Advocata niterentur, etſi *Patronæ* titulum veteres Belgæ illi non attribuerint ea verborum formula, ea cæremoniarum, ac rituum ſolemnitate, qua modò Romani Pontifices Sáctos cum Deo jam regnantes alicujus Regni, aut Provinciæ Patronos inſtituere, ac declarare conſueverunt: cùm ſacer iſte mos ſit longè recentior, & à Chriſti Vicarijs ſapientiſſimè præſcriptus ut nimiam eligendi Patronos pro arbitrio populorum licentiam coercerent, ut potè graviſſimis incomodis obnoxiam, & errandi periculo expoſitam; ac proinde certis quibuſdam ſancitis legibus eam adſtringere voluerunt; quod non tollit

quo

quo minùs legitimi olim, ac veri extiterint suarum quique Provinciarum, Urbiumque Patroni; cùm multa recentiori ævo novis, ac Sanctis Ecclesiæ legibus in Christianam Rempublicam sint inducta, quæ anteactis seculis non fuerunt; nec propterea vetustos multarum provinciarum mores tot annorum cursu, & possessione firmatos rejicere, vel damnare possumus, aut debemus, cum ijs tacitus saltem Episcoporum cõsensus, & Fidelium pietas; & quod caput est, ipsa venerabilis antiquitas authoritatem concilient, & reverentiam: sic innumeros Christi Martyres priscis temporibus habitos, & ab Ecclesia piè cultos fuisse legimus: sic per multos Sanctorum fastis adscriptos longè alia apotheosis ratione, atque nunc fieri solet, ut fusè, & eruditè probat Illustrissimus, & Reverendissimus D. D. Franciscus Maria Phebæus, Tarsensis Archiepiscopus, magnus Sancti Spiritus in Saxia Commendatarius Romæ mihi notissimus, & amicissimus, peculiari hàc de re instituta Dissertatiuncula occasione Canonizationis Sãctorum Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virginis Carmelitanæ à Clemente IX. Summo Põtifice peractæ Anno 1669. die 28. Aprilis: nec proptérea ulli Catholico in mentem veniet inficiari illos inter Superos jam versari immortalis gloriæ coronâ donatos; ut alia multa his similia omittamus. Sic etiam in delectu Sanctorum Tutelarium non semel contigisse credimus, quos vel Regum pietas, vel Episcoporum authoritas, vel communis populi consensus Regnorum, Provinciarum, vel Urbium Patronos elegerunt; nec propterea minus veri, ac legitimi illarum Patroni censendi sunt.

Illustrissimus Dominus Phebæus Roman.

Sub Beatissimæ igitur V. Mariæ patrocinio Belgium Catholicum collocamus illorum authoritate Scriptorum nixi, quos suprà citavimus: Hæreticos enim Authores non curamus, qui ejurata Religione Catholica superiori seculo bellum Cælitibus moverunt, & inito cum tartareis monstris fœdere, sacratum Imaginum usum tollunt, Sanctorum invocationem & cultum damnant; ac vanæ superstitionis notam ijs inurere audent qui Deiparam V. & Sanctos religiosè colunt, eorumque auxilium in publicis, & privatis calamitatibus implorãt, ut ipsorum maiores, & parentes per tot secula fecerunt, erectis ubique in illorum honorem templis, aris excitatis, conservatis memorijs, sacellis extructis. His veluti præsentis tra-

ctatiunculæ fundamentis priùs jactis, superest ut nonnullis Belgij Provinciis, Urbibusque Primarijs Divos Tutelares, quos apud probatos Authores reperire potuimus, assignemus.

Flandria.

Flandria, Comitatûs amplissimi titulo nobilis, Catholicæ Religionis amantissima, in quatuor divisa Episcopatus Gandavensem, Brugensem, Iprensem, Tornacensem, etsi Deiparam Virginem pijssimè veneretur, Divum tamen Petrũ Apostolorum Principem Patronum sibi delegit de consilio Sancti Ursmari, Flandrorum Episcopi, & Apostoli, ut advertit Joannes Molanus in Indiculo SS. Belgij his conceptis verbis: *Pipino Duce Brabantiæ Sanctus Vrsmarus Flandris, & Menapijs Evangelium prædicavit: Aldemburgi Ecclesiam ab Aldo illius regionis dynasta in honorem Sancti Petri erectam consacravit, eumque ipsis Flandris, & Menapijs Patronum dedit.* Obijt Ursmarus Anno Christi 713. die 19. Aprilis, vel 18. ut alij tradunt: cũ Molano sentiũt Andreas Saussaius in suo Martyrologio Gallicano, Ratherius, & alij Authores, quibus accedit Joannes Erardus Fullonius, excellens nostræ Societatis Scriptor in litteris ad me datis Tornaci 26. Septembris An. 1668. in quibus sic scribit: *Sanctus Petrus dici ex vero potest antiquus Flandrorum Patronus, à Sancto Amando Tungrensi Episcopo Menapiorum (hodie Flandria est) Apostolo singulariter cultus.* Ab ijs Authoribus scripta confirmat Aubertus Miræus in Fastis SS. Belgicis, & Burgundicis.

Aubert. Miræus in notit. Episcop.

S. Petrus Ap.

Saussai in Martyr. Gallic. 18. *April.*

Baron. in Martyr. Roman.

Erard. Fullonius S. I.

Molan. in Indic. SS. Belg.

Brabantia.

Flandriæ Comitatum Brabantiæ Ducatus excipiat nobiliori patrocinij titulo insignis, Sanctissimam enim Virginem Mariam Tutelarem habet, ac veneratur, si credimus Augustino Vvichmans Canonico Præmonstratensi, viro pio, & erudito, in sua Brabantia Mariana: sic loquitur: *Vix ullam Brabantiæ Civitatem (numerat illa supra viginti sex) mihi dabis, in qua non speciale aliquod Deiparæ sacellum extructum sit: imò ejus urbes omnes, vel saltem pleræque eidem sacræ sunt: & si non primariam, ad minùs secundariam eam habent Patronam.* Consulat curiosus Lector Brabantiam Marianam hujus Authoris, in qua multa scitu digna inveniet, & Brabantinæ gentis studium cum singulari in Deiparam Virginem pietate conjunctum jure suspiciet, & mirabitur.

Frisia.

Frisiæ item Provinciam Mariano patrocinio subesse meritò credimus: Frisones enim illius ope adiuti insignes olìm de

Hollan-

Hollandis hostibus victorias reportarunt semel terra, ac iterùm mari, quarum memoriam ad hanc usque diem celebrant 26. Septembris, sub titulo *Sanctæ Mariæ de Victoria*, ratione cujusdam voti à maioribus nuncupati, & ad posteros certa quadam lege transmissi. Hamconius Poeta his carminibus à nobis dicta confirmat: *Kolum. p. 2. Kal. d. Mar. die 26. April.*

Virgo Dei genitrix, magni spes altera mundi
Crebram mittis opem Frisiæ Patrona gementi.

Et iterum:

Ipsaque Trentinis Frisiæ stans fulget in armis.

In militaribus quippè vexillis, in Sanctorum templis, in aulis Principum, supra urbium, & oppidorum portas passim visebantur depictæ, vel expressæ B. Virginis effigies, tamquàm Frisiæ gentis Patronæ. Trentia etiam pars Frisiæ Deiparæ ipsius Imaginem pro Insignibus habebat, ad quam illo versiculo alludit Poeta, ut observat Eusebius Nierembergius in suis Trophæis Marianis.

Præter Deiparam Virginem, Beatum etiam Jacobū Maiorem Apostolum Frisiæ Patronum fuisse putamus, ut Hamconius citatus his carminibus significat:

Magna Petri, Paulique fuit veneratio Romæ,
Matris Aquisgrani Mariæ veneratio magna:
Sed Frisonum maior nunquàm devotio Divi,
Quem Compostellæ venerantur busta Jacobi.
Hujus Evermanus sacram Friso nobilis urnam
Visens ante octo est jugulatus secula Ruthis.
Huic pagi, & portæ, sunt huic insignia quadam
Frisiadum; sunt huic compluria templa dicata:
Hujus ope, & precibus Saracenos Frisia pubes
In Syriam tendens muros propè fudit Vlyssis.

Alludit his carminibus Hamconius ad Frisonum classem, quæ navigabat in Syriam Anno salutis humanæ 1217. ut Christianos milites Hierosolimæ commorantes, & continuis adversùs Saracenos bellis fessos, & in ultimum jam discrimen adductos totis viribus juvaret: in medio navigationis cursu fæda tempestate jactata ad Ulyssiponis in Lusitania portum appulit salva, ibique Lusitanis per id tempus contra Mauros bellum gerentibus tulere suppetias Frisones qui illâ vehebantur, ad Salaciam expugnandam: (Alcacerem modò vocant) oppidum in provincia Transtagana munitissimum, regnante *Cæsarius Heisterbach. in Hist. illustr. miracul. l. 8. c. 56.* *Anton. Vasconcell. S. I. sub Alphonso Secundo.*

Scriptores Lusitani sub Alphonso Secundo.
Fr. Franc. Macedo in propugn. Lusitan. Gallic. part. 1.

per id tempus in Lusitania Alphonso hujus nominis Secundo; apparuit Christianis pugnantibus Jacobus Apostolus candidissimo vectus equo, & cælestibus radians armis Lusitanorum Patronus, iisque animos fecit, ut oppidum totis viribus oppugnarent, ac tandem expugnarent die 25. Julij ipsi Apostolo sacrâ. Nec Cælitum sine auxilio tantum oppidum capi potuit, cùm centum Barbarorum millia quatuor Regum auspicijs opem tulissent obsessis, quibus cum acie pugnatum: anceps pugna fuit nunc in unam, nunc in alteram partem inclinante victoria: donec suis opem ferente Jacobo, profligato Maurorum exercitu, nullus Regum vivus evasit; hostiū triginta millia trucidata; oppidum captum, & valido bellatorum præsidio permunitum: belli tanti felicissimè confecti memoriam per universam Europam fama mométo vulgavit. Frisones igitur, confecto ex animi sententia bello, in patriam redeuntes cives, & contribules suos impulerunt, ut Sanctum Jacobum Apostolum, cujus opem apud Salaciam Lusitaniæ urbem præsentem experti erant, Patronum suæ genti cooptarent, ejusque effigiem equo insidentis, & aureis armis instructi ubique depingerent; excitatis etiam in illius honorem templis, arisque dicatis, singularem in ipsum amorem, & obsequium pietatis posteris testatum facere voluerunt.

Geldria.

Geldria jam dudùm se dedit in clientelam SS. Galeni, & Valeni ex eorum decem millium numero Martyrum, qui apud Alexandriam Armeniæ Maioris urbem in monte Ararath Crucibus affixi fuerunt, imperante Adriano, quorum reliquias Adolphus Egmondanus, Dux Geldriæ in oppidum ejusdem nominis transferri, ac decenti loco collocari curavit Anno Christi 1468. Hujus translationis occasione Geldriā hi duo Sācti Martyres suo olìm patrocinio decorabant, ac protegebant, dum scilicet Fides Catholica, & Romana nullis errorum fœcibus inquinata in illa florentissima provincia vigebat, ut habetur in Officio Ecclesiæ Ruremundensis, quæ avitæ adhuc, ac veræ religionis tenax Sanctorū Martyrum cultum retinet, & memoriam veneratur, eosque apud Deum advocatos, & intercessores habere gloriatur.

Molan. in Annal. SS. Belgij.

Antequàm ulteriùs procedamus, advertat curiosus Lector Joannem Molanum, virum eximiè pium, ac doctum sic scribere de Sancto Vvillibrordo diversarum urbium, gentiumque Apostolo, & Patrono, ad diem 7. Novembris: *Di-*

verse

verfæ in Belgio Provinciæ, Urbesque Patronum habent Sanctum Villibrordum; Vesalia nempè; Werdæ; Xantenses, Clivenses, Frisij; Transisalani; Traiectenses, Hollandi; Geldri; Zelandi, quorum omnium fuit Apostolus: migravit ad Superos Anno Christi 736. ex Beda, & ex Chronico Apostolorum Frisiæ.

Artesia.

Artesia Galliæ Belgicæ provincia Comitatûs titulo nobilis, urbes habet Episcopales Atrebatum, & Audomaropolim Remensi quondàm, modò Cameracensi Metropolitano suffraganeas. Urbs Atrebatensis provinciæ caput ad Scarpam fluvium amæno loco sita, firmissimis, munita propugnaculis, fossisque profundis cincta, ac eo nomine Flandriæ Occidentalis murus dicta: olim Hispanicæ ditionis erat, nunc verò Gallicæ. Pulchrum sanè, & magnificum hac in urbe visitur Deiparæ Virginis templum Sede Episcopali, & quadraginta Canonicorum Collegio insigne à Sancto Vedasto fundatum, in quo à multis jam seculis asservatur quoddam mannæ genus, candidissimæ lanæ speciem referens, quod è Cælo instar mollis pluviæ decidisse memorant, ac certis quibusdam anni diebus, religionis causâ, populo spectandum proponitur.

Locrius in Histor. Comitat. Artes.

Sammarth. Fratres tom. 2. Gall. Christ. sub Episc. Atrebat. & tom. 4. in Abbatia S. Vedasti.

Silvest. Petrasancta tom. 3. Thaumasiæ

Quod attinet ad Divos Tutelares, Artesiæ totius nullus est Patronus, aut solemni Ecclesiæ more, aut communi populorum consensu electus, cum Officio duplici, & octava; ut in alijs Catholici orbis provincijs celebrari consuevit: magna tamen pars Comitatûs; & urbs ipsa Atrebatensis Sanctum Vedastum Episcopum Atrebati simul, & Cameraci eo sensu sibi adoptavit Patronum, ut de illo sub ritu duplici festum celebret, & in publico foro die ipsi dicata, hoc est sexta Februarij, à forensium causarum strepitu omnes vacent: in Litanijs etiam, precibusque ad usum Ecclesiæ Atrebatensis institutis, illius nomen invocari, & memoria recoli consuevit. Causæ hujus electionis fuerunt eximia illius in Deum pietas; nominis celebritas singularis, illustria miracula, res præclaræ ab ipso gestæ, de quibus multi, & graves variarum gentium Authores meminerunt, præsertim Joannes Bollandus, & Fridericus Henschenius Societatis JESU Presbyteri, in Actis Sanctorum mensis Februarij, tomo 1. die 6. A Fidelibus per Artesiam, & finitimas huic regiones summo pietatis studio colitur: templa in Dei honorem ipsius nomine extructa ubique visuntur; & pagi integri de *Sancto Vedasto* nominati. Atrebatensis porrò Civitas eum sibi proprium, ac justum Patronū de-

Balderic. in Chron. Cameracensi.

Manuale Parochorum pro Ecclesia Atrebat.

Andr. Saussaius in Martyr. Gallican. die 6. Februar. & 15. Julij.

Joan. Molanus in natal. SS. Belgij.

Bolland. & Henschen. S.I.

Offic. Eccles. Atreb.

delegit; festum illius diem sub ritu duplici celebrat, cū octava, à tempore quod hominum memoriam excedit: *Solemni cultu* (scribunt Authores citati) *interdictis servilibus operibus Atrebatenses suum Patronum celebrant 6. Februarij; quem peculiari officio per integram octavam prosequitur Clerus.* Joannes Bruxellensis in Sermone de translatione corporis Sancti Vedasti ad urbem Atrebatensem sic loquitur: *Gaude plebs Atrebata hodierna die gratuita munerum divinorum munificentia per relationem gloriosissimi corporis Patroni tui, & Doctoris Beatissimi Vedasti oppignorata.* Haiminus item Monachus Sancti Benedicti, *Patronum Atrebatensium* appellat: manuscripti prætereà codices antiqui Marchianensis, & Sancti Maximi Vedastum eodem *Patroni* titulo afficiunt. Vixit is regnante in Gallia Clodoveo I. quem unà cum Sancto Remigio Francorum Apostolo, Christianæ Fidei præceptionibus erudivit; & sub Clotario ejus filio: ab ipso Remigio Episcopus consecratus Ecclesiam Atrebatensem quadraginta ferè annorum spatio magna prudentiæ, & pietatis laude gubernavit: obijt anno 570. die sexta Februarij: sepultus in Ecclesia Cathedrali Deiparæ Virgini ab ipso dicata; inde procedente tempore, corpus in Cœnobium Sancti Vedasti, Ordinis Benedictini, solemni pompa fuit translatum, quod amplissima dote Theodoricus Rex Galliæ ditavit, adeo ut opulentissima Abbatia Europæ totius habeatur. In hujus Cœnobij templo coactus est celeberrimus, & frequentissimus omnium ferè Europæ gentium Conventus Anno salutis humanæ 1435. stabiliendæ pacis causa inter Carolum VII. Regem Franciæ, & Philippū Ducem Burgundiæ: divino favente Numine, & Vedasti apud Deum precibus, inter Christianos Principes pax coaluit. Quo autem anno, vel tempore Atrebatenses Vedastum Patroni titulo, & honore affecerint, certò nobis constare non potuit; verisimile est id contigisse cùm sacrum illius corpus in Cœnobium ipsius nomine prænotatum ex Ecclesia Cathedrali fuit translatum per Sanctos Aubertum, & Audomarum; nec facilè convinceretur erroris, qui antiquiorem esse affirmaret.

C. Bar. in Coment. Martyr. Roman. ad diem 6. Febr. Surius tom. 1.

Sanctissimam item Virginem Mariam Atrebatensium *Patronam* vocare meritò possumus, ac debemus, cùm templum habeat Cathedrale ipsius nomine insignitum. Celebris hic est cerei cujusdam memoria, & perennitas, qui sua initia repetit

Balderic. in Chron. Camerac. l. 3. c. 32. & in Chron. Atreb. l. 3. c. 58.

petit ab Anno Christi millesimo centesimo quinto, & illustri miraculo in urbis utilitatem edito, maternum Deiparæ Virginis in cives amorem satis declarat. Grassabatur per illud tempus dirissima per urbem lues, intùs excrucians igne pestifero, foris ulceribus fœdis, seu carbunculis infirmorum corpora: ubique jacebant humano remedio destituti; non modò in domicilijs, sed in compitis, & plateis, ac in templorum porticibus, mortuis, quàm vivis propiores: urbem sibi carissimam de Cælo respiciens Virgo Deipara, commiseratione mota, & civium precibus flexa Lamberto Episcopo Atrebatensi in templo oranti apparuit, cereumque eximij candoris in manus tradidit, ex quo guttatim defluēs cera in peluim aqua benedicta ab ipso Lamberto plenam mira patravit; omnes enim ad unum infirmi aqua, vel epota, vel infusa ulceribus cōvaluere protinùs: reddita miseris sanitate Deiparæ beneficio, aucta est mirum in modum civium pietas, & instituta *Sodalitas Ardentium* (sic vulgo dicunt) per Belgium valdè celebris. Durat adhuc cereus ille Virgineus perpetuo sanè miraculo integer, semper nec imminutus, idemque pondus omninò retinens, & si frequentèr ardeat, ignemque ac lucem nutriat, & suas in alios effundat opes: nam præterquàmquòd sæpissimè accendatur, ut defluentibus in aquam guttulis virtutem ei conferat salutarem juxtà Deiparæ Virginis præscriptum, cerei alij complures conflati sunt ex liquescentibus guttis, illo tamèn suam semper molem, ac longitudinem pristinam conservante. A nobis supradicta de patrocinio B. Virginis erga Atrebatenses confirmat Ferreolus Locrius in Epistola nuncupatoria, operis quod inscripsit *Maria Augusta*, ad Joannem Richardum Episcopum Atrebatensem his verbis: *Diæcesis tua Mariam Tutelarem Divam habet.*

Nicol. Gazæus in Catal. Episc. Atreb.

Sammarth. Fratres tom 2. Gall. Christ. sub Episc. Atrebat.

Anton Balinghem S.I. in Ephemer. Marian.

Hactenùs de Sanctis scripsimus Provinciarum, ac Diæcesum nonnullarum Patronis, quos reperire potuimus; plures fortasse dabunt alij in sacris Belgij rebus magis versati. Superest, ut aliquarū urbium, quæ cæteris dignitate, & magnitudine præstant, Divos Tutelares, levi saltem calamo, perstringamus: nec id vel lectoribus molestum erit, cùm multa scitu digna, & eruditione plena tradamus; nec Sanctis ingratum, cum de illorum in terris cultu, & observantia, eo quo possumus, styli nitore, & animi sinceritate tractemus.

A Machlinia, sive Mechlinia initium ducemus Ecclesia- stici

Machliniæ Patroni.

ſtici primatûs dignitate inſigni: in meditullio Brabantiæ ad Diliam fluvium, qui mediam ſecat, æquali ferè ab Antuerpia & Lovanio, primarijs urbibus, intervallo ſita, agrorum ubertate, ædificiorum nitore, templorum numero, & magnificentia celebri: Curia ſuprema (Parlamentum vocant) à Carolo Duce ornata. Patronum colit Sanctum Rumoldum, quem Scoti ſuũ, ſuũ Hiberni civem eſſe affirmant: cauſam cõtentioni, vel hujuſmodi controverſiæ inter has nationes dedit nomen *Hiberniæ* utrique olim regioni, ac genti commune. Epiſcopum fuiſſe conſtat: cujus verò urbis, incertum: alij Dublinenſem in Hibernia, Dumblanenſem in Scotia alij faciunt: certum eſt Archiepiſcopos Machlinienſes ſolitos eſſe ſua præferre inſignia cum Scotiæ inſignibus conjuncta in memoriam Sancti Rumoldi, ſui olim Epiſcopi, & Apoſtoli: qui patria domo relicta Romam ſe contulit pietatis causâ; inde, divino monitus oraculo reverſus in Galliam, tranſijt in Belgium, & Machliniæ ſubſtitit, ac ejuſdem provinciæ gentibus Chriſti Evangelium prædicavit, non ſine ingenti animarum fructu, earum meritò gentium dictus Apoſtolus: prædicatoris munus egregiè obeuntem ſicarij duo repete aggreſſi, eum multis vulneribus conciderunt Anno ſalutis humanæ 775. corpus ab ijs in fluvium projectum radiantis ſtellæ indicio inventum fuit, & pretioſo conditum ſepulchro, & theca pretioſiſſima incluſum, cui vix parem in toto Belgio reperias. Templum ſatis magnificum illius nomine ſacrum Notgerus Epiſcopus Leodienſis, addito Canonicorum Collegio, excitavit, & multis poſt ſeculis Paulus IV. Romanus Pontifex, Metropolitana Sede, & Belgicæ Provinciæ primatu inſignivit Anno 1559.

Sammarth. Fratres in Gall. Chriſt. ſub Archiep. Machlin.

Hadrian. Barland. in Hiſt. Comit Holland. in Vita Caroli Pugnacis.

Surius to. 7. de SS. Kalendis Julij.

C. Baron. in Anna. Eccl. ad An. Chriſti 775.

Erard. Fullonius S.I. in litter. ad me dat. Fornaci 26. Septẽb. Ann. 1668.

Machlinienſes Patronum ſibi delegerunt S. Rumoldum quòd illum habuerunt Apoſtolum, & primum Chriſtianæ Fidei Magiſtrum: item quòd is vitæ ſanctiſſimæ inſtituto, & rebus mirè geſtis claruit; & clientes ſuos optimi more Patroni, innumeris beneficijs afficere non deſiſtit: nec raro partis divina ope victorijs rempublicam ab imminenti clade liberavit; contra Nortmannos præſertim, qui cuncta cædibus, rapinis, incendijsque miſcebant, pugnare viſus eſt. Beati Rumoldi feſtum Machliniæ, & in tota provincia ſibi ſubjecta, ritu duplici celebratur Officio IX. lection. Kalend. Julij. Alijs item anni diebus agitur illius Translationis memoria, & relationis

tionis. A nobis hactenus dicta confirmat Andreas Saussai in suo Martyrologio Gallicano his disertis verbis: *Sanctus Rumoldus non tantùm Machliniæ Patronus est, sed totius hujus regionis Apostolus.* Fusiùs, & distinctiùs rem tractat Aubertus Miræus à nobis suprà citatus.

Antuerpia.

Antuerpia urbium, quas Europa, Africa, Asiaque spectant, (scribit Miræus) pulcherrima, ad Scaldim fluvium sita, Deiparæ Sanctissimæ patrocinio gloriatur, ut Costerus his verbis significat: *Antuerpiensis Civitas originem suam, & progressus Dei Matri debet.* Costero accedunt Ferreolus Locrius, Antonius Balinghem, & Kolvenerius: Augustinus Vvichmans in sua Brabantia Mariana sic loquitur: *Vti Constantinopolis dicta est Civitas Mariæ, sic etiam Antuerpia: licet enim multæ aliæ Civitates Brabantiæ Sanctissimæ Deigenitricis admodùm sint adstrictæ servitio, eamque tamquàm patronam suam venerentur, nullam tamèn dederis, quæ solam eam Patronam habeat, & Tutelarem, quod Antuerpiæ omninò peculiare est, quæ in primaria sua basilica nullum Sanctorum Virginis consortem agnoscit. Tota igitur urbs Mariana est.* Primus Antuerpiensium Apostolus Sanctus Amandus fuisse perhibetur, à quo veræ Fidei documenta acceperunt: huic diversis posteà temporibus successere Eligius, Vvillebrordus, & Norbertus, Ordinis Præmonstratensis author & parens, cui potissimùm debet Antuerpia quòd Sanctissimam Dei Matrem unicam, & primariam sibi Patronam adsciverit & Tutelarem, extirpata, ejusdem Virginis ope, nefaria Tanchelini hæresi, urbeque ab erroribus benè purgata: item quòd basilicam magnificentissimam Sanctæ Mariæ titulo, magnis expensis extruxerit, turri è secto, & quadrato lapide in immensam altitudinem assurgente, ac templi faciem decorante, inter orbis miracula numeranda. Ac nequis de Mariano erga Antuerpienses patrocinio possit ambigere, hujusmodi inscriptionem adducimus maioribus insculptam litteris turris altissimæ lateri in forum verso.

Costerus de sodalitio Mariano.
Balinghem. in sua Ephem. Mariana die 1. August. & die 18.
Georg. Kolven. in Kal. Marian. ad diē 16. August.

Matri Optimæ,
Patronæ potentissimæ,
Dominæ benignissimæ,
Reginæ munificentissimæ;
Vrbis suæ tutelari
Antuerpia
Posuit.

Invenitur in tabulario ejusdem basilicæ m. s. codex ante quingentos octoginta annos, inquit Vvichmans, in quo de antiquo Deiparæ Virginis cultu, & patrocinio erga Antuerpienses testimonium fertur. In media etiam Curiæ Senatoriæ area magnæ Dei Matris statuam Reginæ habitu, & sceptro insignis Cives posuerunt, tum grati animi causa, tum ut omnibus palàm facerent Antuerpiam, Urbem clarissimam, & pijssimam, sub illius patrocinio esse, & clientela. Appositè in rem nostram Franciscus Bencius Societatis nostræ Orator excellens, & Poeta: *Vrbs Antuerpia*, inquit, *sub Maria Dei Matris patrocinio ferè nata olim, crevitque; & extabat monumentum in prætoriæ Domus pariete collocatæ ipsius effigies è marmore, quam auctu deinde rerum, viriumque nova extructa domo, cùm sustulissent architecti, aut oblivione reliquerunt, aut contemptu: colossus pro ea positus informi magnitudine, gygantem appellabant, anilem nescio quam fabulam comminiscentes: ex eo omnia in peius ruere visa. Divini tandem Numinis beneficio, reddita sibi Antuerpia Collegio nostro ornata, nobili etiam piorum sodalitate instituta, consilium captum, Deo adspirante, approbante Senatu, deturbato monstro in priorem suam sedem Cæli Reginæ restituendæ. Ejus statua facta est sodalium impensâ, pedum quatuordecim altitudine. Hæc cùm die Assumptionis regali corona, sceptroqs insignis triumphali esset thensa è templo nostro educenda, visum est, increbrescente pluvia Cælum inhorrescere; exultare gaudio Hæretici; per confertum volitare multitudinem, quæ ad pompam cõfluxerat, illicere plebem ad superstitionẽ, idololatriam Jesuitarum damnari Cæli voce jactantes. Sed non est semper, nec diù felix iniquitas. Vt omnem sibi ignarum vulgus exemptum scrupulum putaret, eo ipso temporis vestigio, quo efferebatur ex turbido die cùm serena lux, & tranquilla redijsset, adstructus est favor divini Numinis, & insanus maledicentium furor obstructus.* Hæc Bencius.

Singulis annis Dominica prima post Festum Virgineæ Assumptionis dies natalis urbis Antuerpiensis celebrari consuevit, quemadmodùm Constantinopolitanæ quondàm urbis Mariæ Virgini dicatæ, natalis dies, decima, vel undecima mensis Maij agebatur. Deiparæ statua à viris principibus per urbis plateas solemni supplicatione circumfertur festo civium gaudio, plaudente populo, lætantibus Angelis, eaque religiosæ pompæ specie omnium oculis objecta suum erga Deiparam

Locrius lib. 2. c. 11. in Maria Augusta.

Bonifacius l. 1. c. 4.

Anton. Balinghem ad 25. Martij.

August. Vvichmans in Brabant. Mar. lib. 2. c. 7.

Anton. Balinghem. in Ephem. Mar.

ram pietatis studium, & filiorum amorem Antuerpienses abundè testantur. Sequenti Dominica alia instituti solet supplicatio, qua totius urbis Clerus sacris ornatus vestibus recollectionem (sic vulgò dicunt) omnium festorum B. V. Mariæ celebrare in religionem vertit, pari ferè observatiæ obsequio, ac pietatis sensu: & pulcherrimam illius effigiem ornatissimo ferculo impositam per urbis plateas, & circos circumducere, sibique gloriæ, & honori dare sacræ sarcinæ humeros, & colla supponere. Nullum in universa urbe reperies viculum, plateam nullam, in qua non videas aliquam Deiparæ imaginé, vel iconculam omnium oculis, ac venerationi expositam: nec vacuum illa nomen officijs, & beneficijs gerit, sed maximarum rerum fœtibus, eventibusque fœcundum: suis enim cliétibus, vel grassante per urbem lue pestifera, vel sæviente cótra incolas bello externo præsentem opem tulit, vel depulsa contagione, vel parta de hostibus victoria, anno præsertim 1603. ut testantur Georgius Kolvenerius, & Augustinus Vvichmans.

Brugensem urbem, celeberrimum olim Flandriæ emporium sic laudat Barlandus nobilis Scriptor: *Publicarum, privatarumque ædium in hoc oppido splendor, & magnificentia cùm orationem omnem, tùm omnem dicendi facultatem supergreditur: ut paucis omnia dicam: totus hic locus pascendis oculis, recreandis animis dicatus est.* Primarium habet templum Sancti Donatiani titulo prænotatum, & reliquijs insigne: à Paulo IV. Pontifice Maximo Episcopali auctum dignitate, ac sub Metropolitano Machliniense constitutum, cujus Episcopus perpetuus est Flandriæ Cancellarius, idque ratione præpositura Sancti Donatiani Episcopatui à multis jàm annis annexæ. Lidericus Bucanus, Harlebecanus ab alijs nominatus, Brugas opportuno satis loco condidit, & primam Deiparæ Virgini ædem excitavit, ut illa suo incolas patrocinio tueretur, & hostium furori expositos sub suam reciperet clientelam. Balduinus posteà cognomento *Ferreus*, primus Flandriæ Comes, à Carolo Calvo Imperatore creatus, & Sancti Donatiani corpore donatus, id Turholtum primùm, deinde Brugas in Sanctæ Mariæ templum transferri curavit, ut omnem circa regionem, & maximè urbem ipsam illius tutelæ committeret, cùm per id tempus cuncta Nortmannorum incursionibus, cædibus, & rapinis latè vastarentur: eo in loco Sanctus Do-

Brugæ.

Sanderus in sua Flandria illustrata.

Laerius in Mariana Augusta lib. 2. cap. 15.

Sammarth. Fratres in Gallia Christian. tom. 2. pag. 436.

Vvichmans in sua Brabantia Mar. lib. 1. c. 4.

Andr. Saussai p. 2. Martyr. Gallic die 14. Octobr.

natianus tot, tamque illustria cœpit edere miracula, tot in suos beneficia conferre Brugenses, ut horum non Patronum modò, sed patrem agere videretur: inde profectum ut Mariano templo Sancti Donatiani nomen inditum fuerit, quod Arnulphus Comes Canonicorum Collegio insignivit, & Paulus IV. cathedra ornavit Episcopali.

Aubert. Miræi in fast. Belgic. & Burgund. ad diem 14. Octobr.

Petrus Curtius primus Brugarum Antistes sacrum Donatiani corpus in digniorem locum transferri præcepit, teste Molano in Indiculo Sanctorum Belgij. Occasione primæ translationis tempore Balduini factæ, & illustrium, quæ tunc evenerunt, miraculorum causa, moti Brugenses eum sibi Patronum delegerunt, quem ad hanc usque diem singulari pietatis sensu colunt: nec quicquam propterea de antiquo amore, & observantia filiali erga Dei Matrem remiserunt; itaut viri graves, ac pij meritò dici posse existiment Brugas *Mariæpolim*, hoc est *Mariæ urbem*.

Bruxellæ.

Bruxella, antiquorum Brabantiæ Ducum sedes planè regia in diœcesi Machliniensi, cathedra caret Episcopali, suorum Principum aula, & maiestate contenta; quorum plures habuit B. Virginis cultui, & obsequio impensè deditos, præsertim Philippum Bonum, Carolum Audacem ejus filium, Maximilianum I. Carolum V. Albertum Austriacum, & Isabellam ipsiusconjugem, ut alios omittamus, qui sub Mariano vivere, ac mori patrocinio honori sibi, & gloriæ verterūt. Principum suorum exemplum secuti Bruxellenses eamdem sibi Dominam, & Patronam habere voluerunt, ad illius umbram, ac præsidium in adversis rebus confugere soliti, ipsius opem implorare, ad Mariæ laudem, filiorum more, & amore cuncta referre. Singulis annis Dominica prima Septembris nonnulli è primarijs urbis civibus Hallis Hannoniæ se sistere ex voto solent, & Cœli Reginæ dona magni pretij offerre, sui amoris pignora, & obsequij argumenta. Nec suo unquàm officio visa est deesse Mater dulcissima innumeris in suos filios, & clientes collatis beneficijs: anno potissimùm 1603. egregium sui in Bruxellenses patrocinij dedit specimen; sæviente quippè dirum in modum per urbem contagione pestifera Deiparæ Virgini vota nuncuparunt, & insignem ex argento coronam gemmis distinctam orbis Reginæ, quæ Zichimis asservatur, supplices obtulerunt: & votorum compotes facti sunt, depulsa paulò post contagione, & sanitate recu-

Hist. B.V. Zichim.

cuperata. Joannes præterea hoc nomine primus, Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi memorabilem de Siverto (Siffridum alij appellant) Coloniæ Præsule, victoriam adeptus, illam Beatæ Virginis Mariæ precibus acceptam retulit; cujus memoriam cives annis singulis ad hanc usque diem conservare student, & publicæ lætitiæ significationibus celebrare.

Vuichmans in sua Brabant. Mariana lib. 1. c. 8. Molan. de sacr. Ducum Brabant. militia.

B. V. Mariam Sancta Gudula Virgo Compatrona Bruxellæ consequitur, Vuitgero Comite, & Amalberga, clarissimis parentibus nata: Nivellis, sub Sanctæ Gertrudis disciplina educata, ad omnem virtutem adolevit: ætatem in eximiæ pietatis studijs egit, quam Sancta mors excepit. In Han Brabantiæ pago sepultum illius corpusculum, imperante Carolo Magno, Ecclesiæ Gallicanæ more, de terra elevatū fuit, & Mótellam primùm, Bruxellam postea translatum à Carolo Duce Lotharingiæ, & in vetusto Sancti Gaugerici templo decenti loco repositum: cursu temporis in Sancti Michaelis Ecclesiam, quæ nunc *Sancta Gudula* nominatur, transvectum, innumeris coruscat miraculis.

Petrus Divæus l. 1. rer. Brabantin.

Balder. in Chronico Camerac. l. 1. c. 16.

Aubert. Miræus in fastis die 4. & 8. Januar.

Beatum etiam Michaelem, Angelorum Principem Bruxellensis urbis Patronum esse, ac tutelarem, à viris doctis accepi; nec plura de illius patrocinio rescire potui. Insignia certè Bruxellæ dicuntur esse, Sancti Michaelis Imaginem subjectum pedibus cacodæmonem hasta transfigentis.

Lovanium, Urbs Brabantiæ antiquissima, diœcesis Mechliniensis, habet Academiam tota Europa celeberrimam à Joanne IV. Brabantiæ Duce excitatam, Martino V. Pontifice Max. approbante. Et si primarium templum habeat Sancto Petro Apostolorum Principi dicatum, Deiparam tamen Virginem Patronam colit, Lypsio teste, qui urbem ipsam his verbis alloquitur.

Lovanium.

Justus Lypsius de Lovanio lib. 2. c. 1.

Sed ades, ades Lovanium, & tu classicum
Virginei honoris insona mihi, & tubam
Famæ ipsa sedes, gloriæ domicilium.
Diffunde famam, gloriamque Virginis:
Experta sæpè Numen ejus es domi,
Patrona quæ vestra audit, & Dei Parens.

Id ipsum confirmat dies natalitius Academiæ Lovaniensis, qui uno tantùm natalem Deiparæ Virginis diem præcedit: nata, & erecta sub felicissimo Mariæ sidere omnium discipli-

Middendorpius.

narum mater, ut omnium simul schola virtutũ esset, & optimarum artium domicilium. Suum in Lovanienses patrocinium, curam que in filios maternam tribus potissimùm beneficijs prodidit Virgo Sanctissima, ac declaravit ab Augustino Vvichmans relatis in sua Brabantia Mariana: primum fuit memorabilis de Nortmannis hostibus victoria ab Arnulpho Imperatore, vel Rege, ut alij malũt, propè Lovaniũ parta, centum Barbarorum millibus cæsis; de quâ Lipsius his verbis meminit: *Victoriæ ejus illustris memoria hodieque agitur; nam dies ille festi publici Kalendis Septẽbribus, quem supplicatione annua, ludis, convivijs, lætitiaque celebramus, originem istam habet, & monumentum est felicissima istius pugnæ.* Inde profectum, ut æstivo tempore singulis ferè diebus Dominicis publica fiat, & solemnis supplicatio in honorem Deiparæ Virginis, circumferendo per urbis circos, & plateas, sacram illius effigiem: *Prima verò Dominica Septembris*, inquit Molanus, *memoria Recollectionis festorum Deiparæ cum totius Vrbis lætitia celebratur.* Secundum beneficium fuit, natalis Academiæ Lovaniensis in tota Europa celeberrimæ pridiè Beatæ Virginis natalem, ut suprà diximus. Tertium his longè illustrius, ejusdem Urbis liberatio ineunte Seprẽbri ab Hæreticis Gheusijs obsessæ: agitabant hi animis Lovaniensem Academiam funditùs delere, ac extinguere clarissimum illud scientiarum lumen, quòd in ea vulgò doceretur, ut ipsi falsò putabant, *Hæreticis fidem servandam non esse*: magnæ Dei Matris apud Jesum filium precibus effectum, ut Urbe salva, & Academia Acatholicus inde discederet exercitus, firmatâ justis conditionibus inter utramque gentem pace Anno Christi 1542. ut refert Joannes Molanus. Stetit itaque Lovanium Mariano fultum patrocinio inter varias rerum ac temporũ vicissitudines litteris ac religione florens; stabitque semper si Patronæ suæ opem in afflictis rebus implores, si illius cultum, & gloriam promoveat, seque totũ cum civibus suis ejus obsequio, & servitio devoveat.

Lipsius in suo Lovan.

Loerius in Maria-na Augusta lib. 2. c. 12. & lib. 6. c. 21.

Molan. in natalib. SS. Belg. 1. Septẽbr.

S. Petrus Ap.

Lovanij etiam Patronum ferunt esse Sanctum Petrum Apostolorum Principem, unde Lovanienses dicebantur *Peetermanni*, hoc est *Homines Sancti Petri*: in cujus honorem ædificata fuit primaria urbis ipsius Ecclesia collegiata; atque in ipsius Apostoli die festo institui solet solemnis per urbem supplicatio: quamquàm longè solemnior illa sit, quæ in honorem

norem Deiparæ V. celebratur, de qua paulò antè meminimus. Hujusce cultûs initium traxisse creditur à primis in Belgio Fidei Christianæ Magistris, qui illum Fidelium cordibus cum doctrinæ simùl lacte instillarunt: & ab ijs traditus manavit ad posteros, atque eorum animis tam altè insedit, ut ab ijs nullo unquàm tempore sit delendus.

Gandavum Flandriæ caput, sub Archiepiscopo Machliniensi, patria Caroli V. Imperatoris, ad Scaldis, Liviæ, & Lisæ confluentes à Paulo IV. ad dignitatem Episcopalem evecta Anno salutis humanæ 1559. Primus Episcopus fuit Cornelius Jansenius, secundus Guilielmus Lindanus, Theologi, doctrinæ, ac pietatis famâ clarissimi. Patronum colit Sanctum Bavonem Confessorem Agilulphi in Hasbania Comitis filium, qui sub Regibus primùm Franciæ, & Austrasiæ militiæ operam dedit: posteà à fluxis seculi rebus ad æternas animum revocavit, seque totum divinis addixit, Sancto Amando Flandrorum Apostolo, & Episcopo Trajectensium spiritualis vitæ, ac vitæ sanctioris Duce, & Magistro usus: obijt die prima Octobris Anno Christi 630. ut scribit Sigebertus, vel 631. ut existimat Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij. Quiescit illius corpus in Ecclesia Cathedrali, estque totius Diœcesis Patronus; tanta in veneratione à Flandris habitus ob eximiam vitæ sanctimoniam, & illustria miracula, ut ij vulgò dicere, ac jactare soliti sint:

Gandavum.

Aubert. Miræus in notit. Episcopat. Orbis Christiani lib. 4. c. 15.

Theodoric. Abbas S. Trudonis in ejus Vita.

Molan. in Indiculo Sanctor. Belg.

C. Bar. in Comment. ad Martyr. Roman. 1. Octobr.

Ante perit mundus veniat quàm Bavo secundus.

Et Vvandelbertus postquàm meminit de Sanctis Germano, & Remigio Episcopis, addit:

Hos virtute Bavo, & Sancto comitatur honore,

Multæ propter rapinas, & incursiones Nortmannorum, translationes illius corporis factæ sunt, donec Arnulphus Magnus Flandriæ Comes, de consilio Transmari Noviomensis, & Trajectensis Episcopi, sacras illius Reliquias Gandavum transferri jussit, ut tradit Molanus; ea, ni fallimur, occasione urbis ejusdem Patronus electus est: quam sententiam confirmare visus fuit Transmarus Episcopus cùm templum ipsius nomine simul, & Sancti Joannis Baptistæ dicari voluit, quod procedēte tempore, Rege Hispaniæ, & Flandriæ Comite Philippo Secundo, Paulus IV. Episcopali sede, ac dignitate ornavit Anno 1559. Vetustæ admodùm reperiuntur picturæ, quæ Bavonem intuentibus repræsentant eleganti habitu, & maiestatis pleno, gladium evaginatū dextra, sini-

sinistra librum apertum præferentem; quasi velint ijs doctrinæ, ac militiæ symbolis indicare illum ab utroque Cæsarem agere, nec minus bellica laude, quàm literatum fama excellere: vel doctrinam Evāgelicam suis clientibus tradere velle nulla hæresum labe infectam; eamque tentet defendere gladio in altum elato, & ictum fidei hostibus minitante.

Molan in Indiculo Sanctor, Belgij. Tabul. Eccles. Gandensis. C. Bar. in Martyr. Roman. ad diem 12 Novembr.

Sanctum Libuinum (Livinum alij nominant) Gandavi Apostolum, & Patronum vocant Joannes Molanus, Aubertus Miræus, & Antonius Sanderus. Hibernum patria fuisse dicunt, Sancti Augustini Anglorum Apostoli, ac Magistri discipulum: relicto in Hibernia sui loco Silvano Archidiacono, in Flandriam, & Brabantiam nave trajecit, ut Christi Evangelium in ijs regionibus prædicaret: multis brevi laboribus exantlatis, & innumeris defunctus vitæ periculis in Escha villula martyrij palmam adeptus, ad Deum migravit die 12. Novembris, Anno Christi 633. Sepulchro conditum corpus Angelorum manibus fabricato: communi sermone dici solet *Scotorum Archiepiscopus.*

Nicol. Serarius S. I. de reb. Mogunt.

Leodium, & Tungrensis Diœcesis.

Ab ipsis Christianæ Religionis incunabulis Diœcesis Tungrensis, quæ eadem cum Leodiensi est, Patrona fuit Sanctissima V. Maria; Beatus enim Maternus, Petri Apostoli discipulus, Treverensium, Coloniensium, & Tungrensium Apostolus, & Episcopus, Tungris Ædem posuit Deiparæ nomine, ac cultu celebrem ad Annum Christi centesimum; omnium eis Alpes primam, ut scribit Bartholomæus Fizen, Societatis nostræ Historicus, cum Bozio, Locrio Vvichmano, Gazæo, & Erardo Fullonio; à quibus tamen dissentire videtur Aubertus Miræus, qui primàs tribuit Hujensi B. Virginis tēplo; sed immeritò; primam enim in Belgio Tungrense, non Hujense esse decebat; quòd Tongri, seu Aduaticæ urbe Tungrorum, aut Eburonum primaria primam Deiparæ Ædem potiùs extrui conveniebat à Materno, quàm Hui, Mamurci, aut Lennaci; ubi etiam alias ædificasse certa maiorum traditione creditur. Adscita etiam fuit Beatissima Virgo Patrona Urbis Leodiensis ex quo Sanctus Hubertus Lamberti Martyris, & Episcopi discipulus, & successor in Episcopatu, Leodij conditor, templum in eadem Urbe ædificari jussit communi Deiparæ, & Lamberti nomine sacrum, & si templum ipsum, & Cathedrale sexaginta Canonicorum Collegiū jam vulgò solius Sancti Lamberti titulo celebretur: estque à mul-

tis

tis jam annis Sanctissimus hic Antistes, & Martyr totius Diœcesis Patronus ob illustria miracula; ob eximiam vitæ sanctimoniam; ob innumera in suos clientes beneficia; ob sacrum etiam ipsius corpus ab Huberto Episcopo unà cum sede Leodium translatum. Decurrente tempore, crevit in urbe, & vicina regione in B. Martyrem religio, & Patroni titulus confirmatus propter Arcem Bullioniam ab hostium potestate vindicatam post delatum in Leodiensium, qui Urbem obsidebant, castra Sancti Lamberti corpus, Oberto ea tempestate Episcopo. Ad annum denique 1213. post insignem de Henrico Brabantiæ Duce, seu Lovanij Comite, victoriam B. Martyris intercessione relatam; cujus memoriam annis singulis celebrant Leodienses, decreta est omnibus hebdomadis S. Præsulis in divinis Officijs commemoratio; illiusque dies per Urbem anniversaria festivitate peragitur tamquàm primarij cum Deiparæ Virgine Patroni.

Erard. Fullon. S. I. in litter. ad me dat. 26. Septēbr. 1668. Fizen lib. 5. Hist. Leod. Anno Christi 697. Joan. Bolland. & Frider. Hensch. in Act. Sanct. Februar. tom. 1. die 6. in Vita S. Amandi. Joan. Roberti S. I. in Vita S. Lamberti Episc. & Mart. Euseb. Nierēb. S. I. in Triumph. Mar. lib. 3. c. 81. Ægid. Monachus Aureæ Vallis de gestis Pontif. Leod. cap. 3. Molan. in natal. SS. Belg. die 17. Septemb.

Itaque sub Magnæ Matris tutela, & patrocinio Ecclesia, Civitasque Leodiensis erat; sed adscitus fuit Lambertus, qui per Matrem optimam à JESU filio præsidium, opemque suis clientibus postularet, ijsque in publicis, ac privatis calamitatibus subveniret. Collocato verò Legiæ corpore, firmissimo veluti propugnaculo munita, & inconcussa manet illius nobilissima sedes Ecclesiæ, quæ annos ex eo supra nongentos, ut vir doctus, & pius existimat, inter varias temporum vicissitudines, magnosque bellorum motus tantorum Patronorum nixa præsidijs, meritisque defensa stetit immota, & firma, stabitque semper Lamberto favente, ac Deipara opitulante.

Porrò Lambertus quadraginta ferè annis Tungrēsi Ecclesiæ præfuit. in summa rerum, ac temporum varietate perpetuò sibi constans, & semper sibi similis, bonis carus; pravis invisus, magnis Principibus non modò gratus, sed venerabilis. Landradæ Virgini, Balesij Monasterij fundatrici, & Oddæ Aquitaniæ Ducis filiæ author fuit, ut spretis mundi illecebris, & contemptis aulæ delicijs, totas se Deo dicarent: Taxandros, & Campinienses à falso idolorum cultu ad veri Dei cognitionem traduxit, meritò vocatus illorum Apostolus. Alpaidis astu, Pipini Junioris pellicis ejusque fratris Dodonis odio, Legiæ transfixus hasta gloriosus Martyr occubuit. Eadem qua Legiæ occubuit hora, Angelus Sergio PP. noctu apparuit

Baron. in Annalib. Ann. Christi 698. Molan. in natal. SS. Belg. 17. Septemb. Barland. in Chron. Ducum Brabant. Saussai in Martyr. Gall. die 28. April. & 27. August. & 28. Octobr.

paruit Romæ, eumque de Lambetti martyrio certiorem fecit, & pastoralem ipsius baculum, quem traderet Huberto die sequenti ad Limina Apostolorum venturo, & successori Lamberti à Deo jam designato, juxta Pontificis lectum reliquit. Excitus à somno Sergius, summo mane Beati Martyris baculum reperit prope lectum; divinisque obtemperans monitis, Hubertum statim inquiri, & ad se inventum perduci jubet, quem Tungrensis Ecclesiæ Præsulem creat, eique dignitatis Episcopalis insigne, baculum tradit. Sancti Lamberti corpus Trajectum secundo flumine delatum, & ad Beati Petri in suburbijs conditum fuit, quod occulta quadam, ac divina prorsùs vi pellices omnes, si fortè ad ipsius sepulchrum propiùs accedant, repellere dicitur, nullam sibi proximam loco passus consistere: quasi aversetur etiam post mortem, quas odio habuit vivus, arceatque Pastor castissimus lupos, seu lupas scabie vitiorum infectas, ne commissas cælesti patrocinio oves inficere, vel corrumpere pravis suis moribus possint.

Trithem. de Vir. Illustr. Ordin. S. Bened. lib. 3. c. 111. & lib. 4. c. 62.
Barthol. Fizen. S.I. in Flor. Leod. & l. 5. Hist. Leod. Anno 697.
Joan. Roberti in Vita S. Lamberti.

Vulgò depingi solet Sanctus Lambertus cum superhumerali auro intexto, gemmisque pretiosis distincto ornatus; arrepta sic depingendi occasione à Theoduino Leodiensi Episcopo, qui multis post illum vixit annis, ad quē Stephanus IX. Pontifex Romanus, Leodij quondam S. Lamberti Basilicæ Canonicus, superhumerale dono misit gemmis, & unionibus insigne: idque inter alias Sanctorum Reliquias asservatur in supradictæ Basilicæ cimiliarchio. Est illud instar balthei militaris, quo humeri tegi, & ornari solent, compositum. Consueverunt Episcopi Leodienses in publicis supplicationibus, & festis solemnibus, si non illud superhumerale, ne scilicet frequenti usu atteratur, aliud huic simile humeris gestare, quod Sancto Lamberto attribuunt, ut ei honorem, & reverētiam apud Fideles concilient.

Mos est Leodiensibus cùm bella gerunt, & cum hostibus manum conserunt, invocare unà cum Deipara Virgine Sanctum Lambertum: utriusque nomen communem ijs militiæ tesseram esse, & amborum effigies præferri solitas in bellicis vexillis depictas à viris doctis accepimus. A Carolo itē Magno Imperatore Vexillum S. Lamberti, seu Patroni, in bellis contra hostes susceptis Leodiensibus traditum, seu missum fuisse memorant: pendet illud à summo lanceæ in transversum positum, qualia apud Romanos Labara fuisse legimus,

Barthol. Fizen de reb. Leodiens. lib. 5. p. 176. ad Annum 779.

addito in apice tintinnabulo, ut hujus pulsu, ac tinnitu moneantur milites se bella Domini bellare. Decrevit prætereà Carolus, ut hujusmodi Vexillum custodiretur à Collegio Canonicorum S. Lamberti, unde *Sancti Lamberti vexillum* communi sermone appellatur: quod educere è reliquiarum Sacrario nemini licet nisi præmissis certis quibusdam cæremonijs; & per solum Hasbaniæ Præfectum ferri in campum, & referri in suum locum solet; solemni tamen jusjurandi formula priùs adstrictum, *Se Vexillum S. Lamberti confecto jam bello, in locum suum omninò relaturum, nisi morte, aut captivitate impediatur.*

Sanctus Hubertus Tungrensis Episcopus, & Cõfessor cum B. V. Maria, & Lamberto Leodij Compatronus existit: patre Bertrando Aquitaniæ Duce natus: inter silvas aliquandò, saltusque venanti Christus crucifixus inter cervi ingentis cornua sublimis apparuit, quemadmodùm Sancto Eustachio; eoque divino ostento motus, nuntium mundo remisit, & Christi vestigia secutus rerum cælestium contemplationi totum se dedit, Lamberto Sanctioris vitæ duce, ac magistro usus. Romam, pietatis causa, peregrinationem instituit; ibique Lamberto Legiæ per id tempus à Dodone occiso, à Sergio Papa successor datus: stola etiam, ut ferunt, è Cælo missa insignitus fuit; è qua si aliquid præcidatur, non minuitur, nec decrescit; sed integra semper ad hanc usque diem, non sine ingenti, & perenni miraculo, perseverat. Trajectum reversus Sancti Martyris corpus, unàque Sedem Episcopalem, de Summi Pontificis consensu, Legiam transtulit, quæ modo Leodium nominatur; eaque translatione effecit, ut exiguus ille vicus in amplam, & nobilem urbem excreverit, inter montes ascensu molli, & colles sitam; ac peramæna valle ad Mosam fluvium, qui duplici eam cornu intersecat, plures efficiens insulas, easque habitatoribus frequentes. Illam prætereà muris cinxit, firmis munivit propugnaculis, ac justas Civibus, quibus viverent, leges dedit: cæteraque ad novæ Urbis commodum, & splendorem idonea, tam scitè, aptèque disposuit, ut brevi florentissimis Galliæ, ac Germaniæ urbibus, & emporijs æmula, vel par evaserit. Leodiensis Ecclesiæ, Urbisque à se conditæ sigillo B. Lamberti imaginem incidi jussit, cum hac Epigraphe

Sancta Legia Romanæ Ecclesiæ filia.

[Margin: S. Hubertus. — *Fizen in Flor. Leod. Aubert. Miraus in fast. 3. Novembr. Molan. in Indiculo Sanctor. Belgij. Saussai in Martyr. Gallic. Joan. Roberti in Vita S. Huberti. Sammarth. Fratres in Gall. Christiana sub Episc. Leodiens. Erard. Fullon. S. I. in litt. ad me datis. Fizen. in Catalogo Episcop. Tungrens. Traject. & Leod.*]

Ecclesiam verò principem in Deiparæ Virginis Mariæ, & Sãcti Lamberti M. honorem consecravit, quam mitificè nobilitat, & exornat sexaginta Canonicorum Collegium pietate, doctrina, & nobilitate præstantium, è quo tres Romani Pontifices prodierunt, Stephanus IX. Urbanus IV. & Gregorius X. Suprà quadraginta Episcopos numerat Sanctorum fastis adscriptos, qui Tungrenses, vel Trajectenses, vel Leodienses Præsules fuerunt.

Vvichmans lib. 1. Brab. Marian. c. 5.

Hubertus in pago Fura sanctè obijt die tertia Novembris Anno Christi 730. vel 728. ut alij tradunt: multis ab illius obitu annis jam elapsis inventum fuit ipsius corpus integrum, & illæsum, & cælestem quemdam odorem exhalans. Celebratur Sancti Episcopi festum intra muros Urbis ex quo Bulla Urbani VIII. de festis promulgata est; nam anteà liberum erat, seu ad libitum. Causæ eligendi Patronum Leodij Sanctum Hubertum, fuerunt eximia illius pietas; civitas ab ipso condita, unâ cum Ecclesia Cathedrali; Taxandria, Arduenna, & Brabantia ab eo Evangelicæ doctrinæ stadijs illustratæ: pluvia in magna terræ siccitate de Cælo fusa; incendium ejusdem precibus subitò restinctum: his beneficijs accessit incorruptum à tot annis corpus, facie candidâ, colore vivido, cum omnibus capillis inventum à Carolomanno filio Caroli Martelli, teste Cardin. Baronio in Annalibus; & suavissimum afflans odorem; quo thesauro à multis jam seculis Leodienses potiuntur.

Tungri.

Tungrorum quondam Urbs ampla, nunc oppidum nobile, & insigni Collegio Canonicorum ab Orgero Episcopo instituto, & magnifico Deiparæ Virginis Mariæ templo, tertio lapide à Leodio ad Jecoram fluvium excellit. Tungrensis Sedes Episcopalis inde Trajectum ad Mosam vulgò *Maestricht* per Sanctum Servatium Episcopum; mox per Sanctum Hubertum Leodium, seu Legiam translata est; ut Belgæ Scriptores, & Galli tradunt. Patronam habet Sanctissimam V. Mariam, de cujus prima in Belgio Ecclesia supra diximus; primum verò Fidei Christianæ Magistrum Sanctum Maternum Petri Apostoli discipulum, ab eo missum in Galliam Septemtrionalem prædicandi Evangelij causa, cum Socijs Euchario, & Valerio: olim depingi consuevit manu præferens Ecclesiam tribus distinctam turriculis, ut significaret tribus se magnatum Urbium Ecclesijs præfuisse nempè Tungrensi,

Aubert. Miræus in notis Episcopat. Ferreol. Locrius in Mar. Augusta l. 4. c. 101. Joan. Bussem in sua Europa, tab. Leod. Molan. in natalib. SS Belg. die 13. Maij. Bucher. lib. 5. Belgij Romani c. 5.

grensi, Treverensi, & Coloniensi; ijs scilicet Urbibus in tres Episcopatus nondum divisis. Nomen Tungrenses Episcopi retinuerunt integris octo seculis etiam post fixam Leodij à Sancto Huberto, ejusque Successoribus habitationem; & Sedem Episcopalem, ut nos per litteras docuit R. P. Erardus Fullonius Societatis nostræ Theologus, & Sacrarum litterarum interpres egregius.

Vvichmans in sua Brab. Mar. l. 1. c. 5.
Erard. Fullon. S. I. in litt. ad me dat. Tornaci.

Trajecti ad Mosam, Urbis munitissimæ, Sanctus Servatius Tungrensis Episcopus ibidem mortuus, & statim à morte clarus miraculis, Patronus existit, ex quo præsertim Sanctus Monulphus Episcopus nobilem in illius memoriã erexit Ecclesiam, corpusque in eamdem transtulit ex suburbano. Servatius pace tandem Ecclesiæ reddita per Constantinum Magnum, primus, ac proprius fuit Tungrorum Episcopus: nam primis Christianorum temporibus unus, & idem Episcopus erat Tungrensis, Coloniensis, & Treverensis, ut suprà diximus. Author fuit, ut Concilium Agrippinense in Germania cogeretur Anno Christi 346. adversus Euphratem Coloniæ Præsulem hæresi Ariana infectum. Aliquot ante annis interfuerat Arelatensi in Gallijs, & in Thracia Sardicensi Concilijs: utrique ad stabillenda Fidei, & morum dogmata magnũ sua authoritate pondus attulit. Legatus ad Constantium Imperatorem à Magnentio Tyranno missus in Orientem à Magnò Athanasio Alexandriæ honorificè exceptus est. Indè Solis instar in Occidentem reversus, in Concilio Ariminensi invictum se præstitit contra Hæreticos Catholicæ Religionis defensorem. In Belgium redux, & Tungris paulùm moratus Trajectum se contulit, ibique gravi morbo correptus migravit ad Deum die 13. Maij, Anno Christi 383. templum ipsius titulo à Fidelibus positum, & à Barbaris Gallias devastantibus dirutũ erexit, ac restituit Agricolaus Trajectensis post ipsum Episcopus; Beatus verò Monulphus, ut jam diximus, in aliud à se extructum corpus transtulit ex suburbano. Pingi solet Sãctus Servatius cum Clave argentea, quam à Divo Petro Romæ per visum accepisse memorant. Sede posteà Episcopali Leodium translata, Collegiata tantum Ecclesia Trajecti mansit Servatio, Urbis ipsius Patrono dicata.

Trajectum.
Beda, Vsuardus, Ado, & alij 13. Maij.
Frideric. Henschen S. I. in Diatriba de Episcop. Trajectens.
C. Baron. ad Annũ Christi 346.
Joan. Molanus in Indiculo Sãct. Belg.
Aubert. Miræus in Fast. die 7. Junij, & 13. Maij.
Sammarth. Fratres in Gall. Christ. sub Episc. Tungrens.
Surius de SS. tom. 5
C. Baron. in Annal. Eccl. ad Ann. 359.
Chapeavilla de reb. Leod. tom. 1. c. 18.
Vvichmans in Brab. Mariana.

Causæ eligendi Patronum Sanctum Servatium fuerunt, summa illius vitæ integritas multis illustrata miraculis; egregia Episcopatûs administratio; corpus in eadem Urbe sepul-

Chron. ms. Leodiēs.

tum: adulta hieme omnibus circum locis multa nive coopertis, ejus sepulchrum nunquàm nix attigit. Accesserunt duæ illustres victoriæ ejus à Deo precibus à Christianis relatæ: altera Anno salutis humanæ 409. incruenta prorsùs, & gloriæ militaris plena: meritis, & intercessione Sancti Episcopi factum, ut Trajectum Hunnis hostibus cuncta ferro, ac flammis latè vastantibus, impervium & inaccessum manserit, ac belli incommodis minimè obnoxium. De altera meminit Augustinus Vvichmans in sua Brabantia Mariana, citata hujus tenoris inscriptione in marmoreæ tabellæ templo Sancti Servatij appositæ, quæ rem totam continet:

Deo Optimo Maximo
Divoque Servatio Patrono
En machinas patriæ hostes
Ad proterendam Vrbem
Clàm intempesta nocte
In fossa illapsi;
Propugnantium virtute
Faustissima Divæ Gertrudis die
Fusi, fugatique
Præfectus, Senatusque Trajectinus
Spolium, monumentumque dicat:
Anno M.D.XCII. Martij xvii.

Pro trophæis è parietibus templi appensæ visuntur scalæ, secures, mallei, unci, vectes, seræ, cunei, funes, & alia hujus generis instrumenta, quibus hostes saltu muros urbis transcēdere, & portas effringere moliebantur. Memorabilis etiam de Saracenis hostibus victoria, quam Carolus Magnus Imperator obtinuit, in diem festum Sancti Servatij incidit, proindeque ejus patrocinio, & precibus apud Deum attributa fuit.

AN-

ANGLIA

BRITANNIÆ Insulæ pars maior, nobiliorque, regiâ dignitate clara, duos habet Archiepiscopatus Cantuariensem, & Eboracensem, quos inter jam dudùm de totius Insulæ primatu lis agitatur; & si pro Cantuariensi longè validiora stent momẽta rationum, & plura Romanorum Pontificum decreta. Lucius Rex Britannorum divino instinctu motus ab Eleutherio Papa petijt Evangelij prædicatores Anno salutis humanæ 183. à quo in Britanniam missi Fugatius, & Damianus Regem ipsum, ejus uxorem, cum subditis illi populis, Christianis præceptionibus imbuerunt. Nec desunt viri docti, ac pij qui affirment multis antequàm sederet Eleutherius, annis, primam Evangelij lucem in Britanniam invectam esse à Sancto Josepho ab Arimathia, nobili Decurione, & occulto Christi Discipulo: quibus tamen refragantur Joannes Bollandus, & Gotefridus Henschenius, Societatis JESU Presbyteri, in Actis Sanctorum Martij, Capgravium, Græcorum Synaxarium, & Menologia secuti. De quibus nostrum non est ferre sententiam. In Concilio Basileæ, quod felix initium, exitum infelicem habuit, cum Hispaniæ Legatus hac in re primàs Hispanicæ genti deberi contenderet: illi se opposuit Anglus, & idoneis probavit rationibus plures in Britannia, ante Castellæ, Reges, ac Principes sacro fonte ablutos esse, & Christi Religionem professos: & suis nonnulli Patres Concilij suffragijs Angli sententiam confirmarunt. Hispanæ tamen genti dandum, primam in Europa fuisse Christianæ Fidei radijs illustratam à Sancto Jacobo Maiore Apostolo; primumque ab illo positum Deiparæ Virgini templum Cæsaraugustæ in Aragonia, quod à marmorea columna de *Pilari* nomen traxit: quamquàm illa per id tempus non haberet Reges, ac Principes Christianos, quo Romanorum Imperio subjacebat.

Aubert. Miræus in notitia Episcopat.

Beda de gest. Angl. l. 1. c. 4.

Scriptores Eccles. in Vitis Roman. Pontif. sub Eleutherio PP.

C. Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 183.

Michael Alfordus S.I. tom. 1. Annal. Eccl. Britan. pag. 162.

Bolland. & Henschen S.I. in Actis SS. tom. 2. Mart. ad diem 17.

Cardin. Reginald. Polus in Oratione habita in Comitijs gener. Angl.

Cæterùm veteres Britanni ſuſcepta Chriſti Religione meritò *Primogeniti Romanæ Eccleſiæ filij* nominari, atque haberi anteactis ſeculis meruerunt: quo titulo gloriæ, & felicitatis pleno, quàm indignos ſe reddiderint illorum poſteri hac ætate, qua Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, ac Magiſtram eſſe negarunt, & ejurata Religione Catholica ad Novatorum hæreſes defecerunt, meum non eſt oratione perſequi, qui Theologum non ago Polemicum, ſed Sanctorum Tutelarium Scriptorem: præſertim quia id nuperrimè inter alios Doctores Catholicos egregiè præſtitit Fr. Franciſcus de Macedo, Minorita Luſitanus, in opere quod inſcripſit, *Aſſertor Romani Pontificis, & Pontificatûs.*

Fr. Frãc. de Macedo Minorita Luſitan.

Vetuſta Anglorum Regum Inſignia fuerunt Leones tres, in areola rubra, uſque ad Eduardum Tertium, qui trililiatum Galliæ ſtemma ijs adjunxit; tum quia matrem habebat Eliſabetham Galliarum Regis filiam, &, ut Angli putabant, hæredem: tum quia Eduardus ejus filius Joannem Francorũ Regem acie ſuperavit, eumque in Angliam captivum duxit: quæ draco, ac leo, Inſignia hinc inde in pedes erecti ſuſtinere videntur; quorum alter rex ferarum, alter rex ſerpentum dicitur. In apice Scuti leo coronatus aſſurgit. De gratia à Deo gratis data Curandi ſtrumis laborantes data Regibus Angliæ, quemadmodum Regibus Galliæ, meminit Petrus Bleſenſis, Archidiaconus Bathonienſis epiſtola 150. ad Clericos Aulæ regiæ; cujus opera Joannis Buſæi Societatis noſtræ Theologi, ſtudio, & induſtria non ita pridem lucem viderunt: meminere etiam Polydorus Virgilius, & Michael Alfordus Societatis Jeſu Sacerdos. Gaudeantne Hæretici item Reges hac ipſa curandi ſtrumoſos prærogativa? Affirmant Scriptores Hæretici; maximè Gulielmus quidam Toſcerus in libro, cui titulũ præfixit: *De Chariſmate, ſeu Dono Sanationis*; in quo multis probare conatur Eliſabethæ etiam Reginæ hujuſmodi gratiam à Superis conceſſam fuiſſe: conſulat curioſus Lector Delrium noſtrum, & alios Scriptores Catholicos, qui de rebus Angliæ recentiori hoc ævo ſcripſerunt.

Henric. Spelman. in ſua Aſpilogia. Joann. de Bado aureo tract. de Armis. Nicol. Vptonus de militari officio l. 4. Silveſt. Petraſ. S. I. in teſſeris gentilit. pag. 627. Ludov. du Pleix in Canoniz. S. Ludov. Galliæ Regis.

Polydor. Virgilius lib 8. Hiſt. Anglic. fol. 140. Alford. in Annalib. Eccleſ. Angloſaxon. pag. 564.

S. V. Maria.

Magna Britannia tres potiſſimùm Divos habuit Tutelares dum veram, ac puram tenuit Fidem nulla hæreſum labe inquinatam; Beatiſſimam ſcilicet Virginem Mariam, Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem, & S. Martyrem Georgium: de ſingulis nonnulla ſcitu digna referemus; ijſque hujus tẽ-

poris

poris Hæreticis pudorem injiciemus, qui neglecto sanctorũ cultu à maioribus tradito, ac per tot secula ubique retento, impijs contra Fidem erroribus simplicem populum decipere, vel inficere non desistunt: quasi idololatriæ genus sit justos colere pietate illustres, ac Dei amicos humanis jam rebus exemptos, & gloriæ immortalis coronâ donatos, & in rebus adversis ad illorum confugere patrocinium, uti fecerunt tot Angliæ Reges, ac Principes bellica non minùs virtute quàm pietate Christiana insignes: tot Episcopi doctrinæ, ac sanctitatis fama præstantes: tot viri, ac fœminæ egregijs animi dotibus conspicui, qui idoneum Sanctis cum Deo jam regnantibus cultum tribuerunt; eosque sibi, ac universæ Anglorum genti Patronos, & Advocatos habere in religionem verterunt.

Ab ipsis igitur Ecclesiæ nascentis exordijs, cum Christi simul Fide in Britanniam cultum Deiparæ Virginis, patrociniumque invexit B. Joseph ab Arimathia, de quo suprà meminimus, id enim verosimilius nobis videtur; primorum Evangelij prædicatorum more, quibus solemne fuit Christi legem, & Mariæ Matris cultum simul gentibus annuntiare, ijsque Mariani Patrocinij laudes commendare, ut non semèl à nobis est inculcatum. Ædem *Matris Dei* titulo prænotatam, & religione augustam Joseph posuit in quadam Insula silvis horrida, ab hominum colloquijs, commercioque remotâ, vitreis fontibus, amnibusque pellucidis circumflua, à Caractaco Rege sibi donata, quam posteà *Glasconiam*, seu *Glastoniam* dixerunt, à colore vitri pellucidi, quod Saxonum linguâ *Glas* vocatur: ibique, procedente tempore, extructum fuit Monachorum Cœnobium, qui sacris operarentur, & concinendis magnæ Matris laudibus diù noctuque vacarent. Ædem verò ipsam humani generis Assertor Christus, & divinus Pontifex Cælo delapsus, multis Angelorum millibus comitatus, solemnibus cæremonijs consecravit, ut hujusmodi inscriptio in ærea tabella parietibus appensa testatur, de qua meminit Sanctus Patricius, Hiberniæ Apostolus, & Patronus Glasconiæ aliquando moratus; (& si Spelmannus, de Concilijs Britanniæ, illo recentiorem esse existimet.) *Anno post passionem Christi xxxi. duodecim Sancti, ex quibus Joseph ab Arimathia primus erat, hùc venerunt, qui Ecclesiam hujus regni primam in hoc regno construxerunt, quam Christus in honorem suæ Matris præsentialiter dedicavit.* Id ipsum confirmant Antiqui-

C. Bar. in An. Eccl. An. Christi 35. n. 1.
Gilda Sapiens de excidio Britann.
Vilsonus in Martyrol. Anglic. die 27. Julij.
Alford. to. 1. Annal. ad Ann. Christi 63.
Michael Alfordus S. I. tom. 1. Annal. Eccl. Britan. Anno Christi 63.
Jocelinus in Vita S. Patr.

tares Glaſtonienſes à Malmesburienſi collectæ. Indè profectum, ut pijſſimi olim Reges Angliæ cum ſubditis ſibi populis Deiparam Glaſtonienſem regni Patronam delegerint, & ſacram illius Ædem innumeris privilegijs, muneribusque affecerint, ut conſtat ex Anglorum Chronicis, & Glaſtoniæ tabularijs: maximè ſub Henrico Primo, & Secundo, & his antiquioribus Edgaro, Ednundo, Alfredo, Hentumvino, Baldredo, Ina, Arturo, Camdredo, ad Lucium uſque aſcendendo, qui ſummis eam honoribus, & beneficijs cumularunt. Ex ijs Edgarus veſtem pretioſiſſimam, auro contextam, & gemmis diſtinctam, quâ fuerat Rex inauguratus à Dunſtano Cantuarienſi, & Oſualdo Eboracenſi Epiſcopis, dono miſit Sanctæ Mariæ Glaſtonienſi. Alfredus natalem B. Virginis diem, cum ſequenti hebdomada per Angliam univerſam coli, feſtumque haberi juſſit. Canutus legē creavit, qua omnibus injunxit, ut in Deiparæ vigilijs jejunium conſueto more ſervaretur. Eamdem innotravit legem curſu temporum antiquatam, Henricus Secundus. Eduardus Rex Angliam non modò B. V. Mariæ patrocinio commendavit, ſed in ſacram quoque obtulit dotem. Rogerius Comes Gloceſtriæ cum ſorore ſimul Auguſta in Angliam multarum navium claſſe delatus, ut eam Stephani Regis armorum vi occupatam, ac tyrannide oppreſſam in priſtinam libertatem aſſereret, Deiparam ſibi, ac ſuis militibus Patronam adſcivit. Omitto, ne lectoribus ſim moleſtus, Reges alios, ac Principes, qui tenerrimum in Matrem dulciſſimam filiorum amorem ſuis in regno Succeſſoribus veluti teſtamento legarunt, ſeque Mariæ Sanctiſſimæ ſervos, & clientes cùm factis, tum verbis eſſe oſtenderunt. Unum tamen fama clariſſimum, & pietate in Deum egregium præterire non poſſum Arturum Britannorum Regem Deiparæ ſtudioſiſſimum, cujus arma ſic deſcribit Matthæus Weſtmonaſterienſis ad Annum Chriſti 521. *Clypeum vocabulo* Priduven *humeris appendit, in quo Imago Sanctæ Deigenitricis Mariæ picta ipſum ad memoriam ſæpiſſimè revocabat. Nomen Beatæ Mariæ inter denſas hoſtium acies invocavit: octogintos ſolo gladio interfecit: Dei Mater pugnanti mirabiliter affuit.* Lege Alfordum in Annal. ad Annum 63. & 519. & Huntindonum lib. 2. Hanc ob rem Anglia jure optimo dicta eſt olim: *Dos Mariæ Virginis*: ſpectantur Romæ in teplo Collegij Anglicani curæ, ac regimini Patrum Societatis Jeſu

com-

Alford. to. 1. Annal. Eccl. Bri. an. Saxon. pag. 82.

Nicol. Harsfeld. ſeculo 1. c. 21.

Alford. tom. 2. ad Annū 651. p. 279.

Alford. to. 4. Annal. Eccl. Angloſax. p. 2. pag. 15.

Lyreus in Friſagio Marian. l. 2. modo 19.

Roger. Hovedenus part. 2. Annal. Anglican.

Spinell. de B. V. M. c. 39. §. 19. p. 576.

Hippolyt. Marrac. de Reg. Marian. pag. 101.

Anton. Balinghem S. I. in Ephem. Marian 5. Januar.

Vptonus lib. 4. de officio militari.

Euſeb. Nierēb. S. I. in troph. Marian.

commissi Regum duorum effigies, qui in genua suppliciter provoluti Angliam B. Virginis patrocinio commendare videntur: addita epigraphe:

Dos tua Virgo hæc est: quare rege Maria.

Hi sunt Richardus Secundus, & Anna ipsius conjux Caroli IV. Imperatoris filia. Nihil magis in ore omnium versabatur, quàm Regnum Angliæ dotem Mariæ Virginis esse; & illius incolas ejusdem filios, vel subditos; ad eum ferè modū quo Hungaria *Maria Magnæ Dominæ Regnum* anteactis seculis appellari meruit. Dictis fidem facit indubitatam Urbanus VI. in libro Constit. Provinc. Angliæ, laudans Regum studium, & in B. V. observantiam singularem: edita constitutione disertis verbis affirmat: Ultrò se Anglorum precibus annuere, ac permittere, ut festum S. Annæ matris Deiparæ solemni ritu per totam Insulam celebretur: *Quia*, (ait Pontifex) *populus Anglicanus ob singularem reverentiam erga B. Virginem, Beatam etiam Annam ejus matrem celebrare cupiebat.* Quo quid sanctius, & illustrius testimonium adduci potest ad rem nobis propositam confirmandam, cum hoc sapientissimi Pontificis responsum pro oraculo sit habendum.

A Summo Pontifice ad Concilia descendamus: in Synodo Londinensi coacta Anno Christi 1129. decrevere cōmuni consensu Patres, ut festum Conceptionis Deiparæ per Angliam universam celebraretur: & si multis ante annis illud à Sancto Anselmo Cantuariensi Episcopo institutum tradatur, occasione revelationis Elpino Abbati factæ cum in mari periclitaretur circa Annum 1070. regnante in Anglia Gulielmo Nortmanno, ut habetur in vetusto codice m. s. qui incipit: *Eo tempore, quo Gulielmus.* Hujus certè Immaculatæ Virginis festi Anselmus, si non fuit Author, egregius saltem fautor, & promotor extitit: ideirco Harsfeldius ita scripsit: *Sub Gulielmo Cantuariensi Pontifice festa celebritas B. V. Mariæ in Londinensi Synodo confirmata est.* Idest, priùs instituta, vel regnante Gulielmo, vel sedente Anselmo, posteà in Concilio Nationali Anglicano omnium Patrum suffragijs confirmata fuit, & per omnes Regni Ecclesias propagata; & in Gallijs ab Ecclesia Lugdunensi etiam recepta; & licet Sanctus Bernardus Abbas morem hunc sacrum tamquàm novum, & insolentem, & sine authoritate Romani Pontificis inductum minimè probet; ac eamdem ob causam Canonicos Lugdunenses

Michael Alfordus S. I. in Annal. ad Ann. Christi 1109.
Dionys. Carthusian. de festo Concept. B. V.
S. Bernard. epist. 174. ad Canonic. Lugdunens.

C. Baron. in notat. ad Martyr. Roman. die 8. Decembr.

nenses reprehendat, morem illum attribuens paucorum simplicitati, & imperitiæ; salva tamen pace viri tam sancti, affirmo non paucos, nec indoctos, vel simplices; sed multos, cosque doctrina, & religione præstantes Episcopos Marianæ Conceptionis festum in Anglicanam Ecclesiam induxisse: re tanti momenti priùs in Concilio Nationali seriò perpensa, & accuratè examinata, omniumque Patrum suffragijs approbata.

Provincial. Anglic. l. 2. tit. de ferijs. Thomas Bosius de signis Eccl. l. 9. c. 8.

Spelman. ad Ann. Christi 1032.

Alium implorandi Virginei patrocinij modum valdè pium, vel primi invenerunt Angli, vel primi illum ab Romana Ecclesia didicerunt: Spelmannus enim refert *Sanctæ Mariæ* nomen inveniri ter repetitum in antiquo Psalterio Latino Saxonico m. s. Bibliothecæ Cantabrigensis, & in publicis Litanijs invocari solitum ab Anno Christi 1032. statim post invocatam Sāctissimæ Trinitatis misericordiam in hunc modum: *Sancta Maria ora pro nobis: Sancta Dei genitrix ora pro nobis: Sancta Virgo Virginum ora pro nobis.* Non me latet morem invocandi Sanctos, ac Reginam in primis Sanctorum omnium, Christianæ Religioni, coævum esse, & Litaniarum usum in Ecclesia Catholica perantiquum: cæterùm invocādi B. Virginem ritum verborum formula à nobis tradita, & illis disertis verbis concepta, triplicique invocatione distincta, antiquiorem apud alias gentes, vel Ecclesias non invenio.

De usu antiquo Litaniarum, consule Baron. in notat. ad Martyr. Roman. die 25. Aprilis.

Illud etiam valdè illustre, & scitu dignum videtur: Sanctissimæ V. Mariæ Rosarium apud Anglos suum habuisse initium, ut indicat Malmesburiensis, & Alfordus Societatis nostræ Theologus: narrant enim Godivam Leofrici Merciorum Comitis uxorem, eximiæ pietatis fæminam, gemmarum circulum è filo serico pendentem quotidiè percurrere solitam fuisse, totidem recitando salutationes Angelicas: indè fortasse mos percurrendi Virgineos globulos sumpsit initium, qui proindè altiorem habere videtur, & antiquiorem, quàm multi putant, originem, à Godiva scilicet pijssima fæmina, circa Annum Christi 1047. multis antequàm Sanctus Dominicus nasceretur, annis, qui Rosarij Mariani ab omnibus Author creditur, ut suo loco fusiùs, & accuratiùs declaravimus: à quo postea in certas quasdam partitum decades, & populo Christiano propositum: quo quid sanctius, aut præclarius argumentum adduci potest ad asserendam Anglicanæ gentis in

Malmesburiens. de Pontific. l. 4. p. 289.

Alford. in Annal. Anglic. to. 3. Anno Christi 1043.

B. Virginem pietatem; & B. Virginis in Anglos patrocinium
commendandum? Illos inter Rosarij flores exorti, rosæque
suavissimum spirantes odorem, Insulam anteactis seculis
Fortunatam reddi derunt, dum Catholica Religione floreret,
necdum spinarum hæreses pullularant, quæ modò Catholicos
viros non tantùm pungere, sed transfigere, effuso illorũ san-
guine, videtur. Insula armis potens, & florens opibus quæ tot
olim viros, ac fœminas, seu rosas protulit religione præstan-
tes, & sanctorum fastis adscriptos; spinas modò, & tribulos
germinat silvis horrida, superis invisa, erroribus infecta, im-
manitate barbara. Tam his temporibus insectatur B. V. ro-
sarium, ut crimen capitale censeatur illud, vel, coronam Dei-
paræ eò intulisse; cùm tamen in Gallia, Italia, & Hispania,
nobilissimis Europæ regionibus, pro insigni, & tessera Reli-
gionis Catholicæ habeatur. Sed mirari de fino Anglos Rosa-
rium execrari, qui ipsam Dei Matrem, quæ illo honoratur,
quam illorum maiores pijssimè coluerunt, vilipendant, atque
ipsam salutationem Angelicam, quæ in Rosario sæpiùs itera-
tur, & ex sacro Evangelio magna ex parte desumpta est, æquo
animo ferre non possint: unde è tabulis puerorum *Ave Ma-
ria* ejiciendam esse docet Lutherus in Sermone de *Nativitate
Mariæ*, ut de eo scribit Cochlæus. Eamdem salutatiōnē pror-
sùs explodi vult Calvinus; & exclamat impius Hæresiarcha,
nos magicis exorcismis eam vertere in precationem, ut vide-
re est in Canisio. Quod sine dubio per eos agit Satanas, ut
hac ratione beneficium Incarnationis Filij Dei ex hominum
memoria deleatur. Imitantur hac ratione nefarios Impera-
tores Leonem Isauricum; & Constantinum Copronymum,
quorum posterior teste Paulo Diacono, & Suy sa ji hanc le-
gem promulgari fecit: *Ne Maria quidem intercessionem, & tu-
telam quisquam petat: neque enim juvare illa (ut impius dicebat
Imperator) quemquam potest.* Redeant ad se Angli: maiores
suos pijssimos imitentur: impijssimos detestentur Novato-
res.

Canisius de B.V.M. lib.3.c.9.

Nec verò intra unius Insulæ terminos se tenuit Patronæ
Virginis M. clientela, sed illius fines egressa, in Italiam, &
Romam orbis caput, pervasit. Satis constat Scholam in Ur-
be, seu Collegium priscis temporibus fuisse extructum, in
quo Anglosaxones peregrini, qui religionis studio, ad Limi-
na Apostolorum ibant, commodè habitarent; ubi hodie
ce-

celebetrimum visitur Sancti Spiritûs in Saxia Nosocomium; *Anglorum* vocant Ingulfus, & Huntindonus: Hovedenus verò, & Asserus, *Scholam*, & *Vicum Saxonum*: Ejusmodi Hospitium Rex Ina dum Romæ versaretur, Deiparæ titulo, & protectione dicavit Anno Christi 727. in quo sepeliri voluit Rex Merciorum Burgredus, alijque viri Principes, qui pietatis studio incensi ex Anglia in Urbem Romanam peregrinationes suscipiebant; ibique obibant.

Alford.to.3. Annal. Eccl. Anglosax.pag. 419. Huntindonus pag. 358. Ant. Balinghem S.I. in Ephem. Mar. die 8. Septembr.

Superest ut magnæ Matris erga suos clientes curam, & amorem uno, aut altero exemplo illustremus. Suanus Daniæ, & Aulafus Noruegiæ Reges centum ferè navium classe in Angliam appulerunt: exscensione in terram facta, Londinum, Urbem Regni primariam aggressi, eam dira cinxerunt obsidione, & summis viribus oppugnabat. Regnabat per id tẽpus in Cantio Edelredus. Humano cives auxilio destituti, & ad extremum jam discrimen adducti, ad Deiparæ Virginis patrocinium confugerunt, ejusque opem multis cum lacrymis postularunt; nec incassùm fusæ ad Cælum preces: die quippè octava Septembris, natali Virginis sacra, exorta repentè tẽpestas hostium naves ad scopulos allisas fregit, vectores verò hausti fluctibus miserandum in modum perierunt. Reges Suvanum, & Aulafum tanto vitæ periculo ereptos, & paucis comitatos navibus Daniæ portus ægrè excepit. Soluta in hũc modum obsidione, Cives Mariæ Virginis ope salvi grates illi, uti par erat, referre non destiterunt. Inde profectum, ut multi Anglorum Reges in bellicis posteà vexillis Mariæ Virginis effigiem præferent expressam.

Froissard. volum. 1. cap. 128. & seq.

Kolven. in Kalend. Mar. part. 2. die 26 August.

Ægid. in Apotegm. Heroic. Eduardi Reg.

In prælio etiam Ambianensi Anno salutis humanæ 1356. valdè enituit Deiparæ in Anglos patrocinium. Duo potentissimi in acie stabant contra se Reges florentissimis instructi bellatorum copijs, Philippus VI. Galliæ, & Eduardus III. Rex Angliæ: Die Sabbati Mariæ V. sacra, quam sibi Tutelarem delegerat Eduardus, summis utrinque viribus pugnatum: Philippus fortissimè dimicans, victus, & in fugam actus, viginti ferè millibus suorum cæsis, in quibus fuere Joannes Bohemiæ Rex, Carolus Philippi frater, Ludovicus Flandriæ Cõmes, multique alij viri Principes. Tam illustri parta victoria Eduardus, quam maximas potuit, Deiparæ Tutelari gratias egit.

Primarium etiam inter Patronos Anglorum locum tenet

San-

Sanctus Petrus Apostolorum Princeps; idque disertis verbis affirmat Edgarus Rex in peculiari quodam diplomate, quo multa cōcedit privilegia Ecclesiæ Vvestmonasteriensi eidem Apostolo dicata: *Inprimis*, inquit, *Ecclesiam Domini specialis, & Patroni, & Protectoris nostri Beati Petri.* Idem suis confirmant litteris Offa, & Kenelmus, insignes pietate, & clementia Reges. Eduardus cognomento *Confessor*, dum in Nortmannia exularet sic Deum allocutus dicitur: *Eris tu mihi semper in Deum, & B. Petrus Apostolus in Patronum, cujus sacratissima Reliquias in Vrbe Roma te annuente, te regente, te comitante visitaturum me promitto.* Sic orasse, narrant Aelredus Abbas Rivallensis, & Capgravius. Canutus Rex Angliæ, Danemarchiæ, ac Noruegiæ dum Romæ versaretur, cum Conrado Imperatore, & Rodulpho Rege Burgundiæ, Summo Pontifice Joanne XX. litteras dedit ad Episcopos Angliæ, in quibus Sanctum Petrum vocabat *Patronum, & Protectorem Anglorum.* Id ipsum Romani Pontifices testantur: Nicolaus Secundus in litteris ad Eduardum Regem datis Anno Christi 1060. illum solatur curis anxium, & calamitatibus penè oppressum: *Beatus Petrus vobis sit custos, & Adjutor in omni tribulatione: claret enim Anglorum Reges præ reverentia, & devotione, quam exhibuerunt Beato Petro, gloria, & honore floruisse; ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse.* Alexander Secundus ita scribit Gulielmo Primo: *Novit prudentia tua Anglorum regnū ex quo nomen Christi ibi clarificatū est, sub Apostolorum Principis manu, & tutela extitisse.*

Alford. in Annal. ad An. Christ. 1042 Aelredus in Vita Eduard. Regis C. & Capgravius.

Rationes verò, ob quas Angli Divum Petrum sibi Patronum delegerunt, hæc fuisse videntur: prima, quia Christianæ Fidei rudimenta ab illo, seu Magistro, se didicisse credebant, ut multi, & magni nominis Scriptores affirmant, & quod caput est, Joannes, hoc nomine Quintus, Romanus Pontifex, idipsum suis confirmat litteris ad Reges Anglosaxonum Alfridum, & Ethelredum scriptis, ibique multas fundasse Ecclesias, consecrasse Episcopos, & alia Summi Pontificis officia obiisse refert. Secunda, quia ipse Apostolorum Princeps singularis quodam amoris significationibus Anglorum gentem prosecutus est: exemplis res fiet clara: translata jam divini Numinis irâ, vel Providentiâ, in Danos, horumque Regem Canutum summa Imperij, apparuit Sanctus Petrus Brituvaldō Monacho Glastoniensi, noctu oranti, & illatas patriæ

Alford.ad Annum 1027.p.497.
Roger.Hovedenus p.405.

clades multis lacrymis prosequenti clarissima circumfusus luce, Summi Pontificis habitu, moreque, sacro inungentis oleo, & solemnibus cæremonijs inaugurantis Regem Angliæ Eduardum Egelredi filium, qui per id tempus exulabat inter Nortmannos; eaque orantis oculis objecta specie ipsum benè sperare docuit divina quadam dulcedine, gaudioque perfusum. Regnum enim Angliæ, subjunxit Petrus, Regnũ Dei est. Visum comprobavit eventus, Eduardo paucis post annis Anglorum Rege creato. Tertia, quia initio renascentis apud Anglos Ecclesiæ, nec magnis prædicatorum laboribus in ea excolenda idoneo fructu respondentis, agitabat animo Sanctus Laurentius B. Augustini Socius, & successor in Dorobernix Episcopatu, relicta Anglia, Italiam repetere, ubi maior se dabat conversionis spes, & animarum messis longè uberior apparebat. Hæc secum mente volventi, ac dormienti Petrus Cælo delapsus se spectandum præbuit, eumque scintillantibus oculis, & vultu ad severitatem composito acritèr objurgavit, & flagris etiam dirè cæcidit, quòd commissas sibi à Deo oves, Insulamque Angelis charam vellet deserere, inani fructuosiùs alibi laborandi spe deceptus. Quo effectum, ut Laurentius mutato protinùs abeundi ex Anglia consilio, & ostensis Egbaldo Regi plagarum vicibibus, firmam in Cantio sedem fixerit; totisque viribus in animarum salutem incumbens, uberrimum paulò post suorum laborum fructum collegerit, Egbaldo ipso cum regni primoribus, & innumera populi multitudine ad Christi Fidem conversis, extructis ubique Ecclesijs, & unius Dei cultu per universum Cãtij regnum mirificè propagato.

Menard.in Martyrol. Benedictino.

Aelredus Abbas Rivall. in Vita Eduard.Reg. C.
Thomas Mor. in Vita Richardi III. Regis.
Alford.in Annalib. tom.2. ad Annum Christ.529.& 604.
Capgrav. in Mellito Episcop. Londinensi.
Valsingamus in Vita Richardi Secũdi.
Silvest. Petras. S. I. part.2. Thaumas.

Quarta, quia Apostolorum Princeps Petrus administris cælestibus stipatus Cænobij Vvestmonasteriensis Ecclesiam prope Londinum sub Mellito olim Episcopo Sancti Augustini coætaneo, ædificatam, Sebertho, vel Sebereto Saxonum Orientalium Rege, sacris ritibus consecravit, Sanctæ Crucis impressione, & chrismatis unctione adhibitis. Mellitus certè Episcopus Romam ex Anglia venit ad Bonifacium IV. ut inter alia magni momenti negotia, id etiam in Romana Synodo agitaretur, num scilicet legitima, rataque haberi deberet illa prædicto modo facta Londinensis templi consecratio? Hanc ob rem Reges Angliæ illud templum summo semper in honore habuerunt, magnis redditibus dotarũt, & amplissimis

mis munierunt privilegijs: & si multis post annis ejusdem tẽpli initiationem sacris ritibus factam, vel instauratam fuisse legamus sub Eduardo Rege, convocatis ad id peragendum munus regni totius Episcopis, & Dynastis: ad eum ferè modum, quo Magnus Constantinus Imperator, patriâ, ut multi putant, Britannus, congregatos in Concilio Tyri Præsules ad Encænia, seu Dedicationem Basilicæ, quam ædificaverat Hierosolymis, accersivit.

Cæterùm quàm bene responderint Angli Sancti Petri in illos curæ, & amori vix dictis exprimere possumus; vix cogitatione ipsa comprehendere: eum anteactis seculis tot obsequij, & amoris significationibus sunt prosecuti, ut nullius erga quemquam alium Sanctorum gentis clariora extent, quàm Anglicanæ in Beatum Petrum studij, & pietatis indicia. Theanus Londini Episcopus primum Sancto Petro templum in eadem Urbe condidit; ut nonnulli existimant; & si alij Regem Lucium illius authorem fuisse referant; quibus favet hujusmodi inscriptio tabellæ antiquæ, quæ in ipso templo asservatur: *Anno 179. Lucius Primus Rex Christianus fundavit primam Ecclesiam Londoniæ S. Petri, primam scilicet hujus regni; & sic duravit spatio quadringentorum annorum usque ad adventum Sancti Augustini Angliæ Apostoli.* Alias Ethelbertus, & Sebertus Reges in Anglia Orientali sacras Beatro Petro Ædes posuerunt: Kenevaldus in Occidentali; in Septemtrionali Eduvinus, & Osuvaldus: in Mercijs, vel mediterraneis Peades, Vulferus, & Ethelredus: Kinigildus nobilem inter Saxones Occidentales erexit Apostolorum Principis Basilicam: quemadmodùm & Naitanus Rex Pictorum primam in suo regno Ecclesiam extrui mandavit Petri nomine, ac titulo prænotatam. Paulinus Eboracensis Antistes, Eduvino Rege Northumbriæ, in Beati Petri memoriam, & honorem, Cathedralem erexit Ecclesiam, quæ mater esset, ac primas omnium in ea provincia Ecclesiarum: quamquàm non desint viri docti, qui ab Eduvino inchoatam fuisse dicant, ab Osuvaldo verò perfectam Anno Christi 635. Celeberrima inter omnes Angliæ Ecclesias B. Petro Apostolo ædificata est Cantuariæ ab Ethelberto Rege, non Cathedralis, ut multi putarunt; hanc enim S. Augustinus Anglorum Apostolus, Salvatori nostro JESU Christo dicavit, ut constat ex Annalibus Cantuariæ; sed alia situ, opere, & ornatu augusta, extra Urbem condita, in qua

Alford. citatus ad Ann. Christi 627. pag. 621. & 622.

Gervasius Dorobern. in Act. PP. Cantuar. sub Beato August.

Rodulph Cantuar. Episcop. in epist. ad Callist. Secundum PP. Roman.

Alford. to. 2. Annal. Ann. Christi 690.

qua Augustinus ipse, ejusque in Episcopatu successores, nec non omnes Cantij Reges sepeliri consueverunt. Ad eum ferè modum, quo Episcopi, ac Imperatores Constantinopolitani in Basilica Apostolorum, non intra ipsam; sed in atrio exteriori, reverentiæ causâ, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, sepulchra, seu conditoria sibi parari fecerunt, ducto à Constantino Magno tam pij moris initio, & exemplo.

C. Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 601 § 5.
Euseb. Cæsar. in Vita Constantini l. 4. c. 58.
S. Joann. Chrysost. tom. 5. adversus Gẽtiles, quòd Christus sit Deus.

Nullum tamen Angli illustrius pietatis suæ, & clientelæ in Apostolorum Principem specimen præbuerunt, quàm cũ lata sanxerunt lege, ut singula incolarum capita B. Petro, supremo Ecclesiæ Christi capiti, tributum singulis annis penderent, quod propterea *Sancti Petri Denarium* appellarunt; ac eo nomine clientes se, & vectigales Principis Apostolorũ palàm professi sunt. Hunc morem Ina Rex Occidentalium Saxonum primus invênit antequàm regno se abdicaret, cum Edilburga conjuge, pari pietate, ac prudentia fœmina; illoque piæ munificentiæ argumento fidem suam, & religionem prodidit, & singularem erga Christi Vicarium, ac Sedem Apostolicam observantiam posteris testatam reliquit. Auctum posteà vectigal annuum, cõfirmatumque ab Ethevulfo Rege, qui totius ferè Insulæ obtinuit monarchiam. Suum præterea tributum solvere voluit Offa Rex Orientalium Saxonum in Urbem veniens ad Limina Apostolorum Anno Christi 775. sancita in posterùm lege, ut singulæ regni sui familiæ quotannis penderent numum argenteum Sancto Petro; quem ex vetustis Anglicanæ Ecclesiæ monumentis morem Polydorus Virgilius colligit, & laudat. Iterum Rex Edgarus præcepit, ut idem denarius exactè ab omnibus solveretur. Ethevulfus verò Rex Vvestsaxonum dum Romæ moraretur Anno 803. cum filio Alfredo, (quem Leo IV. qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, Regem inauguravit) tributum sacrum, quod Anglia hodieque solvit B. Petro, ait Malmesburiensis, supplex obtulit. Canutus demùm regio edicto jussit, ut census iste, seu denarius Romæ solveretur Kalendis Augusti; in festo S. Petri ad Vincula. De illo multi PP. Romani in suis litteris meminerunt, præsertim Innocentius III. in epistola 173. quam suis notis verè aureis illustravit Frãciscus Bosquetus pag. 208. eumque Sancti Petri Denarium *Romescot* appellari tradit: habereque suum peculiarem titulum in legibus, & statutis Gulielmi Senioris. Multi ex his denarijs inventi fuerunt in agro

Polydor. Virgilius.
C. Baron. in Annal. Eccl. Anno Christi 740. n. 111.
Lupold. Bebẽburg. de zelo veter. Princip. Germanor. c. 7.
Polydor. Virgilius Hist. Anglic. lib. 4.
Malmesbur. lib. 2. de Reg. c. 2. Ingulfus pag. 862. Alford. Ann. Christi 853.

Lancastrensi Anno 1611. Divi Petri effigie signati ; Regum etiam ac Urbium, qui illos B. Apostolo offerebant, nominibus circunscripti. Addit verò Polydorus superiori seculo, quo ipse in Anglia morabatur ; Insulam universam sacrum ejusmodi vectigal pendere solitam ; numosque illos argenteos esse, ac *Denarios Sancti Petri* vulgò dici, & à Quæstore, seu Collectore Pontificio exigi consuevisse: quod ipse Polydorus munus, onusque per annos aliquot in Anglia sustinuit, & exercuit. Contigit autem, ut confestim ac cessavit pendi vectigal illud Sancto Petro, hæresum statim lues totam corripuerit, ac infecerit Insulam, & multis calamitatibus obnoxiam reddiderit : quasi illam certo quodam modo deseruisse videretur Sancti Petri favor, & Patrocinium. *C. Bar. in An. Eccl. An. Christi 740.*

Nec satis fuit Anglorum genti pecunias, ac denarios, pietatis causa, sponte donare, vel offerre : seipsos quoque illius servitio, & clientelæ addicere, & devovere voluerũt ; patriam relinquere soliti ; navibus mare trajicere, & pias ad Urbem peregrinationes instituere, ibique ad sacram Apostolorum memoriam preces fundere, ac noctes insomnes orando traducere : Reges ipsi subditis sibi populis virtutum exemplis ad sectanda Christi vestigia præire, ac prælucere visi sunt, & Romam petere dominantium habitu, fastuque deposito, ut ad Limina Apostolorum vota solverent, ac se ipsos cum universo regno illorum obsequio, patrocinioque committerent : sic factum legimus à Ceduallа Rege Occidentalium Saxonum ; sic ab Rege Huo Ceduallæ Successore; sic ab Ina Rege, ac Richardo, qui Lucensi in urbe Etruriæ beato fine quievit ; quemadmodùm, & ab Etheulfo cum Alfrido filio, & Canuto, qui se Regem Angliæ, Danemarchiæ, & Noruegiæ inscribebat. Eò peregrinus ire promisit Eduardus *Confessor* dictus, sed promissa implere non potuit gravissimis reipublicæ negotijs impeditus ; quemadmodum nec Osuvius Rex illo antiquior immatura morte præventus. Uno verbo cuncta complectar : nulla in universo orbe Catholico gens extitit Sãcti Petri Apostoli magis studiosa ; nulla ipsius cultui, & obsequio magis dedita ; nulla tot Reges, ac Principes misit ad Limina, vel memorias Apostolorum peregrinos : quapropter Arnoldus Mesmannius in theatro conversionis gentium jure optimo sic scribit : *Britonum Reges quàm pij fuerint, quàm Sancti Petri, & Ecclesiæ Romanæ devoti, Venerabilis Beda in suis Annalibus* ;

C. Baron. multis in locis Annal. Eccles. *Alfordus ad Ann. 689. pag. 396.* *Severanus in memorab. Septem Urbis Ecclesiar.* *Alfordus citatus ad Ann. Christi 1042.* *Baron. Anno 689.*

Michael Alfordus S.I. in Annal. Eccl. Britan. Ann. Christi 1. pag. 4.

& rerum eventus, temporumque series benè declarant. Melius Alfordus rem paucis complectitur: *Beato Petro Apostolo post Christum aras, templa, urbes dicarunt: omnem denique Insulam submiserunt Reges.* His accedit Cardinalis Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis: *Angliæ Reges*, inquit, *ob Petri Apostolorum Principis reverentiam regnum, & coronam Romano Pontifici offerre soliti erant; & tamquàm primogeniti Ecclesiæ filij benedictionem ab illo, & confirmationem, cùm coronabantur, postulare.*

Quæ si cum præsenti tempore conferre velis, & Angliam antiquam cum recentiori componere, longè aliam rerum faciem modò aspiciens toto Cælo, terraque diversam, vix poteris præ dolore à lacrymis temperare; cum vera, sinceraque maiorum Fides, quam Petrus docuit Anglos, & ipsius in Romano Pontificatu Successores confirmarunt, eò missis Apostolico spiritu plenis Magistris, & Prædicatoribus; quam per tot secula puram, & sanctam Britanni, & Angli professi fuerunt, uno veluti momento temporis ab Insula universa proscriptam, intrudentibus se quà vi, quà fraude in illius viscera Novatoribus, & cuncta impijs erroribus corrumpentibus. Illi omnes rationes, & vias comparandæ salutis æternæ sustulerunt: Sacramenta, sacramentalia, vota, sacrificia, psalmodias, meditationes, vigilias, flagella, jejunia, carnis macerationes exterminarunt: Aras, Imagines, Sacraria, templa, Sanctorum patrocinia, sepulchra, & Martyrum memorias everterunt: lustrales fontes exsiccarunt; sacra lipsana combusserunt: breviaria, litanias, precarios globulos abiecerunt: jubilæa, indulgentias, benedictiones Episcopales, & Sacerdotales irriserunt: sacra omnia pessumdederunt; imò & sacros ipsos ordines extinxerunt, & loca pia, & religionem spirantia, nequa rei sacræ extaret memoria, exsciderunt, veriti ne si starent, vel muti eorum mores novos reprehenderent, ac refutarent. Nihil reliquerunt intactum, nihil integrum, nihil sanctum, cùm ipsa quoque pietatis vestigia aboleverint. Ubi nunc Cænobia Monachorum? ubi septa, & custodiæ Virginum Deo Sacrarum? ubi gymnasia pudoris Christiani? ubi Glastoniensis Deiparæ templum antiquitate venerabile, religione augustum, structurâ magnificum, Fidelium votis, ac peregrinationibus celeberrimum? ubi Sancti Pauli Londini templum? ubi Sancti Petri Basilica Cantuariensis, in qua

Re-

Reges olim, & Præsules Regni Primates sepeliri consueverant? Cœnobia in stabula; templa in domos negotiatorum; altaria in popinas; aras, si fas est dicere, in haras animalium hujus temporis Haeretici converterunt; & fatali quodam errorum incendio ita Dei Ecclesiam deformarunt, ut dicere jure possis:

Campus, ubi Troia fuit.

Pudeat homines bona indole, & acri ingenio præditos Fidei Catholicæ ejuratæ, & hæreseos admissæ tot errorum facibus inquinatæ. Maluerunt Angli credere Novatoribus, qui nullam doctrinæ faciem certam retinent, quàm Petro Apostolorum Principi, supra quem Christus suam fundavit Ecclesiam; cujus olim memoriam altè cordibus infixam tenebant; cujus vocem audire tamquàm boni Pastoris, soliti erant; eumque delato obedientiæ obsequio Legitimum Christi in terris Vicarium recognoscere; sacrosanctæ cujus sedi tot seculis pijssimi vectigales fuerunt, non tam annui pensitatione denarij in singulas domos impositi, quàm intimo cordis amore, & pietatis studio singulari.

De Sancto Georgio, Anglicanæ militiæ Patrono.

QUæ à viro valdè erudito, & in rebus Angliæ benè versato per litteras Londino missas accepi, ea hîc referre operæ pretium duxi. A quo primùm tempore Anglis innotuit magnus Christi Martyr Georgius, summo illum pietatis studio prosequi cœperunt, erectis in Dei honorem templis, aris excitatis, & Illustrissimo Equitum Sancti Georgij Ordine instituto. Quàmvis enim à primis Religionis Christianæ incunabulis alios Dei servos præcipua quadam veneratione coluerint, ut Sanctum Josephum ab Arimathia, S. Augustinũ Anglorum Apostolum, S. Albanum Martyrem, S. Alphegum item Martyrem, S. Eduardum Confessorem, & ijs recentiorem S. Thomam Cantuariensem Episcopum, & Martyrem; nullus tamen, præter B. Georgium, universalis apud illos Patroni nomen obtinuit, & dignitatem. Quemadmodùm hæc evenerint, paucis exponemus.

Cum Richardus hoc nomine Primus Rex Angliæ contra Saracenos bellum gereret apud Insulam Cyprum, & Aconem, jamque moræ pertæsus ob diuturnam urbis cujusdam obsidionem ancipiti, anxioque animo esset, S. Georgij appparitione solatus, & divini Spiritûs instinctu motus, cogitavit (scribit illius temporis Historicus) inducere supra suras quorumdam selectorum militum fasciam quamdam pelliceam, qualis tum illi ad manum erat, quo signo præ cæteris selecti, atque in spem futuræ gloriæ, si victores evaderent, erecti ad rem benè gerendam, ac fortitèr cum hoste dimicandum acriùs incitarentur: Romanorum more, apud quos varia erant coronarum genera, quibus fortissimi bellatores, virtutis ergo donabantur, ut illis militaris gloriæ stimulis incitati ardua quæque celso animo aggrederentur. Fama hujus apparitionis mirum in modum auxit cultum, & venerationem erga S. Martyrem, adeo ut Eduardus Rex eo nomine Tertius illum sibi, & regno suo Patronum delegerit; de quo sic Camdenus, religione hæreticus, sed idoneus Author: *Georgij*, inquit, *nomen eximiæ in Anglia venerationis fuit, ex quo Eduardus tertius Victor Sanctum Georgium in Patronum assumpsit; Anglique in omni bello, prælioque non minus Sancti Georgij nomen inclamarunt, quàm Galli Sancti Dionysij.*

Vetus regestum Vvindoseriauum,

Hæc Eduardi Regis in S. Georgium pietas nova deinde accessione victoriæ incrementum cepit: *Cùm enim apud Caletum adversus Regem Galliæ pugnaret* (narrat Vvalsinghamus) *dentibus infrendens, ab ira, & dolore turbatus evaginato gladio Sanctum Eduardum, & Sanctum Georgium invocavit, dicens:* Hà Sancte Eduarde: Hà Sancte Georgi: *quibus auditis, & visis milites confestim Anglici confluebánt ad Regem; & facto impetu contra hostes tam animosè institerunt, ut ducenti ex illis ceciderint interfecti.*

Eduardi tamen pietatis studium in B. Martyrem nil magis commendare videtur, quàm militaris ab ipso Ordo *Sancti Georgij* nomine, & auspicijs instituтus: cujus Commilitones dicuntur *Equites Sancti Georgij*, vulgò Periscelidis, seu *Garterij*, à cærulei coloris fascia honoraria sinistram tibiam paulò infra genu substringente; & fibula aurea concordiæ, & amicitiæ inter illos symbolo, connectente: *Eduardus III. Rex Britanniæ*, inquit Silvester Petrasancta S.J. Theologus, *victorijs clarus, instituit Ordinem Equitum Auratorum, quibus est nomen à* *periſ-*

Silvest. Petras. S.I. in tesseris gentilit. fol. 625.

periscelide, seu fascia crurali; nam eam proposuit exercitui tesseram prælium ineunti. Sed alij potiùs à lapsæ in chorea Joannæ Salisburiensi, Principi fœminæ, crurali institæ initium habuisse credunt. Equites gerunt fasciam cyaneam innexam aurea fibula, eaque cruris sinistri internodia circumvolvunt; inscribunt verò eamdem Gallico lemmate: Hony soit qui mal y pense: *monile Equitum fit ex contextu plurium fasciculorum simul, & rosarum, quæ semialbæ ac puniceæ sunt: fueruntque additæ eæ rosæ discolores post conjugium Henrici VII. cum Elisabetha ex familia Eboracensi. Pendet ex monili aurea icuncula S. Georgij ordinis tutelaris Patroni.*

Franciscus Mennenius ita scribit: *Illustrissimus hic Ordo originem, ac nomen traxisse creditur ex illa Richardo facta apparitione, ut supra diximus, ac ex prima illa fascia suris circumligata: licet non desint Authores, qui hujus Garterij Ordinis periscelidem referant ad Joannam Comitem Sarisburiensem, eximiæ pulchritudinis fœminam, quæ illi in aula regia palàm saltanti casu decidit, cùmque illam Rex Eduardus è terra levasset, ejus factum taxarunt Aulici: Rex verò re ista valdè offensus, seriò affirmavit, fore ut brevi periscelis illa summo in honore ab omnibus haberetur; horumque Authorum sententiam confirmare videtur Epigraphe fasciæ cruralis litteris aureis inscripta Gallicè, quam supra citavimus Hony soit, &c. indeque Garterianum S. Georgij Ordinem sumpsisse initium.* Cæterùm quæ paulò ante scripsimus de Richardo primo magis probamus, eaque regestum Vvindesorianum prorsùs confirmare videtur, cum subjungit: *Richardum posteà in Angliam reversum animo agitasse insignem aliquem Ordinem instituere, eumque Sancti Georgij nomine decorare: verùm id præstare non potuisse morte præventum: sed quod ille non præstitit Eduardum abundè complesse: illam autem instituisse anno regni sui xxiii. cùm de Gallis atque Scotis non semel illustrissimè triumphasset. Accedit quòd Eduardus in ipsa charta originaria hujus institutionis testatur, se ad honorem Omnipotētis Dei, ac B. Virginis Dominæ Nostræ Sanctæ Mariæ, & gloriosi Martyris Sancti Georgij, Patroni nobilissimi Angliæ regni; atque ad Exaltationem Sanctæ Fidei Catholicæ, ordinasse, erexisse, stabilivisse, ac fundasse intra Castrum Vvindesoriæ Societatem viginti sex Equitum, ut essēnt præfati inclyti Ordinis* Sancti Georgij, *alitèr dicti* periscelidis.

Mennenius de Ordinib. Milit. p. 521.

Regest. Vvindesor.

Camdenus de reb. Brit.

Præter alia ornamenta, quibus Commilitones statis tem-

po-

poribus, & in publicis conventibus uti solent, ac tenentur; duo sunt veluti propria, & justa ipsius Ordinis Insignia; alterum ex ijs *Georgius* appellatur; estque imago, seu sculpta Martyris ejusdem equo insidentis effigies ex cærulea vitta, vel aurea catenula collo appensa, quam omnes ubique, ac semper gestare debent, ita ut statuto etiam cautum sit, nequis foris, palàmve compareat sine suo Georgio; nevè is oppignoretur, alienetur, vendatur, aut donetur ulla ex causa, indigentia, aut necessitate: *Insigne Georgij thoracem protegens* (ait regestum) *pectus illud in memoriam vocat, ut quemadmodùm ipse propriu s eorum Divus Christi, & sponsæ ejus fidelis Ecclesiæ, & gloriosus miles extitit, sic & ipsi Christi, Christianæque Religionis fideles milites, & propugnatores evadant.* Alterum Insigne est fascia, seu coloris cærulei periscelis sinistram suram præcingens, in qua hujusmodi lemma aureis inscriptum litteris, & lapidibus pretiosis distinctum visitur: *Hony soit, &c. ad avertendam* (regesti ipsius sunt verba) *in omni re non malè facta malam interpretationem. Additur junctura ex auro velut unitatis, & concordiæ vinculum: siquidem ut ibidem dicitur, Rex sic huic Ordini cum nominibus vestes, & ornamenta cooptavit, ut omnia ad amicitiam, & concordiam, & reliquas virtutes tendere nemo non intelligat.* Hoc etiam Insigne tamquàm constantiæ, & fortitudinis Christianæ monumentum datur; ita enim Equiti cū inauguratur, dicitur: *Ad laudem Omnipotentis Dei, Intemeratæ Matris ejus, & Sancti Georgij Martyris cinge tibiam tuam hoc insigni subligaculo, quo videlicet moneris ut valeas; & velis in justo bello, quod solùm inibis, stare firmitèr, agere fortitèr, & vincere viriliter.* Per id etiam tempus cusa est aurea moneta, quæ ex una parte habebat effigiem Sancti Georgij, ex altera hujusmodi epigraphem:

Tali dicata signo mens fluctuare nescit.

Tanti ubique gentium habitus est hic nobilissimus Ordo ut potentissimos aliarum gentium Reges non pænituerit in illum nomina dare, ut scribit Polydorus Virgilius; quare præter Reges Angliæ, ac innumeros ejusdem Regni Principes, & Dynastas, ultra quinquaginta numerantur, Imperatores, Reges, ac Principes, & Duces Georgiani Ordinis Equites, quos invenies apud Mennenium de Ordinibus Militaribus, & Polydorum Virgilium. Templa in S. Georgij honorem dicari cæpta à tempore potissimùm Gulielmi Conquæstoris: ac primum

Mennenius. *Polydor. Virgilius.*

mum quidem in Urbe Oxomenti Anno Domini 1074. In Castro Vvindosoriano templum nobile Regum pietate, & munificentia dignum visitur Equitum sedes, ac domicilium, in memoriam Deiparæ V. Mariæ, & S. Georgij Martyris excitatum; multis Regum privilegijs munitum, & redditibus amplis instructum, maximè Eduardi hoc nomine Tertij, Eduardi Quarti, Henrici VII. Decani tandem, & Canonicorum industriâ, sumptibusque perfectum.

Eximia hæc in S. Georgium populi, & Ecclesiæ Anglicanæ pietatis indicia, etiam tempore Henrici VIII. perdurarūt, cum omnis ferè religionis umbra cum vera Fide Catholica à regno exularet; cumque alia Sanctorum festa à sacris fastis expungerentur, hoc tamen cum paucis alijs fuit retētum. Deniq; Eduardi Regis pueri anno ultimo in Capitulo Vvestmonasterij habito, ejus festum sublatum est; decretumque ut Ordo ille in litaris non *Sancti Georgij*, sed *Periscelidis* in posterum diceretur. Item ut festum dicti Ordinis non ipso Sancti Martyris die, ut antea; sed in festo Pentecostes celebraretur. Hæc invalescente per Angliam hæresi, ac procurante Seimero, nequissimo Protectore, contigerunt, ad delendam magni Martyris memoriam, & cultum penitùs extinguendum: sed uno non amplius anno durarunt: primo siquidem Mariæ Reginæ anno omnia in pristinum statum redierunt, decretis illis, de communi omnium Ordinum cōsensu, refixis, & abrogatis. Sancitum præterea ut Gulielmus Petri, Eques Auratus, electus per id tempus Ordinis Cancellarius, omnia illa nova statuta à libro legum publicarū prorsùs expungeret (utor proprijs decreti verbis) ac deleret; ne ulla unquam illorum memoria apud posteros extaret. Nec ullus deinceps Regum quidquam innovavit, mutavitve; sed suus ad hanc usque diem honor S. Georgio, ejusque Ordini Equestri, & festo integer, & sacer mansit: atque etiam nunc in omnium ore versatur illud: *Saint George for England*: itaut Anno Christi 1604. quo die Jacobus Rex Scotiæ eo nomine Sextus triumphantis more Londinum invectus est, collocatæ fuerunt in loco Urbis magis conspicuo, ac cæteris editiore Sancti Andreæ Apostoli Scotorum Patroni, & S. Georgij Martyris Anglorum Tutelaris equo insidentis effigies, & Scutum præferentis Cruce rubra candidam secante areolam, amicas inter se dexteras jungentes, & utramque gentem Anglicanam,

Petrus Cabierus in sua Hist. Gallica lingua conscripta. Saussa. de gloria S. Andr. Apost. pag. 509.

nam, & Scotam pacis fœdere copulantes. Hæc in media Londinensis Urbis luce, in ipsa hæreseos arce facta fuisse legimus, Catholicis lætantibus, & plaudentibus; nec dolentibus Hæreticis, vel improbantibus.

SCO-

SCOTIA

PARS magnæ Britanniæ, regio titulo clara, pro Insignibus habet Leonem rubrum, in pedes erectum, aurea planitie exceptum, & duplicem tractum lilijs conspersum; vel, ut scribit Henricus Spelmanus in sua Aspilogia, Peribolum duplicem lilijs distinctum; in memoriam fœderis, quod olim inter se inierunt Carolus Magnus Imperator, & Achaius Rex Scotorum adversus Anglos communes utriusque Principis hostes. In Apice Leo assurgit coronatus: etsi non obscuri nominis Authores recentiori ævo affirment à Carolo VII. non Carolo Magno, Liliorum Insignia Scotis tradita; neque enim ille cũ istis, sed cum veteribus Scotis Hibernis fœdus pepigit, ut solidè probat Vvardæus in Dissertatione Historica de Patria Sancti Rumoldi. Initium Scotici Regni fuit Anno Christi 1098. si credimus Genebrardo: *Anno*, inquit, *Domini 1098. Scotiæ Regnum incepit, ab Hadgaro primo: Regis titulum, nomen, unctionem Scoti impetrarunt ab Vrbano Secundo Summo Pontifice Romano, Expeditionis sacræ occasione, cùm antea Helvetico, & Teutonico more per Hordas viverent, diversis Principibus subjecti: quare fictè Regni illius initium altius deducitur, sive à Fergusio Hiberno Anno 330. ante Incarnationem: sive ab alio Fergusio Scytha Christiano, quem Scotorum in Albionem redeuntium Regem contra Romanos effectum Palladio Evangelizante Anno Domini 441. sive à Heneto Magno, quem deletis Pictis, fingunt extremam Britanniæ partẽ Scotiam appellasse; nam hæc carent probatis Authoribus. Ita ad hunc usque diem Reges habuere octodecim per annos quadringentos quadraginta sex.* Hæc Genebrardus; quibus, ni fallor, acritèr se opponent Scoti: ea verò lentiùs, & accuratiùs examinare nostri instituti non est. Episcopatus undecim numerat Scotia Metropolitanis duobus, Andreapolitano, & Glascuensi suffraganeos; ille Regni Primàs

Henric. Spelman. in sua Aspilogia, pag. 106.

Genebrard. ad An. Christi 1116.

Aubert. Miræus in notitia Episcopat. Orbis Christ. lib. 4.

celebetrimum visitur Sancti Spiritûs in Saxia Nosocomium; *Anglorum* vocant Ingulfus, & Huntindonus: Hovedenus verò, & Asserus, *Scholam*, & *Vicum Saxonum*. Ejusmodi Hospitium Rex Ina dum Romæ versaretur, Deiparæ titulo, & protectione dicavit Anno Christi 727. in quo sepeliri voluit Rex Merciorum Burgredus, alijque viri Principes, qui pietatis studio incensi ex Anglia in Urbem Romanam peregrinationes suscipiebant; ibique obibant.

Alford.to.3. Annal. Eccl. Anglosax. pag. 419.
Huntindonus pag. 358.
Ant. Balinghem S.I. in Ephem. Mar. die 8. Septembr.

Superest ut magnæ Matris erga suos clientes curam, & amorem uno, aut altero exemplo illustremus. Suanus Daniæ, & Aulafus Noruegiæ Reges centum ferè navium classe in Angliam appulerunt: exscensione in terram facta, Londinum, Urbem Regni primariam aggressi, eam dira cinxerunt obsidione, & summis viribus oppugnabat. Regnabat per id têpus in Cantio Edelredus. Humano cives auxilio destituti, & ad extremum jam discrimen adducti, ad Deiparæ Virginis patrocinium confugerunt, ejusque opem multis cum lacrymis postularunt: nec incassùm fusæ ad Cælum preces: die quippè octava Septembris, natali Virginis sacra, exorta repentè tempestas hostium naves ad scopulos allisas fregit, vectores verò hausti fluctibus miserandum in modum perierunt. Reges Suvanum, & Aulafum tanto vitæ periculo ereptos, & paucis comitatos navibus Daniæ portus ægrè excepit. Soluta in hûc modum obsidione, Cives Mariæ Virginis ope salvi grates illi, uti par erat, referre non destiterunt. Indè profectum, ut multi Anglorum Reges in bellicis posteà vexillis Mariæ Virginis effigiem præferent expressam.

Froissard. volum. 1. cap. 128. & seq.
Kolven. in Kalend. Mar. part. 2. die 26 August.
Ægid. in Apotegm. Heroic. Eduardi Reg.

In prælio etiam Ambianensi Anno salutis humanæ 1336. valdè enituit Deiparæ in Anglos patrocinium. Duo potentissimi in acie stabant contra se Reges florentissimis instructi bellatorum copijs, Philippus VI. Galliæ, & Eduardus III. Rex Angliæ: Die Sabbati Mariæ V. sacra, quam sibi Tutelarem delegerat Eduardus, summis utrinque viribus pugnatum: Philippus fortissimè dimicans, victus, & in fugam actus, viginti ferè millibus suorum cæsis, in quibus fuere Joannes Bohemiæ Rex, Carolus Philippi frater, Ludovicus Flandriæ Comes, multique alij viri Principes. Tam illustri parta victoria Eduardus, quam maximas potuit, Deiparæ Tutelari gratias egit.

Primarium etiam inter Patronos Anglorum locum tenet San-

Sanctus Petrus Apostolorum Princeps: idque disertis verbis affirmat Edgarus Rex in peculiari quodam diplomate, quo multa cõcedit privilegia Ecclesiæ Vvestmonasteriensi eidem Apostolo dicata: *Inprimis*, inquit, *Ecclesiam Domini specialis, & Patroni, & Protectoris nostri Beati Petri.* Idem suis confirmant litteris Offa, & Kenelmus, insignes pietate, & clementia Reges. Eduardus cognomento *Confessor*, dum in Nortmannia exularet sic Deum allocutus dicitur: *Eris tu mihi semper in Deum, & B. Petrus Apostolus in Patronum, cujus sacratissimas Reliquias in Vrbe Roma te annuente, te regente, te comitante visitaturum me promitto.* Sic orasse, narrant Aelredus Abbas Rivallensis, & Capgravius. Canutus Rex Angliæ, Danemarchiæ, ac Noruegiæ dum Romæ versaretur, cum Conrado Imperatore, & Rodulpho Rege Burgundiæ, Summo Pontifice Joanne XX. litteras dedit ad Episcopos Angliæ, in quibus Sanctum Petrum vocabat *Patronum*, & *Protectorem Anglorum*. Id ipsum Romani Pontifices testantur: Nicolaus Secundus in litteris ad Eduardum Regem datis Anno Christi 1060. illum solatur curis anxium, & calamitatibus penè oppressum: *Beatus Petrus vobis sit custos, & Adjutor in omni tribulatione: claret enim Anglorum Reges præ reverentia, & devotione, quam exhibuerunt Beato Petro, gloria, & honore floruisse, ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse.* Alexander Secundus ita scribit Gulielmo Primo: *Novit prudentia tua Anglorum regnũ ex quo nomen Christi ibi clarificatũ est, sub Apostolorum Principis manu, & tutela extitisse.*

Alford. in Annal. ad An. Christ 1042. Aelredus in Vita Eduard. Regis C. & Capgravius.

Rationes verò, ob quas Angli Divum Petrum sibi Patronum delegerunt, hæ fuisse videntur: prima, quia Christianæ Fidei rudimenta ab illo, seu Magistro, se didicisse credebant, ut multi, & magni nominis Scriptores affirmant, & quod caput est, Joannes, hoc nomine Quintus, Romanus Pontifex, idipsum suis confirmat litteris ad Reges Anglosaxonum Alfridum, & Ethelredum scriptis, ibique multas fundasse Ecclesias, consecrasse Episcopos, & alia Summi Pontificis officia obiisse refert. Secunda, quia ipse Apostolorum Princeps singularis quodam amoris significationibus Anglorum gentem prosecutus est: exemplis res fiet clara: translata jam divini Numinis irâ, vel Providentiâ, in Danos, horumque Regem Canutum summa Imperij, apparuit Sanctus Petrus Brituvaldo Monacho Glastoniensi, noctu oranti, & illatas patriæ

 cla-

Alford.ad Annum 1027. p. 497.
Roger. Hovedenus p. 405.

clades multis lacrymis prosequenti clarissima circumfusus luce, Summi Pontificis habitu, moreque, sacro inungentis oleo, & solemnibus cæremonijs inaugurantis Regem Angliæ Eduardum Egelredi filium, qui per id tempus exulabat inter Nortmannos; eaque orantis oculis objecta specie ipsum benè sperare docuit divina quadam dulcedine, gaudioque perfusum. Regnum enim Angliæ, subjunxit Petrus, Regnũ Dei est. Visum comprobavit eventus, Eduardo paucis post annis Anglorum Rege creato. Tertia, quia initio renascentis apud Anglos Ecclesiæ, nec magnis prædicatorum laboribus in ea excolenda idoneo fructu respondentis, agitabat animo Sanctus Laurentius B. Augustini Socius, & successor in Doroberniæ Episcopatu, relicta Anglia, Italiam repetere, ubi maior se dabat conversionis spes, & animarum messis longè uberior apparebat. Hæc secum mente volventi, ac dormienti Petrus Cælo delapsus se spectandum præbuit, eumque scintillantibus oculis, & vultu ad severitatem composito acriter objurgavit, & flagris etiam dirè cæcidit, quòd commissas sibi à Deo oves, Insulamque Angelis charam vellet deserere, inani fructuosiùs alibi laborandi spe deceptus. Quo effectum, ut Laurentius mutato protinùs abeundi ex Anglia consilio, & ostensis Egbaldo Regi plagarum vicibibus, firmam in Cantio sedem fixerit; totisque viribus in animarum salutem incumbens, uberrimum paulò post suorum laborum fructum collegerit, Egbaldo ipso cum regni primoribus, & innumera populi multitudine ad Christi Fidem conversis, extructis ubique Ecclesijs, & unius Dei cultu per universum Cãtij regnum mirificè propagato.

Menard. in Martyrol. Benedictino.

Aelredus Abbas Rivall. in Vita Eduard. Reg. C.
Thomas Mor. in Vita Richardi III. Regis.
Alford. in Annalib. tom. 2. ad Annum Christ. 529. & 604.
Capgrav. in Mellito Episcop. Londinensi.
Valsingamus in Vita Richardi Secũdi.
Silvest. Petras. S. I. part. 2. Thaumas.

Quarta, quia Apostolorum Princeps Petrus administris cælestibus stipatus Cænobij Vvestmonasteriensis Ecclesiam prope Londinum sub Mellito olim Episcopo Sancti Augustini coætaneo, ædificatam, Sebertho, vel Sebereto Saxonum Orientalium Rege, sacris ritibus consecravit, Sanctæ Crucis impressione, & chrismatis unctione adhibitis. Mellitus certè Episcopus Romam ex Anglia venit ad Bonifacium IV. ut inter alia magni momenti negotia, id etiam in Romana Synodo agitaretur, num scilicet legitima, rataque haberi deberet illa prædicto modo facta Londinensis templi consecratio? Hanc ob rem Reges Angliæ illud templum summo semper in honore habuerunt, magnis redditibus dotarunt, & amplissimis

mis munierunt privilegijs: & si multis post annis ejusdem templi initiationem sacris ritibus factam, vel instauratam fuisse legamus sub Eduardo Rege, convocatis ad id peragendum munus regni totius Episcopis, & Dynastis: ad eum ferè modum, quo Magnus Constantinus Imperator, patriâ, ut multi putant, Britannus, congregatos in Concilio Tyri Præsules ad Encænia, seu Dedicationem Basilicæ, quam ædificaverat Hierosolymis, accersivit.

Cæterùm quàm bene responderint Angli Sancti Petri in illos curæ, & amori vix dictis exprimere possumus, vix cogitatione ipsa comprehendere: eum anteactis seculis tot obsequij, & amoris significationibus sint prosecuti, ut nullius erga quemquam alium Sanctorum gentis clariora extent, quàm Anglicanæ in Beatum Petrum studij, & pietatis indicia. Theanus Londini Episcopus primum Sancto Petro templum in eadem Urbe condidit; ut nonnulli existimant; & si alij Regem Lucium illius authorem fuisse referant; quibus favet hujusmodi inscriptio tabellæ antiquæ, quæ in ipso templo asservatur: *Anno 179. Lucius Primus Rex Christianus fundavit primam Ecclesiam Londoniæ S. Petri, primam scilicet hujus regni, & sic duravit spatio quadringentorum annorum usque ad adventum Sancti Augustini Angliæ Apostoli.* Alias Ethelbertus, & Sebertus Reges in Anglia Orientali sacras Beatro Petro Ædes posuerunt: Kenevaldus in Occidentali; in Septemtrionali Eduvinus, & Osuvaldus: in Mercijs, vel mediterraneis Peades, Vulferus, & Ethelredus: Kinigildus nobilem inter Saxones Occidentales erexit Apostolorum Principis Basilicam: quemadmodùm & Naitanus Rex Pictorum primam in suo regno Ecclesiam extrui mandavit Petri nomine, ac titulo prænotatam. Paulinus Eboracensis Antistes, Eduvino Rege Northumbriæ, in Beati Petri memoriam, & honorem, Cathedralem erexit Ecclesiam, quæ mater esset, ac primas omnium in ea provincia Ecclesiarum: quamquàm non desint viri docti, qui ab Eduvino inchoatam fuisse dicant, ab Osuvaldo verò perfectam Anno Christi 635. Celeberrima inter omnes Angliæ Ecclesias B. Petro Apostolo ædificata est Cantuariæ ab Ethelberto Rege, non Cathedralis, ut multi putarunt; hanc enim S. Augustinus Anglorum Apostolus, Salvatori nostro JESU Christo dicavit, ut constat ex Annalibus Cantuariæ; sed alia situ, opere, & ornatu augusta, extra Urbem condita, in

Alford. citatus ad Ann. Christi 627. pag. 621. & 622.

Gervasius Dorobern. in Act. PP. Cantuar. sub Beato August.

Rodulph Cantuar. Episcop. in epist. ad Callist. Secundum PP. Roman.

Alford. to. 2. Annal. Ann. Christi 690.

C. Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 601 §5. Euseb. Cæsar. in Vita Constantini l. 4. c. 58. S. Joann. Chrysost. tom. 5. adversus Gentiles, quòd Christus sit Deus.

qua Augustinus ipse, ejusque in Episcopatu successores, nec-non omnes Cantii Reges sepeliri consueverunt. Ad eum ferè modum, quo Episcopi, ac Imperatores Constantinopolitani in Basilica Apostolorum, non intra ipsam, sed in atrio exteriori, reverentiæ causâ, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, sepulchra, seu conditoria sibi parari fecerunt, ducto à Constantino Magno tam pij moris initio, & exemplo.

Polydor. Virgilius. C. Baron. in Annal. Eccl. Anno Christi 740. n. 111.

Nullum tamen Angli illustrius pietatis suæ, & clientelæ in Apostolorum Principem specimen præbuerunt, quàm cū lata sanxerunt lege, ut singula incolarum capita B. Petro, supremo Ecclesiæ Christi capiti, tributum singulis annis penderent, quod propterea *Sancti Petri Denarium* appellarunt; ac eo nomine clientes se, & vectigales Principis Apostolorū palàm professi sunt. Hunc morem Ina Rex Occidentalium Saxonum primus invênit antequàm regno se abdicaret, cum Edilburga conjuge, pari pietate, ac prudentia fœmina: illoque piæ munificentiæ argumento fidem suam, & religionem prodidit, & singularem erga Christi Vicarium, ac Sedem Apostolicam observantiam posteris testatam reliquit. Auctum posteà vectigal annuum, cōfirmatumque ab Ethevulfo Rege, qui totius ferè Insulæ obtinuit monarchiam. Suum præterea tributum solvere voluit Offa Rex Orientalium Saxonum in

Lupold. Bebēburg. de zelo veter. Princip. Germanor. c. 7. Polydor. Virgilius Hist. Anglic. lib. 4.

Urbem veniens ad Limina Apostolorum Anno Christi 775. sancita in posterùm lege, ut singulæ regni sui familiæ quotannis penderent numum argenteum Sancto Petro; quem ex vetustis Anglicanæ Ecclesiæ monumentis morem Polydorus Virgilius colligit, & laudat. Iterum Rex Edgarus præcepit, ut idem denarius exactè ab omnibus solveretur. Ethevulfus verò Rex Vvestsaxonum dum Romæ moraretur Anno 803. cum filio Alfredo, (quem Leo IV. qui tum Romanæ Ec-

Malmesbur. lib. 2. de Reg. c. 2. Ingulfus pag. 862. Alford. Ann. Christi 853.

clesiæ præerat, Regem inauguravit) tributum sacrum, quod Anglia hodieque solvit B. Petro, ait Malmesburiensis, supplex obtulit. Canutus demùm regio edicto jussit, ut census iste, seu denarius Romæ solveretur Kalendis Augusti; in festo S. Petri ad Vincula. De illo multi PP. Romani in suis litteris meminerunt, præsertim Innocentius III. in epistola 173. quam suis notis verè aureis illustravit Frācīscus Bosquetus pag. 108. eumque Sancti Petri Denarium *Romescot* appellari tradit: habereque suum peculiarem titulum in legibus, & statutis Gulielmi Senioris. Multi ex his denarijs inventi fuerunt in agro

Lancastrensi Anno 1611. Divi Petri effigie signati ; Regum etiam ac Urbium, qui illos B. Apostolo offerebant, nominibus circunscripti. Addit verò Polydorus superiori seculo, quo ipse in Anglia morabatur, Insulam universam sacrum ejusmodi vectigal pendere solitam ; numosque illos argenteos esse, ac *Denarios Sancti Petri* vulgò dici, & à Quæstore, seu Collectore Pontificio exigi consuevisse: quod ipse Polydorus munus, onusque per annos aliquot in Anglia sustinuit ; & exercuit. Contigit autem, ut confestim ac cessavit pendi vectigal illud Sancto Petro, hæresum statim lues totam corripuerit, ac infecerit Insulam, & multis calamitatibus obnoxiam reddiderit : quasi illam certo quodam modo deseruisse videretur Sancti Petri favor, & Patrocinium. *C. Bar. in An. Eccl. An. Christi 740.*

Nec satis fuit Anglorum genti pecunias, ac denarios, pietatis causa, sponte donare, vel offerre : seipsos quoque illius servitio, & clientelæ addicere, & devovere voluerũt ; patriam relinquere soliti ; navibus mare trajicere, & pias ad Urbem peregrinationes instituere, ibique ad sacram Apostolorum memoriam preces fundere, ac noctes insomnes orando traducere : Reges ipsi subditis sibi populis virtutum exemplis ad sectanda Christi vestigia præire, ac prælucere visi sunt, & Romam petere dominantium habitu, fastuque deposito, ut ad Limina Apostolorum vota solverent, ac se ipsos cum universo regno illorum obsequio, patrociniòque committerent : sic factum legimus à Ceduallla Rege Occidentalium Saxonum ; sic ab Rege Huo Ceduallæ Successore; sic ab Ina Rege, ac Richardo, qui Lucensi in urbe Etruriæ beato fine quievit ; quemadmodùm, & ab Etheulfo cum Alfrido filio, & Canuto, qui se Regem Angliæ, Danemarchiæ, & Noruegiæ inscribebat. Eò peregrinus ire promisit Eduardus *Confessor* dictus, sed promissa implere non potuit gravissimis reipublicæ negotijs impeditus ; quemadmodum nec Osuvius Rex illo antiquior immatura morte præventus. Uno verbo cuncta complectar : nulla in universo orbe Catholico gens extitit Sãcti Petri Apostoli magis studiosa ; nulla ipsius cultui, & obsequio magis dedita ; nulla tot Reges, ac Principes misit ad Limina, vel memorias Apostolorum peregrinos : quapropter Arnoldus Mesmannius in theatro conversionis gentium jure optimo sic scribit : *Britonum Reges quàm pij fuerint, quàm Sancti Petri, & Ecclesiæ Romanæ devoti, Venerabilis Beda in suis Annalibus ;* *C. Baron. multis in locis Annal. Eccles. Alfordus ad Ann. 689. pag. 396. Severanus in memorab. Septem Urbis Ecclesiar. Alfordus citatus ad Ann. Christi 1042. Baron. Anno 689.*

& rerum eventus, temporumque series benè declarant. Melius Alfordus rem paucis complectitur: *Beato Petro Apostolo post Christum aras, templa, urbes dicarunt: omnem denique Insulam submiserunt Reges.* His accedit Cardinalis Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis: *Angliæ Reges*, inquit, *ob Petri Apostolorum Principis reverentiam regnum, & coronam Romano Pontifici offerre soliti erant: & tamquàm primogeniti Ecclesiæ filij benedictionem ab illo, & confirmationem, cùm coronabantur, postulare.*

Michael Alfordus S.I. in Annal. Eccl. Britan. Ann. Christi 1. pag. 4.

Quæ si cum præsenti tempore conferre velis, & Angliam antiquam cum recentiori componere; longè aliam rerum faciem modò aspiciens toto Cælo, terraque diversam, vix poteris præ dolore à lacrymis temperare: cùm vera, sinceraque maiorum Fides, quam Petrus docuit Anglos, & ipsius in Romano Pontificatu Successores confirmarunt, eò missis Apostolico spiritu plenis Magistris, & Prædicatoribus; quam per tot secula puram, & sanctam Britanni, & Angli professi fuerunt, uno veluti momento temporis ab Insula universa proscriptam, intrudentibus se quà vi, quà fraude in illius viscera Novatoribus, & cunctis impijs erroribus corrumpentibus. Illi omnes rationes, & vias comparandæ salutis æternæ sustulerunt: Sacramenta, sacramentalia, vota, sacrificia, psalmodias, meditationes, vigilias, flagella, jejunia, carnis macerationes exterminarunt: Aras, Imagines, Sacraria, templa, Sanctorum patrocinia, sepulchra, & Martyrum memorias everterunt: lustrales fontes exsiccarunt: sacra lipsana combusserunt: breviaria, litanias, precarios globulos abiecerunt: jubilæa, indulgentias, benedictiones Episcopales, & Sacerdotales irriserunt: sacra omnia pessumdederunt; imò & sacros ipsos ordines extinxerunt, & loca pia, & religionem spirantia, nequa rei sacræ extaret memoria, exsciderunt, veriti ne si ftarent, vel muti eorum mores novos reprehenderent, ac refutarent. Nihil reliquerunt intactum, nihil integrum, nihil sanctum, cùm ipsa quoque pietatis vestigia aboleverint. Ubi nunc Cœnobia Monachorum? ubi septa, & custodiæ Virginum Deo Sacrarum? ubi gymnasia pudoris Christiani? ubi Glastoniensis Deiparæ templum antiquitate venerabile, religione augustum, structurâ magnificum, Fidelium votis, ac peregrinationibus celeberrimum? ubi Sancti Pauli Londini templum? ubi Sancti Petri Basilica Cantuariensis, in qua

Reges olim, & Præsules Regni Primates sepeliri consueverāt? Cænobia in stabula; templa in domos negotiatorum; altaria in popinas; aras, si fas est dicere, in haras animalium, hujus temporis Hæretici converterunt: & fatali quodam errorum incendio ita Dei Ecclesiam deformarunt, ut dicere jure possis:

Campus, ubi Troia fuit.

Pudeat homines bona indole, & acri ingenio præditos Fidei Catholicæ ejuratæ, & hæreseos admissæ tot errorum fæcibus inquinatæ. Maluerunt Angli credere Novatoribus, qui nullam doctrinæ faciem certam retinent, quàm Petro Apostolorum Principi, supra quem Christus suam fundavit Ecclesiam: cujus olim memoriam altè cordibus infixam tenebant, cujus vocem audire tamquàm boni Pastoris, soliti erant; cumque delato obedientiæ obsequio Legitimum Christi in terris Vicarium recognoscere: sacrosanctæ cujus sedi tot seculis pijssimi vectigales fuerunt, non tam annui pensitatione denarij in singulas domos impositi, quàm intimo cordis amore, & pietatis studio singulari.

De Sancto Georgio, Anglicanæ militiæ Patrono.

Quæ à viro valdè erudito, & in rebus Angliæ benè versato per litteras Londino missas accepi, eà hìc referre operæ pretium duxi. A quo primùm tempore Anglis innotuit magnus Christi Martyr Georgius, summo illum pietatis studio prosequi cæperunt, erectis in Dei honorem templis, aris excitatis, & Illustrissimo Equitum Sancti Georgij Ordine instituto. Quamvis enim à primis Religionis Christianæ incunabulis alios Dei servos præcipua quadam veneratione coluerint, ut Sanctum Josephum ab Arimathia, S. Augustinū Anglorum Apostolum, S. Albanum Martyrem, S. Alphegum item Martyrem, S. Eduardum Confessorem, & ijs recentiorem S. Thomam Cantuariensem Episcopum, & Martyrem, nullus tamen, præter B. Georgium, universalis apud illos Patroni nomen obtinuit, & dignitatem. Quemadmodùm hæc evenerint, paucis exponemus.

Cum Richardus hoc nomine Primus Rex Angliæ contra Saracenos bellum gereret apud Insulam Cyprum, & Aconem; jamque moræ pertæsus ob diuturnam urbis cujusdam obsidionem ancipiti, anxioque animo esset, S. Georgij apparitione solatus, & divini Spiritûs instinctu motus, cogitavit (scribit illius temporis Historicus) inducere supra suras quorumdam selectorum militum fasciam quamdam pelliceam, qualis tum illi ad manum erat, quo signo præ cæteris selecti, atque in spem futuræ gloriæ, si victores evaderent, erecti ad rem benè gerendam, ac fortiter cum hoste dimicandum acriùs incitarentur: Romanorum more, apud quos varia erant coronarum genera, quibus fortissimi bellatores, virtutis ergo donabantur, ut illis militaris gloriæ stimulis incitati ardua quæque celso animo aggrederentur. Fama hujus apparitionis mirum in modum auxit cultum, & venerationem erga S. Martyrem, adeo ut Eduardus Rex eo nomine Tertius illum sibi, & regno suo Patronum delegerit; de quo sic Camdenus, religione hæreticus, sed idoneus Author: *Georgij*, inquit, *nomen eximiæ in Anglia venerationis fuit, ex quo Eduardus tertius Victor Sanctum Georgium in Patronum assumpsit; Anglique in omni bello, prælioque non minus Sancti Georgij nomen inclamarunt, quàm Galli Sancti Dionysij.*

Vetus regestum Vvindosorianum,

Hæc Eduardi Regis in S. Georgium pietas nova deinde accessione victoriæ incrementum cepit: *Cùm enim apud Caletum adversus Regem Galliæ pugnaret* (narrat Vvalsinghamus) *dentibus infrendens, ab ira, & dolore turbatus evaginato gladio Sanctum Eduardum, & Sanctum Georgium invocavit, dicens:* Hà Sancte Eduarde: Hà Sancte Georgi: *quibus auditis, & visis milites confestim Anglici confluebant ad Regem; & facto impetu contra hostes tam animosè institerunt, ut ducenti ex illis ceciderint interfecti.*

Eduardi tamen pietatis studium in B. Martyrem nil magis commendare videtur, quàm militaris ab ipso Ordo *Sancti Georgij* nomine, & auspicijs institutus: cujus Commilitones dicuntur *Equites Sancti Georgij*, vulgò Periscelidis, seu *Garterij*, à cærulei coloris fascia honoraria sinistram tibiam paulò infra genu substringente; & fibula aurea concordiæ, & amicitiæ inter illos symbolo, connectente: *Eduardus III. Rex Britanniæ*, inquit Silvester Petrasancta S.J. Theologus, *victorijs clarus, instituit Ordinem Equitum Auratorum, quibus est nomen à* *peris-*

Silvest. Petras. S.I. in tesseris gentilit. fol. 625.

periscelide, seu fascia crurali; nam eam proposuit exercitui tesseram prælium ineunti. Sed alij potiùs à lapsæ in chorea Joannæ Salisburiensi, Principi fœminæ, crurali institæ initium habuisse credunt. Equites gerunt fasciam cyaneam innexam aurea fibula, eâque cruris sinistri internodia circumvolvunt, & inscribunt verò eamdem Gallico lemmate: Hony soit qui mal y pense: *monile Equitum fit ex contextu plurium fasciculorum simul, & rosarum, quæ semialbæ ac puniceæ sunt: fueruntque additæ eæ rosæ discolores post conjugium Henrici VII. cum Elisabetha ex familia Eboracensi. Pendet ex monili aurea icuncula S. Georgij ordinis tutelaris Patroni.*

Franciscus Mennenius ita scribit: *Illustrissimus hic Ordo originem, ac nomen traxisse creditur ex illa Richardo facta apparitione, ut supra diximus, ac ex prima illa fascia suris circumligata: licet non desint Authores, qui hujus Garterij Ordinis periscelidem referant ad Joannam Comitem Sarisburiensem, eximiæ pulchritudinis fœminam, quæ illi in aula regia palàm saltanti casu decidit, cùmque illam Rex Eduardus è terra levasset, ejus factum taxarunt Aulici: Rex verò re ista valdè offensus, seriò affirmavit, fore ut brevi periscelis illa summo in honore ab omnibus haberetur; horumque Authorum sententiam confirmare videtur Epigraphe fasciæ cruralis litteris aureis inscripta Gallicè, quam supra citavimus Hony soit, &c. indeque Garterianum S. Georgij Ordinem sumpsisse initium.* Cæterùm quæ paulò ante scripsimus de Richardo primo magis probamus, eique regestum Vvindosorianum prorsùs confirmare videtur, cum subjungit: *Richardum posteà in Angliam reversum animo agitasse insignem aliquem Ordinem instituere, eumque Sancti Georgij nomine decorare: verùm id præstare non potuisse morte præventum: sed quod ille non præstitit Eduardum abundè complesse: illum autem instituisse anno regni sui xxiii. cùm de Gallis atque Scotis non semel illustrissimè triumphasset. Accedit quòd Eduardus in ipsa charta originaria hujus institutionis testatur, se ad honorem Omnipotẽtis Dei, ac B. Virginis Dominæ Nostræ Sanctæ Mariæ, & gloriosi Martyris Sancti Georgij, Patroni nobilissimi Angliæ regni; atque ad Exaltationem Sanctæ Fidei Catholicæ, ordinasse, erexisse, stabilivisse, ac fundasse intra Castrum Vvindesoriæ Societatem viginti sex Equitum, ut essent præfati inclyti Ordinis* Sancti Georgij, *alitèr dicti* periscelidis.

Mennenius de Ordinib. Milit. p. 521.

Regest. Vvindesor.

Camdenus de reb. Brit.

Præter alia ornamenta, quibus Commilitones statis tem-

poribus, & in publicis conventibus uti solent; ac tenentur; duo sunt veluti propria, & justa ipsius Ordinis Insignia: alterum ex ijs *Georgius* appellatur; estque imago, seu sculpta Martyris ejusdem equo insidentis effigies ex cærulea vitta, vel aurea catenula collo appensa, quam omnes ubique, ac semper gestare debent, ita ut statuto etiam cautum sit, nequis foris, palàmve compareat sine suo Georgio; nevè is oppignoretur, alienetur, vendatur, aut donetur ulla ex causa, indigentia, aut necessitate: *Insigne Georgij thoracem protegens* (ait regestum) *pectus illud in memoriam vocat, ut quemadmodùm ipse propriu s eorum Divus Christi, & sponsæ ejus fidelis Ecclesiæ, & gloriosus miles extitit, sic & ipsi Christi, Christianæque Religionis fideles milites, & propugnatores evadant.* Alterum Insigne est fascia, seu coloris cærulei periscelis sinistram suram præcingens, in qua hujusmodi lemma aureis inscriptum litteris, & lapidibus pretiosis distinctum visitur: *Hony soit, &c. ad avertendam* (regesti ipsius sunt verba) *in omni re non malè facta malam interpretationem. Additur junctura ex auro velut unitatis, & concordiæ vinculum: siquidem ut ibidem dicitur, Rex sic huic Ordini cum nominibus vestes, & ornamenta cooptavit, ut omnia ad amicitiam, & concordiam, & reliquas virtutes tendere nemo non intelligat.* Hoc etiam Insigne tamquàm constantiæ, & fortitudinis Christianæ monumentum datur; ita enim Equiti cũ inauguratur, dicitur: *Ad laudem Omnipotentis Dei, Intemeratæ Matris ejus, & Sancti Georgij Martyris cinge tibiam tuam hoc insigni subligaculo, quo videlicet moneris ut valeas; & velis in justo bello, quod solùm inibis, stare firmitèr; agere fortitèr, & vincere viriliter.* Per id etiam tempus cusa est aurea moneta, quæ ex una parte habebat effigiem Sancti Georgij, ex altera hujusmodi epigraphem:

Tali dicata signo mens fluctuare nescit.

Tanti ubique gentium habitus est hic nobilissimus Ordo ut potentissimos aliarum gentium Reges non pœnituerit in illum nomina dare, ut scribit Polydorus Virgilius; quare præter Reges Angliæ, ac innumeros ejusdem Regni Principes, & Dynastas, ultra quinquaginta numerantur, Imperatores, Reges, ac Principes, & Duces Georgiani Ordinis Equites, quos invenies apud Mennenium de Ordinibus Militaribus, & Polydorum Virgilium. Templa in S. Georgij honorem dicari cœpta à tempore potissimùm Gulielmi Conquæstoris: ac primum

Mennenius. *Polydor. Virgilius.*

mum quidem in Urbe Oxomensi Anno Domini 1074. In Castro Vvindosoriano templum nobile Regum pietate, & munificentia dignum visitur Equitum sedes, ac domicilium, in memoriam Deiparæ V. Mariæ, & S. Georgij Martyris excitatum; multis Regum privilegijs munitum, & redditibus amplis instructum, maximè Eduardi hoc nomine Tertij, Eduardi Quarti, Henrici VII. Decani tandem, & Canonicorum industriâ, sumptibusque perfectum.

Eximia hæc in S. Georgium populi, & Ecclesiæ Anglicanæ pietatis indicia, etiam tempore Henrici VIII. perdurarũt, cum omnis ferè religionis umbra cum vera Fide Catholica à regno exularet; cumque alia Sanctorum festa à sacris fastis expungerentur, hoc tamen cum paucis alijs fuit retentum. Deniq; Eduardi Regis pueri anno ultimo in Capitulo Vvestmonasterij habito, ejus festum sublatum est; decretumque ut Ordo ille militaris non *Sancti Georgij*, sed *Periscelidis* in posterum diceretur. Item ut festum dicti Ordinis non ipso Sancti Martyris die, ut antea; sed in festo Pentecostes celebraretur. Hæc invalescente per Angliam hæresi, ac procurante Seimero, nequissimo Protectore, contigerunt, ad delendam magni Martyris memoriam; & cultum penitùs extinguendum: sed uno non ampliùs anno durarunt: primo siquidem Mariæ Reginæ anno omnia in pristinum statum redierunt, decretis illis, de communi omnium Ordinum cõsensu, refixis, & abrogatis. Sancitum præterea ut Gulielmus Petri, Eques Auratus, electus per id tempus Ordinis Cancellarius, omnia illa nova statuta à libro legum publicarũ prorsùs expungeret (utor proprijs decreti verbis) ac deleret; ne ulla unquam illorum memoria apud posteros extaret. Nec ullus deinceps Regum quidquam innovavit, mutavitve; sed suus ad hanc usque diem honor S. Georgio, ejusque Ordini Equestri, & festo integer, & sacer mansit: atque etiam nunc in omnium ore versatur illud: *Saint George for England*: itaut Anno Christi 1604. quo die Jacobus Rex Scotiæ eo nomine Sextus triumphantis more Londinum invectus est, collocatæ fuerunt in loco Urbis magis conspicuo, ac cæteris editiore Sancti Andreæ Apostoli Scotorum Patroni, & S. Georgij Martyris Anglorum Tutelaris equo insidentis effigies, & Scutum præferentis Cruce rubra candidam secante areolam, amicas inter se dexteras jungentes, & utramque gentem Anglica-

Petrus Cahierus in sua Hist. Gallica lingua conscripta. Saussai. de gloria S. Andr. Apost. pag. 509.

nam,

nam, & Scotam pacis fœdere copulantes. Hæc in media Lōdinensis Urbis luce, in ipsa hæreseos arce facta fuisse legimus, Catholicis lætantibus, & plaudentibus; nec dolentibus Hæreticis, vel improbantibus.

SCO.

SCOTIA

PARS magnæ Britanniæ, regio titulo clara, pro Insignibus habet Leonem rubrum, in pedes erectum, aurea planitie exceptum, & duplicem tractum lilijs conspersum; vel, ut scribit Henricus Spelmanus in sua Aspilogia, Peribolum duplicem lilijs distinctum; in memoriam fœderis, quod olim inter se inierunt Carolus Magnus Imperator, & Achaius Rex Scotorum adversus Anglos communes utriusque Principis hostes. In Apice Leo assurgit coronatus: etsi non obscuri nominis Authores recentiori ævo affirment à Carolo VII. non Carolo Magno, Liliorum Insignia Scotis tradita; neque enim ille cū istis, sed cum veteribus Scotis Hibernis fœdus pepigit, ut solidè probat Vvardæus in Dissertatione Historica de Patria Sancti Rumoldi. Initium Scotici Regni fuit Anno Christi 1098. si credimus Genebrardo: *Anno*, inquit, *Domini* 1098. *Scotiæ Regnum incepit, ab Hadgaro primo Regis titulum, nomen, unctionem Scoti impetrarunt ab Vrbano Secundo Summo Pontifice Romano, Expeditionis sacræ occasione, cùm antea Helvetico, & Teutonico more per Hordas viverent, diversis Principibus subjecti: quare fictè Regni illius initium altius deducitur, sive à Fergusio Hiberno Anno 330. ante Incarnationem: sive ab alio Fergusio Scytha Christiano, quem Scotorum in Albionem redeuntium Regem contra Romanos effectum Palladio Evangelizante Anno Domini 441. sive à Heneto Magno, quem deletis Pictis fingunt extremam Britanniæ partē Scotiam appellasse, nam hæc carent probatis Authoribus. Ita ad hunc usque diem Reges habuere octodecim per annos quadringentos quadraginta sex.* Hæc Genebrardus; quibus, ni fallor, acriter se opponent Scoti: ea verò lentiùs, & accuratiùs examinare nostri instituti non est. Episcopatus undecim numerat Scotia Metropolitanis duobus, Andreapolitano, & Glascuensi suffraganeos; ille Regni Pri-

Henric. Spelman. in sua Aspilogia, pag. 106.

Genebrard. ad An. Christi 1116.

Aubert. Miræus in notitia Episcopat. Orbis Christ. lib. 4.

Mich. Alford. S. I. in Annalib. Eccles. Anglos. ad Annum Christi 395. tom. 1.

màs eminet, repugnante licet Eboracensi in Anglia Archiepiscopo, ad cujus olim Provinciam pertinebat: a Sixto IV. PP. Max. creatus Anno 1471. regnante Jacobo III. cui etiam competebat Præsuli sacro oleo Reges inungere, cum Regni possessionem adibant, ratione Privilegij Scotiæ Regibus concessi à Joanne XXII. Anno 1329. etsi Genebrardus illud attribuat Urbano Secundo, Joanne antiquiori. Non erit abs re hic apponere Hectoris Boethi testimonium: *Subjugavit*, inquit, *Pictos Kenetus Rex Scotorum, illudque regnum suo adjuxit, sub Annum Christi 840. Tunc ab Aberneti oppido deleto funditùs ad templum Sancti Reguli Sedem Pontificiam transtulit; exinde* Sancti Andreæ *nomen Vrbi factum*. Hectoris vestigijs insistit Buchananus, Author Hæreticus; & Camdenus in Scotiæ Descriptione: *Oegus, sive Hungus*, scribit is Author, *Rex Pictorum Deo, & Sancto Andreæ dedit, ut esset mater, & caput omnium Ecclesiarum in Regno Pictorum*. Quæ sano sensu debet intelligi juxta ea quæ supra diximus; nam Sixtus IV. Jacobo III. regnante, Scotiæ Primatem, & Archiepiscopum Metropolitanum, Sancti Andreæ Præsulem instituit; ut etiam notavit Ferrerius in Appendice ad Historiam Hectoris Boethi.

Hector Boethius de reb. Scot.

Joan. Ferrerius in Appendic. ad Hist. Hector. Boethi.

Illud hic advertere oportet, longè aliter sentire solitos, ac scribere Hibernos de Rebus, ac Regibus Scotiæ, ac sentiant, scribantque Scoti: sive id tribuas contrarijs, & innatis utriusque gentis genijs, & studijs; sive Scotorum Recentiorum ingenijs, artibusque assignes, qui multa sibi arrogare dicuntur, quæ ad Hibernos propriè dictos jure suo pertinere videbatur. Sic Scoti primum sui Regni Apostolum, & Fidei Christianæ Magistrum Palladium fuisse memorant, eò prædicandi Evangelij causa missum à Cælestino I. Pótifice Romano; cui successit Sanctus Patritius, doctrinæ, & pietatis fama clarissimus: Hiberni contrà sentiunt; nam Sancto Columbæ (sic vocant) hunc Primatûs honorem deferunt, Primo scilicet Pictorum, & Scotorum Apostolo: nec Palladius, nec Patritius prædicare Evangelium potuerunt Britanniæ Scotis; qui nec coloniam quidem in eadem Insula habuerunt ante Annum Christi quingentesimum, si fidem habemus Vvardæo, & alijs Hibernicæ gentis Scriptoribus.

C. Baron. in Annal. Eccl. ad An. Christi 429.

Marian. Scotus rer. Scot. lib. 5. reg. 42. Bolland. & Henschen. S. I. in Actis SS. ad diem 24. Januar.

Vvard. de Patria S. Rumoldi.

Colgan. in sua Triade Thaumaturga.

Superiore nobis sæculo Scoti ejurata Religione Catholica Romana, & neglecto Sanctorum cultu, ad Novatorum hæ-

hæreſes defecerunt, & gravem levitatis notam, infamiamq; ſibi conflarunt. Ne tamen frontem cum pudore ſimul abjicere viderentur, & Andreani nominis memoriam penitùs abolere, cui ſe Apoſtolo multis titulis, cum ſuis Maioribus obſtrictos eſſe ſciebant, eundem ab iſtis olim Patronum jam delectum, hac etiam ætate ſibi retinere voluerunt; idque politici, & civilis magis officij, quàm pij, ac religioſi tituli, & obſequij argumento.

Rationes, quæ impulerunt Scotos ut S. Andream Apoſtolum Patronum ſibi aſſumerent, hæ fuerunt, inſignes ipſius Reliquiæ in Scotiam olim adductæ, & innumera beneficia cùm Regibus, tùm Reipublicæ à Deo, ejus meritis, precibusque conceſſa. Quod attinet ad primam: Regulus Albatus eximia probitate Monachus, natione Græcus, Patris, Urbe Achaiæ, divino monitus oraculo, Sancti Andreæ Reliquias invenit, nempe os brachij, tres digitos; tres etiam alterius pedis articulos (etſi Andreas Sauſſaius brachium ijs adnumeret in opere, quod inſcripſit; *de gloria Sancti Andreæ Apoſtoli*) quas lignea capſa decentèr incluſas, conſcenſa protinùs nave, ſecum detulit in Luſitaniam; ibique brevi moratus, Septentrionem verſus, quò ſe divinitùs ſentiebat impelli, vela faciens, ſecundo navigationis curſu ad Otholiniæ (modo S. Andreæ) in Albione Inſula portū appulit. Regnabat per id tempus in ea regione Hergustus (Hungus à multis dictus) Pictorum Rex, qui rei tantæ excitus nuntio, & ſtudio incenſus Reliquias adorandi, divini Numinis providentia ad ſe allatas; nulla interpoſita mora, ad portum venit, cū univerſæ nobilitatis flore, & innumera populi multitudine: ibi flexis in terram genibus Reliquias Apoſtoli veneratus, alijs, ut idem facerent, præivit exemplo: mox Aulam Regiam pretioſis tapetibus ornatam Regulo Albato donavit, ut in ea ſacras Exuvias collocaret. In proximo etiam Aulæ loco templum ædificari curavit regia pietate, & munificentia dignum, quod procedente die, Scotiæ totius Primatis, & Archiepiſcopi Andreani ſedes eſſet. Id multis ex auro atque argēto vaſibus, & donarijs ornavit, & annuis reditibus inſtruxit: adjecit ingentes è ſolido auro ſtatuas duodecim Apoſtolorum ad augendam templi maieſtatem, & religionem; nihil omiſit Rex pijſſimus, quod ad Dei gloriam, & Apoſtoli honorem pertinêret.

Sauſſai. de gloria S. Andr. Apoſt.

Michael Alfordus S.I. tom. 1. Annal. Ann. 395. p. 488.

Andr. Sauſſaius de glor. S. Andr. Apoſt. pag. 489.

Hungi exemplum secuti hæredes Regni, & successores nonnulli, donec ijs cum universa Pictorum gente deletis, ac penitùs extinctis, Scotiæ Reges Apostolici cultûs, & amoris in Andreàm memores, illum sibi Patronum non tam denuò crearunt, quàm confirmarunt; & ipsius Ecclesiam, cum vicino Monachorum Cœnobio multis muneribus, & amplis privilegijs affecerunt; Malcholmus præsertim, & Robertus Brussius eximia pietate, & prudentia Principes. Ædificata eo in loco Urbs Andreana, alio nomine Andreopolis, successu temporum crevit non tam civium numero, & opum affluentia, quàm incolarum pietate, & Fidelium concursu ex Anglia, Germania, Gallia, Belgio, & Hibernia eò, religionis causa, confluentium, ut constat ex his carminibus à Nicolao Harspsfeldio adductis:

Nicol. Harspsfeld. lib.3. Hist. Anglic.

Huc etenim veniunt orare remota tenentes
Castra viri, patrio turba profecta solo.
Francus magniloquus, belli Normannus amator,
Textor Flandrensis, Teutonicusque rudis.
Anglicus, Almannus, Hollandus, Pictavus expers
Velleris, & cædis Andegavensis amans.
Qui Rhenum, Rhodanumque bibunt, Tyberimque potentem
Andreæ veniunt hùc adhibere preces.

Et qui Regis Henneti Author descripsit leges, testatur multos Andreopoli vixisse Præsules doctrinæ, ac pietatis laude celebres; addit in fine hæc verba: *Caterùm tanta reverentia inter homines, tantaque vita innocentia, & erga Deum pietate sacer Divi Andreæ Pontificatus à sui institutione longa Episcoporum serie, à tempore quo hæc commentabamur, est continuatus (sex enim supra triginta Antistites, & horum complures inter Divos relatos illic sedisse perhibent) ut nusquam gentium veræ religionis cultus, morum consentiente probitate, magis effulserit.* Ita is Author scribit ab Alfordo nostro citatus; quibus refragatur Vvardæus pagina 171. & sequentibus, ubi paucos admodùm in Albania Episcopos fuisse tradit ante Annum Christi 1124. eosque Abbatibus Hiensibus subjectos, Sancti Columbæ Pictorum, Neoscotorumque Apostoli successoribus; deinde Archiepiscopis Armachanis in Hibernia subditos fuisse scribit; ac demum Eboracensibus in Anglia metropolitanis: quæ nos Scriptoribus Scotis examinanda relinquimus. Illud hìc advertendum; non deesse Authores, qui affirment,

Author Anonymus.

Alford. S.I. in Ann. Ecclesf. Anglic. ad Ann. Christi 840. pag. 60.

Vvard. in Dissert. Hist. de Patria S. Rumold. a p. 171.

Episcopalem à Kenneto Rege apud Pictos sedem ab Oppido Abbernnethio ad S. Andreæ, alio nomine Sancti Reguli, templum fuisse translatum; & si alij ab Hungo Rege id factum esse existiment, de quibus fusè noster Alfordus supra citatus. Certius nobis constaret de patrocinio S. Andreæ erga Scotos, si extaret Venerabilis Bedæ liber, *De sacra B. Andreæ memoria apud Scotos* inscriptus, qui tamen perijt cum alijs ejusdem Doctoris elucubrationibus.

Alia eligendi Patronum S. Andream ratio fuit, illius in Scotiæ gentem, Regesque amor, multis beneficijs confirmatus: unum ex ijs insigne, & palmarium seligemus; inde facile erit de reliquis conjecturam facere. Athelstanus Saxonum Rex, & Merciorum delecto è varijs, & bellicosis gentibus exercitu Scotiam invasit; Urbes vi cepit, ac diripuit, agris vastitatem intulit, pecora abegit, cuncta ferro flammisque fædavit: graviora paranti inferre exiguis militum copijs instructus Rex Hungus occurrit; Scotos belli socios, & fortunæ vocavit: cæterùm cùm se videret hostibus longè imparem viribus, à Superis popoſcit opem, & Sancti Andreæ tutelæ se cum subditis sibi populis, militibusque commisit: nec incassùm fusæ preces: sequenti quippe nocte Andreas specie humana augustiori dormienti apparuit, eumque bono animo esse jussit, fiduciam in Deo reponere, de victoria minimè dubitare; divini Numinis opem certò sibi affuturam sperare. Rex ad has voces experrectus, ac cælesti nuntio confirmatus, corripuit è stratis corpus: Regni statim Principes, & exercitûs Duces ad se vocari præcepit, ijsque totius rei seriem, ut sibi in somnis evenerat, exposuit. Plenam dictis fidem fecit visa paulò post in aere Crux Andreana, purissima circumfusa luce, & radios, solis instar, in orbem effundens; cujus aspectus Scotis, & Pictis animos fecit, Anglis verò multum terroris incussit. Eo cæli ostento lætus, & alacris Rex Hungus aciem confestim instrui jubet, educi copias, ordines militari more explicari, tubis canere, Andreæ nomen magnis vocibus inclamare, & hostes celso animo aggredi. Jussum, factum. Non tulere Pictorum impetum hostes; injecta divinitùs perculsi formidine, & cælestis in aere crucis aspectu territi, terga subitò verterunt: fæda fuga fuit; nec minor cædes, vix tantæ cladi superfuere trecenti. Rex ipse Athelstanus fortissimè pugnans occubuit, & loco

Hector Boeth. l. 10. rer. Scot. p. 247.

Ludov. de la Cerda S. 2. de Angel. Cust. cap. 27.

Mich. Alford. S. I. in Annal Eccl. Britan. Anno Christi 395. & 815.

Andr. Sanssaive de gloria S. Andreæ pag. 489.

prælij memorabile *Athelstani* nomen fecit. Michael Alfordus pugnatum fuisse scribit in confinijs Merchiæ, & Laudoniæ Anno Christi 395. quem Lector curiosus consulat, si velit. Hungus tam illustri parta victoria, ad S. Andreæ; cui victoriam ferebat acceptam, nudis pedibus templum ivit, ibique humi prostratus, cum toto simul exercitu, Patrono suo grates egit, & detracta hostibus spolia supplex obtulit: solemni præterea voto se, suosque perpetuo obstrinxit præferendi crucem Andreanam vexilli regij loco, quotiescumque Picti bellum gererent adversus patriæ, aut religionis hostes; ut ijs grati animi significationibus, accepti Andreæ precibus, beneficij memoriam aleret sempiternam; qui mos obsequij, & pietatis plenus, deleta jam penitus Pictorum gente, ut supra diximus, penes Scotos mansit, vigetque ad hanc usque diem sacer, & integer, multis licet contra Fidem Catholicam, & Sanctorum cultum erroribus infectos: ut apparuit eo ipso die, quo Jacobus hoc nomine Sextus, Rex Scotiæ, demortua Elisabetha, Anglici Regni legitimus fuit hæres declaratus, & Londinum, Angliæ caput, solemni pompa, triumphantis more invectus est, ut sceptri possessioné adiret; in primaria urbis platea eminéti super cógesta tabulata strato belluatis tapetibus cooperto Sancti Andreæ Apostoli, & Sancti Georgij Martyris Scotiæ, & Angliæ Patronorum statuæ visebantur supra idoneas bases collocatæ, amicas inter se dexteras jungentes, ut illo amicitiæ symbolo significarent, initum jam esse inter utramque gétem perpetuæ pacis fædus, & mutuam animorum concordiam, junctis inter se dexteris confirmatam.

Petr. Cabierni in septenn. Hist. Anno 1604.

Saussai. de gloria S. Andr. Apost. part. 2. pag. 509.

Ex ijs, quæ diximus satis constat non solos Burgundiones in Gallia, sed etiam Scotos in Britannia pro Insignibus habere, vel anteactis habuisse seculis Crucem Sácti Andreæ, non Rectam, sed Decussatam; ipsumque Apostolum utriusque gétis esse Patronum. Eo etiam nomine Scoti, & Burgundiones inter se convenire vidétur quòd his Apostolus Andreas olim Christi Fidem prædicasse traditur, dum ij suis adhuc sedibus in Scythia morarentur: illis verò quia Bonifacius Papa VIII. in Epistola ad Odoardum I. Angliæ Regem sic scribit: *Noscere potest, ait, Regia celsitudo tua qualitèr Scotiæ Regnum per B. Andreæ venerandas reliquias, non sine superni Numinis grandi dono acquisitum, & conversum extitit ad Fidei Catholicæ unitatem.*

Vvestmonast. Anno 1501.

Alford. in Annal. Anglosax. ad Ann. Christi 395.

tatem. Ita refert Matthæus Vveſtmonaſterienſis; & ex illo noſter Alfordus in ſuis Annalibus. Appoſitè ab Scotis Crux in bellicis vexillis præferri ſolita, quemadmodum, & à Conſtantino Magno in proxima nato Anglia, quæ tum *Britannia* dicebatur, ſalutare Crucis ſignum in Labaro Imperatorio expreſſum præferri conſuevit, in ſymbolum victoriæ, & pignus felicitatis.

HIBERNIA, SEU IBERNIA,

ALIO nomine Irlandia, Oceani maris Insula magna, Britanniæ proxima, fæcunda campis, sed viris Sanctis fæcundior, quorum examina superioribus fudit sæculis in alias Catholici orbis regiones, indeque *Sanctorum Insula* audijt; quam ob rem Divus Bernardus ita scripsit: *Ex Hibernia in exteras nationes, quasi inundatione factâ, Sanctorum examina prodierunt.* Et Gaufridus: *Quot Cælum stellis, tot Sanctis Hiberniam ornari tradit.* Marianus Scotus, Hiberniam Sanctorum Insulam sanctissimis viris plenam esse affirmat. Recentiori etiam ævo magni nominis Scriptores Hibernorum fidem, & constantiam in tuendâ, & conservandâ Religione Catholicâ summis extollunt laudibus. Thomas Bosius: *Nulla*, inquit, *ex Borealibus gentibus Hibernicâ constantior in eodem cultûs unius consensu fuit.* Andreas Thevetus Galliarum Regis Cosmographus ait: *Populum Hibernicum Christianam Religionem integram tenuisse, invitis Anglis, qui omnes vires suas ad eos pervertendos, & in suam execrabilem sectam trahendos intẽderunt.* Aubertus Miræus: *Hibernos quasi quadam naturæ ductu, & spontaneâ inclinatione Religionis Catholicæ studiosissimos esse.* Idem testatur Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus in Commentario de Hibernia ad Clementem VIII. PP. Max. & David Rothæus Episcopus Ossotiensis, Henricus Fizimon S.J. Gratianus Lucius in suo Cambrensi everso, Cardinalis Bentivolius, Floremundus Remundus, Cardinalis Baronius, Nicolaus Orlandinus Societatis nostræ Historicus; ut

Philipp. Osullevani in Compend. Hist. Cathol. lib. 1. & 4.

Thom. Bosius de sign. Eccl. tom. 1. lib. 8. c. 1.

ijs antiquiores omittamus Jonam Abbatem in Vita Sancti Columbæ, & Theodoricum in Vita S. Rumoldi.

Scotiæ nomen habuit olim, eòque passim à Divo Isidoro, Jona Monacho, Venerabili Beda, alijsque viris doctis appellatur. A S. Petro Apostolorum Principe, ut nonnulli existimant, Evangelij doctrinam hausit; vel, ut alij tradunt, à S. Jacobo Maiore, Apostolo. In Jacobum magis inclinat animus, Hispanorum Patronum, ac Magistrum, cùm ab ijs Reges etiam, & publicæ libertatis vindices acceperit: & ab Hibero Hermonij fratre, vel, ut alijs placet, ab Ibero Hispaniæ fluvio, *Ibernia*, paucis litteris mutatis, nomen traxerit. (Hibernia ab hiberno tempore, quod ibi longum est, dicta putatur scribit Michael Antonius Baudrand in Lexico Geograph.) Fiacrio regnante, ferunt, eò appulisse Jacobum, incolasque Christianis præceptionibus imbuisse. Illud multorum confessione liquet, ante Palladium, & Patritium Hibernorum Apostolos, non paucos in eâdem Insula floruisse viros sanctitatis, & doctrinæ famâ illustres. Palladius à Cælestino I. Romano PP. annuntiandi Evangelij causâ, in Hiberniam missus, quæ tum temporis *Scotiæ* nomine vocabatur, paucos ad Christi Fidem convertit; & tres in Lagenia Ecclesias ædificavit: in Urbem rediens intra Pictorum fines, facto concessit; cui S. Patritius Apostolicô plenus spiritu successit, cæptumque ab illo prædicandi munus, onusque animosè suscepit, & feliciter absolvit.

Flavius Dexter.

Hibernia quatuor habet Archiepiscopos; Armachanum totius Insulæ Primatem, Dublinensem, Cassiliensem, & Tuamensem Eugenij III. PP. authoritate non tam institutos (quos aliquot ante sæculis fuisse constat) quàm pallijs donatos à Joanne Paparone Sedis Apostolicæ Legato Anno salutis humanæ 1151. teste Cardinale Baronio; & si Camdenus Hæreticus referat ex Philippo Flateburiense, illos ejusdem Pontificis mandato creatos esse Anno 1152. per Christianum Episcopum Lismoriensem eâ in Insula Pontificis Legatum. Nonnullos tamen ex ijs sæpè à Romanis PP. multò ante pallia accepisse probat fusè, & eruditè Vvardæus toto §. 9. pag. 149. & sequentibus, præsertìm 163. 164. Ijs, seu Metropolitanis suberant olìm supra triginta Episcopatus, quorum Sedes maiori nunc ex parte jacent Catholicis, ac legitimis Pastoribus destitutæ, ab Anglis mercenarijs, seu lupis rapacibus oc-

Aubert. Miræus in notit. Episcop. orbis Catholici.

cu-

curatæ. *Angliæ* Reges *Hiberniæ Domini* jam indè ab Henrico II. non verò à Joanne, ut aliqui Authores scribunt; usque ad Henricum VIII. qui primus se *Regem Hiberniæ* inscripsit; dicti sunt, ex vi indulti Adriani IV. Angli natione, Rom. Pōtificis, Regibus concessi; ea tamen conditione, ut incolas à suis erroribus ex parte infectos ad veterem benè vivendi formam reducere conarentur: imposita etiam annua pensione de singulis Insulæ domibus Rom. Ecclesiæ persolvenda. (Id tamen Adriani PP. indultum, subreptitium, & nullum omninò fuisse, multis, & solidis rationibus probant Scriptores Hiberni, præsertim Constantinus Marullus, nobis olim notissimus Author, in sua Disputatione Apologetica, de Jure Regni Hiberniæ, sect. 3. fol. 18.) Regis titulum Paulus IV. confirmavit Anno 1556. cùm Philippus Rex Hispaniarum, & Maria conjux Legatos ad Urbem miserunt, ut obedientiæ obsequium Summo Pontifici, seu legitimo Christi in terris Vicario, consueto more deferrent. Cæterùm ex quo Henricus II. & illius in regno successores Hiberniam suæ ditionis fecerūt, dominantium habitu, fastuque assumpto, vetera, & sancta regionis instituta, legesque à maioribus traditas antiquarunt, & novas subinde sanxerunt communi Reipubl. bono, & utilitati contrarias. Grassante posteà per Angliam, superiori sæculo, hæresi, & ingentis incendij more, cuncta depascente, in Fide Catholica Romana constans perstitit gens Hibernica, ab Anglis licèt multis modis exagitata; & gravissimis affecta supplicijs; quam ad hanc usque diem retinet puram, & nulla hæresum labe inquinatam. Unde meritò corrigendus videtur Ludovicus de Bavia, Author Hispanus, qui tertia parte suæ Historiæ Pontificalis; & Catholicæ; contrarium scribit de Provincia Hiberniæ Orientalis Ultonia: *Hibernos pessimè habitos fuisse ultimis temporibus ab Anglis, qui totam Insulam ferro, flammaque vastarunt, & magnam incolarum partem in Virginiam Americæ Septentrionalis regionem transportarunt.* Baudrand. tradit. Insignia Hiberniæ sunt, grandior Davidis Lyra aurea, fidibus argenteis, cæruleo campo excepta: etsi Petrasancta illam collocet intra parmulā ostro illusam, cum Marsilio Gilberto.

Constant. Marullus de jure Regni Hibern.

Philipp. Ossullevan. tom. 2. lib. 2. pag. 74. 75. item tom. 3. l. 1. pag. 116. 117.

Aubert. Miræus in notit. Episcopi orbis Catholici, verbo Hibernia.

Michael Antonius Baud. and. in Lexico Geograph. II. Hibernia.

Silvest. Petrasancta de Tesseris Gentilit. p. 519.

Tres Cælites à multis jam seculis Hibernia Patronos colit, Patritium Episcopum, Columbam Abbatem, Brigittam Virginem: qui tres Davidis Regis fortes famâ celebres repræsentant;

Fr. Joan. Colganus Minorita in sua Triade Thaumaturgica.

Thom. Messingam. in Flor. SS. Hibern.

tant; ijs, seu triplici muro, Insula cingitur, ac munitur; seu tergemino diademate, è medio assurgens pelago, Regina Oceani coronatur. Pulchrè dictum à Davide Rothæo, Episcopo Ossoriensi: in singulis Ordinibus sub ipsam Hibernicæ Ecclesiæ nascentis auroram floruerunt illustria capita: Sanctus Patritius caput Ordinis Hierarchici; Sanctus Columba ordinis monastici; Sancta Brigitta fœminei sexûs Sanctimonialium. Patritius Hibernus patriâ fuisse creditur, in regione Alcludensi natus Anno Christi 377. vel Anno 372. ut scribit Osullevanus: quamquàm hostet Alfordus cum alijs sui sensus Authoribus, in ea magnæ Britanniæ parte, quam posteà Angliam dixerunt, lucem vidisse tradat. A Cælestino I. PP. Max. multarum gentium Pater, & Apostolus electus Patritij nomen accepit; ad eum ferè modum, quo Venefredo, seu Vvinfrido Anglosaxoni Gregorius II. Papa *Bonifacij* nomen imposuit, cùm illum designavit Germaniæ Superioris Apostolum. In Hiberniam missus Anno Christi 432, vel 431. Leogarium Regem, aliosque viros Principes cum subditis sibi populis ad Christi Fidem convertit: plures instituit Episcopatus; innumera ubique templa excitavit: clarissima edidit miracula, ut fidem, quam prædicabat, ijs confirmaret: &, quod insolens, & inauditum est, Ignem purgatorium in quadam Ultoniæ provinciæ Insula perpetuum, fusis ad Deum precibus, adinvênit, & incolarum oculis palàm exposuit, ut illius aspectu, terroreque pænarum flagitiosis incusso, eosdem ad meliorem frugem reduceret, & in Christiano officio contineret. Etsi non desint Authores, qui id tribuant Divo Patritio Juniori, qui non fuit Episcopus, sed Abbas; floruitque circa annum 850. de quo meminit Joannes Bromtonus in Chronico Henrici II. Angliæ Regis.

Author Vitæ tripart. S. Patritij.

Mich. Alford. S. I. lib. 1. Annal. Eccles. Britan. ad An. Christi 361. fol. 456.

Philipp. Osullev. lib. 1. Decad. Patritij cap. 3.

Constantin. Marullus in Disput. Apologetic.

Richard. Convans S. I.

S. Patritij vitam, Actaque fusè describunt Joannes Bollàdus, & Fridericus Henschenius Societatis nostræ Presbyteri, tomo 2. mensis Martij, quos Lector curiosus consulere, si velit, potest. E vivis cessit Sabhallæ Anno redempti orbis 491. vel 493. vel 494. ut alijs placet. De loco sepulturæ magna est inter Scriptores dissensio. Angli corpus apud se habere contendunt in Cænobio Glastoniensi. Verosimilius est Urbes Dunensi Ultoniæ regionis metropoli asservari, cum sacris simul corporibus Columbæ Abbatis; & Brigittæ Virginis; quam nos quoque probamus sententiam, firmis rationibus ni-

Osullev. in Decad. Patrit. lib. 8. cap. 9.

Girald. Cambrens. in Topograph. Hibern. di. 2. cap. 3.

nixam; vetusta, & constanti apud Hibernos traditione firmatam, multis illustratam miraculis, & Officij Ecclesiastici authoritate munitam. Accedunt ad fidem dictis faciendam innumeri diversarum gentium Authores, qui animo à partium studijs alieno scripserunt. Extant in rem nostram hujusmodi versus trium Sanctorum tumulo inscripti:

Malmasbur. apud Spelmanum in Apparatu ad Conc. Britan.
Alford. in Annal. Anglos. ad Ann. Christi 422. & 1186.

In Burgo Duno tumulo tumulantur in uno
Brigida, Patritius, atque Columba pius.

Aliud distichon adducit Ossullevanus:

Brigida, Patritius, Duni, placidusque Columba:
Conjunctis tumulis corpora sacra cubant.

Anno Christi 1185. inventa in eâdem Urbe Dunensi horum Sanctorum corpora fuerunt in Ecclesiam Cathedralem magna cum celebritate translata die XI. Junij, impigram in id operam dante Malachia Episcopo, ut suo loco dicemus. Illud omnium confessione constat, primarium Hiberniæ Patronū esse Beatum Patritium: in vetusto enim Officio Ecclesiastico illius Insulæ sic habetur: *Gloriosorum Hiberniæ Patronorum Patritij Archiepiscopi Primatis, & Apostoli, atque Sancti Columbæ Abbatis, & Sanctæ Brigittæ Virginis memoriam dignis laudibus recensentes, piæ mentis celebremus affectu*: Richardus Convæus S. J. sic scribit: *S. Patritius Hiberniæ celeberrimus Patronus habetur.* In eumdem ferè modum loquuntur reliqui Authores Hiberni, præsertim Colganus, Ossullevanus, Meslinghamus, Constantinus Marullus, David Rhothus, Vvaræus. Vvilhelmus Malmesburiensis antiquus, & gravis Author, apud Henricum Spelmanum, in Apparatu ad Cōcilia Britanniæ ita scribit: *S. Patritius requiescit in dextro latere altaris vetustæ Ecclesiæ Glastoniensis in pyramide saxea, quam argento vestivit posterorū diligentia: hinc Hibernis mos inclytus ad exosculandas* Patroni *sui reliquias locum frequentare.* (existimat enim cum suis Anglis Guilhelmus, apud se habere S. Episcopi corpus.) Prodijt in lucem liber, inscriptus: *Trias Thaumaturga*: hoc est, de tribus Hiberniæ Patronis, Patritio, Columba, & Brigitta; Authore Fr. Joanne Colgano Minorita, Sacræ Theologiæ professore, viro valdè erudito, & sacrarum Hiberniæ rerum benè perito; qui id ut certum supponit; & pueris etiam abecedarijs notum. De tempore, & anno, quibus fuit creatus Hibernicæ gentis Patronus, ne verbo quidem hic Author, nec alij, quos viderim, meminerunt. Meritò credimus post ipsius sta-

Officium Eccles. de S. Patritio.
Jacob. Usser. de Britan. Antiq.
Colganus in Triad. Thaumaturg.
Richard. Convæus S. J.
Vvilhelm. Malmesburiens.
Henric. Spelman. loc. cit.
Fr. Joan. Colganus Mino.

tim obitum eo affici titulo cœpisse: vel à tempore translationis ipsius corporis sub Malachia Juniore Episcopo Dunensi factæ anno 1185. ut suprà diximus; vel anno 1174. ut scribit Ossullevanus: seu, quod verosimilius videtur, sub Loamo Episcopo, occasione insignis cujusdam miraculi tum temporis editi Patritij ope, & intercessione: ab illo enim tempore, aucta mirum in modum fuit erga S. Episcopum Fidelium pietas; & magnus peregrinorum concursus ad venerandam ipsius memoriam fieri cœpit. Crevit annorum cursu incolarum amor, & cultus: erecta ubique templa: vota nuncupata: & Ecclesia, quæ sacrum illius sepulchrum sinu complectitur, multis cœpit ornari tabellis votivis, & anathematis, seu trophæis egregijs Patritianæ gloriæ, & pietatis argumentis. Ab illo visus fuit aliquando erumpere flammarum globus, instar ingentis Cometæ, & lucem circumquaque diffundere: quo moniti ostento cives, & sacro quodam horrore perculsi, maiori deinceps cœperunt locum religione colere, & B. Patritij memoriam, omnibus, quibus poterant modis, celebrare. Causæ eligendi Patritium Hiberniæ Patronum fuerunt, illius natales, & per eamdem Insulam Apostolatus: vita ibidem sanctissimè traducta, innumeris illustrata miraculis; beneficia etiam suis collata gentibus. Sacri demùm corporis thesaurus Dunensi in Urbe reconditus.

Ossullev. in Decad. Patrit. lib. 8. c. 10.

Nec verò unius Insulæ amplæ licèt, & opulétæ, finibus se cõtinuit S. Præsulis nomen, & patrociniũ; sed Oceanũ transgressa in Galliam, Belgiũ, Italiam, Hispaniam, & Lusitaniam pervenerũt. Visuntur Romæ, Parisijs, Hispali, Ulyssipone Hibernicæ gẽtis Collegia, & Seminaria D. Patritij titulo, auspicijsq; fundata, sub cujus se tutelâ, & umbrâ vivere alumni profitentur: in quibus præstanti ingenio adolescentes rebus ad vitæ usum, & studiorum exercitia necessarijs abundè instructi; & ad Fidei Catholicæ normam rectè educati, quas illic disciplinas in fonte religionis hauserunt, eas suo deindè tempore foràs effundunt; & undè parùm culti exierant, in easdem regiones jam exculti, ac benè periti redeuntes, Catholicam Religionẽ docent, hæreses evertunt, vitia extirpant, virtutes inserunt, & gentiles suos ad æternam salutem, Deo favente, & Patritio opitulante, perducere non desistunt.

S. Columba Monachus.

Sanctus Columba gente Hibernus, professione Monachus; dignitate, & officio, Pictorum, qui Septentrionalem

Bri-

Britanniæ partem habitabát, Apostolus, & Magister, ex Hibernia in Britanniam venit anno, ut ferunt, Christi 565. quam doctrinæ Catholicæ splendoribus illustravit, & sanctæ vitæ exemplis ad virtutum amorem, & studium vehementer accendit. Nobile in Hiensi Insula Cænobium condidit: nec Luxoviense in Gallijs; nec Bobiense in Italia fundavit, aliaque alijs in locis, ut nonnulli Authores, rebus minùs benè exploratis, scripserunt; sed S. Columbanus, cujus vitam, regulá monastica, Actá illustria, Fratres Minoritæ Collegij S. Antonij Lovaniensis, unico volumine comprehensa nuper ediderunt in Belgio; quæ nec Romæ, nec Ulyssipone videre potuimus. B. Columba, de quo agimus, Hiberniæ Patronus, nullibi extra hanc Insulam, & Britanniam vixisse legitur, ut viri rerum Hiberniæ peritissimi observarunt. Decepti sunt igitur multi aliarum gentium Scriptores nominum similitudine, Columbæ, & Columbani; & quæ unius erant propria, alteri tribuerunt. Sanctè obijt in Insula Jona, seu Hiensi, una Hebridum, anno 614. vel 615. Heraclio Imperatore, Summo PP. Deus dedit: Alfordus, & Ossullevanus affirmant decessisse anno 597. quod lentiùs examinare, officij nostri non est. Indè in Hiberniam corpus translatum fuit, & in Urbe Duna, unà cum Sanctorum Patritij, & Brigittæ corporibus in uno, & eodem tumulo conditum: quibus plenam fidem adstruit Joannes Henrici II. Angliæ Regis filius, à quo horum trium Divorum corpora in eâdem Urbe inventa fuerunt anno Christi 1185. additis tumbæ versiculis, quos suprà citavimus. Hiberniæ Patronum esse à multis jam seculis certo certius est: Adamannus quippè Abbas Hiensis, antiquus Author, ejus vitæ initio sic scribit: *B. nostri Patroni vitam descripturus.* Magnus etiam Odonellus, vir sanguinis claritate, & doctrinæ præstantiâ illustris, in vita S. Columbæ, quam materno sermone conscripsit, Columbam *Hiberniæ Protectorem* appellat: eumdem illi titulum attribuit vetustus admodùm Scriptor apud Canisium. Colganus, Convæus, Ossullevanus, Marullus, Messimghamus, & alij, quos longum esset recensere, tum gentiles, tum externi Authores eum Hibernicæ gentis Patronum, ac Tutelarem passìm appellant: &, quod caput est, officium Ecclesiæ Hibernicæ eo honoris titulo Columbam afficit, atque de illo, tanquàm de Patrono, uti & de SS. Patritio, & Brigitta recitare præcipit sub ritu duplici, cum octava,

Vvestmon. in Flor. Hist. ad An. Christi 566.

Minoritæ Lovan.

Capgravius in ejus Vita.

S. Adamanus in ipsius Vita.
Canisius tom. 4. lect. Antiquar.
Jonas in reb. gestis S. Columbæ.

Girald. Cabrensis.
Adamann. Abbas Hiensis.
Odonellus in Vita S. Columbæ.

Ss ij In-

Inter primarios etiam Patronos Angliæ numerari, Odonellus, & Colganus affirmant jam indè à tempore Osswaldi Northumbriæ Regis, & Martyris; eo nomine; quòd ipsius intercessione ingentem Britonum exercitum exiguâ militum manu fudit, fugavitque, & Angliæ monarchiam, partâ victoriâ, stabilivit. De tempore, quo electus est Hibernorum Patronus; altum apud Scriptores silentium: si docerem, cujus vestigijs insisterem, haberem, affirmarem, electum fuisse post ejus corporis in Ultoniam translationem: aucta namque eã occasione Hibernorum fuit religio, & pietas erga Columbam: accessere illustria miracula: & innumera beneficia, in suos clientes, ejus ope, & favore, collata.

Offic. Eccl. Hibern. Odonell. l.3. c.66. Colgan. ad finem Vitæ ejusdem Beati Columbæ.

S. Brigitta V.

Brigitta, Virgo purissima, in provinciâ Lagenensi splendidos natales habuit; S. Patritij discipula, æmulaque virtutum: Martyrologium Romanum in Scotiâ natam esse confirmat; hoc est in Hibernia, quam veteres Historici eo passim nomine vocabant. Kalendis Februarij illius festum agitur, magnâ apud Hibernos, Scotos, Anglos, Belgas, & Germanos celebritate: tam illustris enim hujus B. Virginis memoria existit, ut secundùm Deiparam, nullam Sanctarum fæminarum ij populi pari pietatis sensu venerentur; ut multis prosequuntur Scotus, Boethius, Colganus, Convæus, & Stephanus Vitus Societatis nostræ Theologus. Camdenus ipse hæreticus, de illa in hunc modum scribit: *Brigida Virgo sanctitate, & virginitate venerabilis per Hiberniam, Angliam, & Scotiã nominatissima.*

Cogitosus Monachus in Vita S. Brigitta Virg. Capgravius in Legendis Sanctor. Bellovac. in Spec. lib.2. c.29. Boethius Histor. Scotor. lib.9.

Circa annum, quo excessit è vitâ, discordant Authores: nobis illorum sententia magis probatur, qui assignant annum 523. Ab Urbe Hildariensi in Dunensem sacrum illius corpus translatum fuit, & in eodem, cum SS. Patritij, & Columbæ corporibus, sepulchro repositum: cursu temporis, sepulturæ memoria perijt; donec cælestis quodam lucis indicio patefacta est anno 1185. & multis subindè editis miraculis illustrata, vicinarum gentium pietatem mirum in modum accendit, & ad frequentandam peregrinationibus ejus memoriam Fidelium mentes excitavit, ut fusiùs narrant Scriptores Hiberniæ, & Scotiæ. Sacræ ejusdem exuviæ in digniorem locum translatæ fuerunt à Joanne Cardinale, Lucij III. Summi Põtificis Legato; ibique jacuerunt ad annum usque 1540. quo Leonardus Grey, Calviniana hæresi infectus, Herici VIII. nomine,

Stephan. Vitus in Vindicijs Veteris Scotij l.3. c.12. Vide Baron. in not. ad Martyr. Roman. die 1. Febr. Silvan. Razius to. 1 illustriũ fæminarũ. Dempster. Histor. Eccles. Scot. lib.2. Gyraldus Cãbrensis in Topograph. Hibern. di. 3. cap. 18. Roger. Hovedenus Ann. Christi 1177.

mine, Hiberniam gubernans, sacrum illud monumentum religione augustum, & antiquitate venerabile demoliri præcepit, & Beatorum memoriam aboleri, frementibus etiam ipsis hæreticis, & tantum scelus indignè ferentibus. Sed ultricem divini Numinis iram paucis post mensibus tam tetri facinoris Author expertus est: Regis enim sui mandato, in publico Urbis foro securi percussus meritas suæ temeritatis pœnas dedit.

S. Brigittæ caput Neostadium in Austriâ primùm: indè multis post annis, Ulyssiponem, Lusitaniæ metropolim fuit translatum à Joanne Borgia, clarissimi sanguinis Dynasta, Philippi II. Hispaniarum Regis apud Rodulphum Imperatorem Legato, qui illud cum multis alijs Sanctorum reliquijs ex Italiâ, & Germania collectis, Domûs professæ S. J. templo, pietatis causa, donavit, Alberto Austriaco per id tempus Lusitaniâ, Proregis titulo, gubernãte. Sic scribunt Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio SS. Hispanorum: Bollandus, & Henschenius in Actis SS. Januarij, & Emmanuel de Campos Lusitanus. Cæterùm Philippus Osullevanus Decad. Patrit. lib. 10. cap. 3. & alij Authores Hiberni, & Georgius Cardoso Lusitanus, affirmãt alterius S. Brigittæ caput esse, quod in Domûs professæ S. J. templo asservatur: nostræ verò caput, in Ecclesia parochiali oppidi Lumiar, tertio ab Ulyssipone lapide disjuncti asservari, contendunt: quod alijs discutiendum, & examinandum relinquimus.

Bolland. & Henschenius S. I. in Act. SS. tom. 1. Februar.

Joan. Tamayus Salazar ad 25. m. Januar.

Emman. de Campis tr. de Translat. harũ Reliq. ad D. Rochi templum.

Georg. Cardoso in Agiolog. SS. Lusit. tenor die 25. Januar.

Hujus Beatissimæ Virginis festum à multis jam sæculis in Ecclesijs Hiberniæ peculiari officio celebrari cõsuevit, in quo, gloriosa ejusdem Insulæ *Patrona* dicitur; ad eum ferè modum, quo SS. Patritius, & Columba eodem titulo decorantur: Colganus in præfatione suæ Triadis Thaumaturgæ, sic loquitur: *Divini Numinis providentia universæ nostræ gentis Divos Tutelares, & communes Patronos, suffragantibus Cleri; & communibus populi votis, & Sedis Apostolicæ confirmante authoritate, dudùm fuerunt adoptati, & assumpti SS. Patritius, Brigida, & Columba, ut ex officio Translationis colligitur; in quo hujusmodi festum cum octava, per universam Hiberniam quotannis celebrari IV. Idus Junij debere authoritate Apostolica decernitur.*

Plura hujus S. Virginis templa per omnes Hiberniæ regiones visuntur, quorum Catalogum texit in ejus Vita Colganus. Multi etiam fontes illius nomine, ac tutelâ sacri, &

Colgan. in ejus Vita.

miraculis celebres existunt: Dies præterea festus, non solùm in Ecclesiæ fastis, officijsque habetur; sed ab omnibus Hiberniæ populis communi gaudio, & singulari pietate colitur: &, quod magis mirere, perpetuus, ac immortalis ardebat ignis in Cœnobio Kildariensi à Sacris ipsius Virginibus, instar Romanarum Vestalium, usque ad Anglicanam hæresim nutritus, & conservatus.

Hæc sunt, quæ potuimus in rem nostram, hinc, indè carpendo, colligere de tribus primarijs Hiberniæ Patronis, Patritio Episcopo, Columba Monacho, Brigitta Virgine: ab ijs enixè petendum, ut Patriam velint sub sui patrocinij lucem, umbramve recipere: Catholicam Religionem, quam maiores tradiderunt, & multis confirmarunt miraculis, puram, & illibatam hac ætate incolas inter conservare: templa Catholico ritu erigi; ac dirutâ Novatorum impietate, instaurari curent, & ad veterem ornatum, splendoremque reduci: errantes etiam inter Anglorum Lupos Christi oviculas, illorum dètibus, fraudibusque obnoxias, suâ dignentur authoritate protegere, & intercessione apud Deum custodire illæsas; ut verũ semper, legitimumque Pastorem, Romanum Pontificem agnoscant; ejus vocem audiant, & mandatis obtemperent: Patritius civium suorum bono consulat, & Patriæ Patrem se esse probet; tantumque nomen impleat benefactis. Columba puram, ac sinceram fidem promovere curet, cum eximiâ pietate conjunctam, quam Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia confitetur à Deo traditam, ab Spiritu Sancto, quem Columbæ symbolum repræsentat, infusam. Brigitta Virgo, continentem Insulam reddat, & ab omni hæresum contagione immunem. Triplici illam munire pergant patrocinio; suisque apud Deum precibus instent, ut Hibernia, *Sanctorum Insula*, quemadmodùm superioribus audijt seculis, & *Romanæ Ecclesiæ filia*, hac etiam ætate audire mereatur.

PO-

POLONIA

REGNUM Septentrionis amplum, & nobile, non minùs opibus quàm armis potens, Turcarum furori, potentiæque objectum, Moscis, Tartaris, & alijs gentibus conterminum, Ducibus primùm, Regibus deinde paruit: olìm Christianam coluit Religionem, qua successu temporũ, & maiorum socordiâ prorsùs extinctâ, ad pristinam vivendi, Ethnicorum more, formam, & consuetudinem redijt, & diù jacuit avitæ superstitionis tenebris involuta, donec Miecislaus Daubravuknam Virginem, Boleslai primi Bohemiæ Ducis filiá, eâ sibi conditione despondit, ut Christo cum subditis sibi populis nomen daret. In maiorem, & minorem dividitur: illa Posnaniam habet metropolim, ista Cracoviam: Varsaviæ, quæ Massoviæ caput est, Aulam, & sedem Reges Serenissimi posuerunt. Pro Insignibus habet Aquilam albam, coronâ redimitam, à Lecho, Comite Croata Regni Polonici conditore acceptam; quemadmodùm Zechus istius frater, suæ Bohemiæ in stéma reliquit Aquilam nigram, in aurea parmula, ut suo loco diximus.

Aubert. Miræus in notit. Episcop. f. 324.

Lambert. Schafnaburg.

C. Baron. in Annal. Eccles. tom. 10. ad Ann. Christi 965.

Dubravius Episc. Olumucensis.

Joan. Tanner. S.I. in litt. ad me datis Olomucij.

Patronos, seu Divos Tutelares colit, quos in Officijs eorum proprijs Stanislaus Sokolousky, Stephani Battorei Poloniæ Regis Theologus, & Canonicus Cracoviensis, accuratè recensuit, descripsitque de mandato Synodi Provincialis, & Georgij Radzivilij Cardinalis, Cracoviensis Episcopi: Catalogum texuit in hunc modum:

S. Adalbertus Episc. & Mart. Patronus.

Sanctus Adalbertus Episcopus, & Martyr, qui relicto Pragæ Episcopatu, Evangelij prædicandi causâ, in Poloniam se contulit, eamque non multis ante annis ad Christi Fidem conversam doctrinæ radijs illustravit, & innocentis vitæ ex-

Baron. in Annalib. Anno Christi 997. Surius de Sanctis die 23. Aprilis.

emplis ad sectandam virtutis viam accendit. Renuntiatus deinde Episcopus Gnesnensis; ea Ecclesia per aliquot annos ritè administrata, Evangelicæ veritatis lucem in Prusiam invexit vana Idolorum superstitione immersam, ibique martyrij coronam adeptus est Anno Christi 997. Sacrum illius corpus auro, precibusque redemptum per Boleslaum Chabry Ducem Poloniæ, Txzemesnæ primùm, Gnesnæ posteà sepultum fuit, ibique à Christi Fidelibus ad hunc usque diem piè colitur: & si Bohemi illud apud se habere mordicùs defendant, idque idoneis probent rationibus, ut fusiùs scripsimus cùm de Sanctis Tutelaribus Bohemiæ egimus. Ab eo videlicet tempore Poloniæ Patronus haberi cæpit, & multis fulgere miraculis, & clientes suos innumeris afficere beneficijs; quorum famâ permotus Otto III. Imperator peregrini more, illius sepulchrum supplex invisit, & dono sibi datum Beati Martyris brachium à Boleslao Duce Romam detulit, idque reposuit in Basilica, quam communi sermone vocant *Sancti Bartholomæi in Insula Tyberina*: Boleslaum verò, grati animi causâ, primum Poloniæ Regem creavit, si fides habenda est nonnullis Regni illius Scriptoribus; licèt nos in alia ab ijs sententia simus.

Æneas Silv. c. 16. Histor. Bohem. Aventinus lib. 5. Genebr. in Chron. lib. 4. seculo 10. Chromer. in Histor. Polon. lib. 3. Krantz. lib. 4. Hist. Saxon. c. 36. Chromer. de reb. Polon. lib. 3. Sigebertus Chron. Anno 994.

Polonicæ gentis Patronum se esse, & Advocatum Adalbertus factis probavit regnante Uladislao Secundo: hic enim gravi, ac periculoso contra Teutonici Ordinis Equites bello implicitus, inito cum ijs prælio ad Grunevaldum, exiguum in Prussia vicum, Sancti Martyris imploravit opem; hymnumque ab ipso piè compositum in laudem Deiparæ Virginis Mariæ præcinere jussit milites. Polonos modulatis utcumque vocibus, in prima adversus hostes impressione, eaque canendi, seu pugnandi arte usus insignem de Teutonicis Equitibus victoriam reportavit.

S Florianus M. Patronus.

Sanctus Florianus Martyr sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Laureaci in Norico passus est: illius corpus, procedente tempore, Romam translatum, & cum sacris simul corporibus Beatorum MM. Stephani Protomartyris, & Levitæ, Laurentij in campo Verano sepultum fuit. Anno salutis humanæ 1183. cùm Casimirus Poloniæ Rex, & Gedeon Cracoviensis Episcopus postulassent à Lucio III. Pontifice Romano per Legatos suos ad Urbem missos alicujus Sancti Reliquias pro Regni Polonici defensione ab hostibus undi-

Apud Surium die 4. Maij.

que cincti : illorum precibus benignè annuit Pontifex, iisque donari jussit Sancti Floriani Martyris corpus: & quidem Annales vetusti referunt, ipsum elata in altum dextera ad eundum cum Legatis in Poloniam se spontè obtulisse. Satis cōstat sacrum Martyris corpus communi omnium gaudio, & gratulatione Cracoviæ exceptum esse. Celebratur illius festum die 4. Maij, cum octava.

Longin. in Chron. rer. Polon.
Baron. in Annal. ad Ann. Christi 1184.

Sanctus Stanislaus Episcopus martyrium subiijt ob defensionem justitiæ; illata sibi nece Cracoviæ à Boleslao Audace Poloniæ Rege Anno Christianæ salutis 1079. corpus in Ecclesiam Cathedralem translatum sub Laberto Episcopo Cracoviensi Anno, ut ferunt, 1088. & Fidelium pietate cultum per centum septuaginta circitèr annos : donec agentibus Boleslao Pudico, & Kunegunde ipsius conjuge, cum Prandota Præsule Cracoviensi, ab Innocentio IV. Pontifice Romano in Sanctorum fastos relatus est, & paulò post Regni Polonici Patronus electus. Agitur illius festum die septima Maij, cum Octava. Sancti Martyris amor, & patrocinium erga Polonos multis fuit illustratum miraculis, multis beneficijs confirmatum tàm pacis, quàm belli tempore, ut videre est apud Scriptores Polonos.

S. Stanislaus Episc. & M.

Sanctus Casimirus, Poloniæ, & Lituaniæ Princeps Casimiri Regis filius morum innocentia, & vitæ integritate conspicuus : in ipso ætatis flore Cælo maturus decessit Vilnæ Anno Christi 1484. corpus in templo Urbis principe asservatur: à Leone X. Pontifice Romano Sanctorum Catalogo adscriptus Anno 1521. Dies quarta Martij, qua obijt, per omnes Polonici Regni provincias festa, & solemnis habetur virtute decreti Clementis VIII. ad instantiam Sigismundi Regis cōcessii. Procedente tempore sacrum Casimiri corpus translatum fuit in sacellum à Sigismundo inchoatum, ab Uladislao filio absolutum; quam translationem corporis in triumphi Romani speciem à Polonis factam, eleganti descripsit panegyrico R. P. Joannes Ryuvocki Societatis nostræ Sacerdos, excellens Orator, & Poeta, quem nos olim dum Holmiæ in Suecia, de mandato Serenissimi Lusitaniæ Regis moraremur, Anno 1651. illeque Provincialem ageret Lituaniæ, benè novimus.

S. Casimirus Princeps.

Gregor. Swivicius. Vilnensis in ejus Vita.
Bolland. & Henschen. in Actis SS. tom. 1. Martij ad diem 4.
Albert. Koialowvik S.J. in Miscell. Eccl. Lituan.
Zachar. Ferrer in Vita S. Casimiri.

Patronum se esse Poloniæ, ac Tutelarem Casimirus factis prodidit : Anno quippè 1518. Gastoldo, & Boratino Ducibus

exiguis Polonorum, & Lituanorum copijs instructis ab ingẽti Moscorum exercitu iniquo conclusis loco, & in ultimum jam discrimen adductis. Cælo delapsus apparuit, equo pernici vectus, eosque per Dunam fluvium in ulteriorem ripam salvos, & incolumes traduxit; non tamen ut à præsenti periculo explicati domum tutò quidem, sed inglorij se reciperent, sed ut alium Moscorum exercitum Polocensis Arcis expugnationi intentum, eamque totis viribus oppugnantem repentè invaderent, & injecto divinitùs pavore animis funderent, fugarẽtque, non sine magna Barbarorum strage. Tãti beneficij memoria à nostri Collegij Polocẽsis Socijs litteris mandata fuit, & carminibus celebrata. Sacra etiam Ædicula ipso in loco erecta in honorem Casimiri, institutæque per annos singulos solemnes ad illam supplicationes fuerunt; ut se memores gratosque præstarent. Plura, cùm de Lituaniæ Patronis egerimus, referemus.

Georg. Suievicius in Vita B. Casimiri. *Petr. Skarga S. J.* *Bolland. & Hensch. citati §.7.n.52*

S. Vvencesl. M. Sanctus Vvenceslaus Martyr, Dux Bohemiæ, inter Divos Tutelares Poloniæ recensetur causâ fœderis antiqui, & mutuæ amicitiæ, quæ inter utramque gentem Bohemicam, & Polonicam à multis seculis intercedit, jam indè à Lechô, & Zecho fratribus Croatis ducta origine, qui amborum Regnorum parentes, & authores feruntur. Agitur Vvenceslai natalis dies 28. Septembris, qua ille suæ ergà Polonos protectionis egregium dedit specimen, in eo quòd adversùs Osmanum Turcarum Imperatorem periculosissimo gestum est bello Anno Christi 1621. ipsa enim die Vvenceslao sacra, scribit Jacobus Sobieski, vir doctus, & pius, validissimus contigit Turcarum in Polonos incursus: summis viribus utrinque pugnatum: victi Barbari, cæsique fuerunt, ope Martyris, ut piè creditur, inquit Jacobus, sanguinis olim, & sermonis vinculo Polonis conjuncti, vetustique gentis nostræ Patroni. Tanti momẽti habita est illa à rei bellicæ peritis victoria, ut Gregorius XV. qui tum præerat Romanæ Ecclesiæ, festum hunc diem, idest VI. Idus Octobris, quo Osmanus magna accepta clade, ignominiaque recessit, publicis supplicationibus celebrari jusserit; eamque universo Poloniæ Regno solemnem indixerit.

Jacobus Sobieski in Hist. hujus Belli lib.3.

S. Heduvigis, Sancta Heduvigis vidua, conjux Henrici Poloniæ, & Bohemiæ Principis, inter Divos Tutelares Poloniæ numeratur sexto loco. Colitur ipsius memoria ritu duplici die 15. Octobris.

Surius de SS. 10.5. Chrom. lib.7. Baron. in not. Martyr. die 15. Octobr.

San-

Sancta Elisabetha vidua, filia Regis Andreæ, Landgravij Thuringiæ conjux, virtutibus, & miraculis clara, suum inter Regni Poloniæ Patronos locum obtinet, propter mutuum Polonos inter & Hungaros pacis fœdus, & commercium frequens, etiam in præficiendis sibi Regibus utrique genti cōmune. S. Elisabetha Vidua.

S. Hyacinthus natione Polonus, Romæ in Prædicatorum Ordinem ab ipso Sancto Dominico adscriptus, & in patriam remissus Catholicam simul, & suam Religionem mirificè propagavit: multis, dum viveret, claruit virtutibus, & miraculis; & innumera post ipsius obitum beneficia Polonis contulit: indè capta occasio illum sibi cooptandi Patronum. S. Hyacinthus.

Sancti Martyres Benedictus, Joannes, Isaac, Matthias, & Christinus Eremitæ, natione Poloni, Beati Adalberti in Prussia Comites, & laborum in prædicando Evangelio consortes, illatam sibi à Barbaris, in odium Fidei, necem, invicta animi constantia pertulerunt; Duce per id tempus Poloniæ Boleslao Chabry; quos etiam Poloni Patronos sibi desumpserunt. Benedictus, Joannes, Isaac, Matthias, Christinus MM.

Omitto Beatos Andream, & Benedictum Martyres solius diœcesis Gnesnensis Patronos, quòd essent à Polonia oriundi, licet vitam eremiticam egerint in Pannonia. Sanctum Sigismundum Burgundiæ Regem, insignem Christi Martyrem Diœcesis Polocensis in Masovia ad Vistulam fluvium, Tutelarem, eo nomine quòd Ecclesia Cathedralis sacrum illius caput habet. Sanctas etiam Virgines, & Martyres Dorotheam, Margaritam, & Barbaram, vel quia unius tantùm, aut alterius Urbis, & Episcopatûs sunt Patronæ, de quibus modò non agimus, vel quia exactam, & instituto nostro idoneam assequi illarum cognitionem non potuimus. Sunt alij quoque sancti, virtutibus, & miraculis illustres, sed ij duntaxat, quos enumeravimus, nominibus, & honoribus *Patronorum* proprijs, officijs sacris, & publica authoritate per Poloniam celebrantur. Hæc ex Stanislai Stephani Battorei Theologi scriptis deprompta.

Unus superest ætate minor, tempore recentior, sed heroicarum famâ virtutum, & rerum gloriâ mirè gestarum nulli secundus; is est Beatus Stanislaus Kostka, splendidissimum Societatis Jesu sidus, Polonicæ gentis decus immortale, & singulare Catholicæ Ecclesiæ ornamentum; cui sacrosanctū B. Stanislaus S. J.

Pa-

Daniel Bartoli S. I. in ejus Vita l.2.c.1. *Patroni* titulum meritò detulerunt totius Regni Polonici Ordines, Urbes etiam primariæ, Varsavia Regum in Masovia aula, & sede nobilis, Leopolis in Russia, Posnania, Cracovia, Lublinum: (alias minoris nominis, & momenti Urbes omittimus) Episcopi, Palatini Principes, Arcium Præfecti, & Provinciarum gubernatores; nobiles, ac populares; & quod caput est, ipsi Reges Serenissimi Sigismundus, Uladislaus, Casimirus, Michael suis quique temporibus præsentem illius opem, auxiliumque experti fuere. Juvat audire Michaelem, quem modò nominavimus, Regem sic loquentem in litteris, quas scripsit ad Clementem X. Romanum Pontificem anteacti temporis memoriam refricantem, & sacram Stanislai Apotheosim apud Sedem Apostolicam summis precibus urgẽtem: *Stanislaus*, inquit, *non solùm totius imperij Turcici vires, sed plerumque omnium remotissimarum gentium Mahometanarum immensos exercitus ante annos quinquaginta apud Chocimum, & Camenetiam, ultimum in hisce oris Christianitatis propugnaculum cælitùs immissa vi profligavit; gentem suam à certissimo excidio tutatus.* Id ipsum confirmat Archiepiscopus Gnesnensis, Regni illius Primàs in litteris, quas scripsit nomine generalium Comitiorum ad sacram Congregationem de Ritibus, quibus significabat, Stanislai precibus, apud Deum, hostium vires fractas, & attritas fuisse, & Poloniam ab imminenti belli Turcici periculo liberatam. *Litter. datæ Cracoviæ 18. Octobr. An. 1669.*

Non erit à proposito alienum hujuscè belli periculum fusiùs describere, ut omnibus certò constet de singulari Stanislai in suos Polonos patrocinio. Anno Christi 1621. Osmanus Turcarum Imperator potentissimo trecẽtorum millium collecto exercitu Poloniæ bellum intulit; agros populanti, pagos exscindenti, cuncta ferro flammisque vastanti primùm occurrit Uladislaus Princeps; deindè Sigismundus Pater; exiguis, si belli molem ponderes, stipati militum copijs, invicta tamen animi fortitudine, & Christiana pietate armatis, & reposita in Deo, ac Polonicæ gentis Patrono Stanislao vincendi fiduciâ. Petierat per id tempus Rex Sigismundus, & obtinuerat à R. P. Mutio Vittellesco Societatis Jesu Generali sacrum Stanislai caput, ut suis illè apud Deum precibus laboranti patriæ subvenire, & immenso belli pondere penè oppressæ opem ferre vellet: nec incassùm fusæ preces. Non justa quidem acie totis viribus pugnatum; sed crebris velitationi-

tionibus Turcarum imminutæ vires, & centum ferè Barbarorum millia trucidata, paucis dumtaxat Christianorum militum desideratis. Osmanus tanta accepta clade æquas pacis conditiones Sigismundo obtulit, initoque amicitiæ fœdere Constantinopolim curarum, & irarum plenus recessit; ibique à suis præ dolore rei malè gestæ furentibus, strangulatus finē vitæ, & imperio posuit. Atque ut omnibus palàm constaret Deiparæ Virginis potissimùm, & B. Stanislai auxilio de Cælo præstito partam fuisse de potentissimo hoste victoriam, visitur in multis Poloniæ templis, & in alijs Urbium locis magis conspicuis felicissimus hujusce belli eventus penicillo depictus, additis ad marginem inscriptionibus, quæ totius rei seriem, uti gesta est, lectoribus repræsentant, gloriamque victoriæ Sanctissimæ Virgini, & B. Stanislao tribuere videtur. Cracoviæ in templo SS. Apostolorum Petri, & Pauli visitur Beatæ Mariæ V. effigies Puerulum Jesum brachijs sustinētis; ad illius pedes abiectus Stanislaus pro sua rogat Polonia Turcici belli metu perculsa, & ad ultimum discrimen adductâ: cujus precibus annuere videtur Mater pijssima hilari facie, & gratiæ plena, eumque Filioli Jesu amplexibus pronum adplicat, & voti sui compotem facit. Subjectæ tabellæ inscriptionem, quæ rem continet, hìc apponimus: *Dum Osmanus Turcarum Imperator insigni suorum clade bello ad Chocimum Dacico adactus, de pacis fœdere sanciendo cum Polonis hæreret, Beatissima Dei Mater, unicum Christianæ gentis propugnaculum, cum Infante Jesu rheda vehi conspecta est, præsentem Poloniæ opem allatura, supplicante coràm B. Stanislao KostKa Societatis Jesu pro patria penè extremum tunc periclitante. Jam verò Sigismundo Rege cum universæ nobilitatis Ordinibus ad castra sui exercitûs procedente, dum hostis inglorius finibus excedere cogeretur, eo ipso tempore Sacrum Divi hujus tutelaris caput alia Regni parte in Poloniam, communi omnium solatio, inferebatur, per Illustrissimū, & Reverendissimum D. D. Acacium GroKorosKi Episcopum Luceoriensem, Româ ab admodùm Reverendo Patre Mutio Vittelesco Societatis Jesu Generale eidem Serenissimo Regi transmissū.* Daniel Bartoli S.I. Quo certè constitit Stanislai precibus, & capitis virtute sacri in Poloniam tunc advecti, pacem ab hostibus vel invitis, extortam esse, periculumque à suorum civium capitibus depulsum: eodem enim tempore quo caput intravit Poloniam, è Polonia exivit Osmanus. A nobis scripta confirmat Geor-

gius Tyzkievic Vilnensis Episcopus in circulari, vel encyclica quadam ad subditos suos Epistola die 3. Januarij data, anno 1652. his disertis verbis: *B. Stanislaus sub ipsum belli Chomicensis tempus aliquot pij Sacerdotibus diversorum Ordinum cũ Beatissima Virgine Maria apparuit pro victoria de Turco Tyranno obtinenda, eamque promittens, ut bona fide à quodam magni nominis Episcopo in Provinciali Synodo, præter alios, relatum fuit.* Id ipsum Rex Michael in litteris ad Clementem X. datis, de quibus supra meminimus, apertè testatur. In alijs etiam tum publicis, tum privatis calamitatibus Poloni, Stanislai precibus, non semel senserunt divini Numinis opem. Proximo nobis ævo sæviente per Poloniam bello Suedico, Mosco, Tartarico, Russico, & Hungarico, valdè enituit Stanislai amor in patriam, & singulare patrocinium in defendenda Præmislia, & Leopoli Russiæ nigræ urbibus, coronæ tamen Polonicæ subjectis; Lublino, alijsque non obscuri nominis oppidis, ut fusiùs, & luculentiùs tradit in ejus Vita Italico sermone conscripta Daniel Bartoli, Societatis nostræ Theologus.

Silentio tamen præterire non possumus victoriam, quam paucis ante annis obtinuit Serenissimus Rex Casimirus, Stanislai auxilio de Cælo præstito, de Tartaris hostibus, & Kosacis rebellibus Anno Christi 1651. Sub signis habebant hostes centum quinquaginta millia Tartarorum, Kosacorum millia ducenta: in Dublini campos se infuderant, eosque immensa bellatorum multitudine inundaverant: Casimirus belli tanti curis anxius, propitiando per sacrificia, precesq; Deo intentus, Stanislai potissimùm, quem Patronum Poloniæ esse sciebat, imploravit opem; integram in ejus templo noctem orando transegit, vota nuncupavit, animi noxas apud confessarium deposuit, & sacra communione se refecit, vel armavit: mox vincendi fiduciâ in uno Deo collocatâ, hostes innumerabiles magno animo aggressus, eos ingẽti clade prostravit: centum ferè Barbarorum millia cæsa fuisse dicuntur: ingens præda fuit, castra à militibus direpta barbarica opulẽtia referta; repletæ cadaveribus fossæ certam apud omnes fidem tantæ victoriæ fecerunt. Casimirus debellatis jam hóstibus triumphantis more, Dublinum invectus Stanislao Patrono suo vota persolvit, & quammaximas potuit, grates egit. Idem pietatis officium à militibus persolutum.

Tot igitur, ac tantis, Stanislai precibus, à Deo beneficijs acce-

acceptis, vulgataque illorum famâ per universam Poloniam, Lituaniam, Prussiam, Livoniam, Russiam, aliasque ditionis Polonicæ regiones, crevit apud omnes Stanislai existimatio, ex æstimatione pietas, ex pietate amor, & cultus: ubique sacra illius effigies depingi cæpit, in sanctorum templis, in aulis Regum, ac Principum, in Senatorum Curijs, & Prætorijs, in privatis etiam civium, & oppidanorum domibus; & quod ad institutum nostrum maximè facit, suprà Urbium portas, ut illarum custodiam Stanislao, seu Patrono, ac Tutelari, commissam esse sciremus. Harum igitur rerum famâ, usu pra dicebam, Romam perlatâ, datis etiam Regum Poloniæ iteratis ad Romanos Pontifices instantiæ, (ut vulgò dicunt) litteris, & Dynastarum Polonorum in publicis Regni Comitijs coactorum precibus ad Urbem missis, quibus significabant quàm sibi cordi esset, ut Stanislaus à Sede Apostolica in Sanctorum numerum referretur: Clemens VIII. & Paulus V. ejus Successor, concilio maturè habito, eum *Beati* titulo, & honore affecerunt, cultuque idoneo, certis tamen legibus adstricto, sacram illius memoriam venerari, ac celebrare in Polonia, & Lituania permiserunt; quemadmodùm Romæ etiam in Sancti Andreæ templo Societatis Jesu, in quo sacrum illius corpus quiescit. Nuper Sanctissimus DD. noster Clemens X. repetitis multorum Regum, ac Nationum litteris, precibusq; inductus, benignè concessit, ut B. Stanislai festum Missa, & Officio proprio in Polonia, & Lituania coleretur; & à nostræ etiam Societatis hominibus per totum terrarum orbem diffusæ: assignata ad id peragendum die 13. Novembris, qua sacri illius corpusculi translatio facta est Romæ, à vetusta Sancti Andreæ in Monte Quirinali Ædicula in novum ejusdem Apostoli templum opere augustum, structura mirabile, auro vestitũ, pretiosis marmoribus stratum, stellato pat, vel æmulum Cælo, Excellentissimi Principis Pamphilij regijs planè sumptibus, & eximia pietate perfectum, quod *Cælum aureum* meritò appelles, quemadmodùm Basilicam S. Petri anteactis seculis Longobardi vocarunt. Extat diploma Pontificium Romæ datum 16. Augusti, Anno 1670. quo effectum, ut qui ante Polonicæ tantùm gentis suffragijs, & consensu *Patronus* dicebatur; nunc sacro, & justo Romanæ Ecclesiæ ritu, ab ipso Christi in terris Vicario confirmato, legitimus in posterùm, & solemnis habeatur Poloniæ totius Patronus, & Tutelaris.

acceptam [illegible]
Leonum, [illegible] Italiam, [illegible]
Polonia [illegible] Stanis[illegible]
ca[illegible] & [illegible]
cia [illegible] in [illegible]
Augustae Principem [illegible]
privatis [illegible] quod ad
infi[illegible] nostrum [illegible]
illarum [illegible]
inita [illegible] Novemb[illegible]
cebam Romam [illegible]
ad Romanum Pontificem [illegible]
ris, & [illegible] publicis [illegible]
ca[illegible] Urbem [illegible]
quam sibi cordi [illegible] Sanctae Sedis Apostolicae [illegible]
cum numero [illegible] VIII. Paulus V. [illegible]
Successor, consilii [illegible], &
nore [illegible] cerum, [illegible] legibus ad
firmato, [illegible]
lonia, & Lituania [illegible]
in Sancti Andreae [illegible]
corpus [illegible] Sancti [illegible]
reponi [illegible] Regum, [illegible]
indul[illegible] benigne concessit, [illegible]
Oratorio proprio in Polonia, & Lituania [illegible]; & a nostro
[illegible] tempore [illegible]
[illegible] ad [illegible]
cr[illegible] est Romae [illegible]
cti Andreae in Monte Quirinali Aedicula [illegible]
Apostoli [illegible] augustum, structura [illegible], auro
v[illegible] pretiosis [illegible] tum, stellato [illegible]
in Caelo, Excellentissimus Princeps Pamphilius [illegible]
[illegible] temporibus, & [illegible]
menti [illegible] ante a[illegible]
[illegible] vocarunt. [illegible] diploma Pontificium
[illegible] datum [illegible] Anno 1670. [illegible], ut qui
[illegible] & confessio [illegible]
dicatur [illegible] Romanae [illegible] ipso
C[illegible] in pos[illegible],
& [illegible] Parmam, & Tusc[illegible].

LITUANIÆ,

MAGNI Ducatûs titulo nobilis, ijdem ferè sunt Patroni ac Poloniæ; nisi quòd Sãctus Casimirus, de quo suprà meminimus, primum inter Lituaniæ Patronos locum obtinet; ut constat ex litteris Pontificijs Urbani VIII. datis Romæ die 14. Februarij Anno 1636. cujus mandato colitur festo sole mni, & cum octava, etiam in quadragesima. Quòd si cõtingat impediri die Cinerum, vel Dominica prima Quadragesimæ, transfertur in alium diem quoad solemnitatem forensem ex Synodali Constitutione. Paulus V. jam ante concesserat duplici ritu celebrari; at Georgius Tiskievicius Vilnensis Episcopus à Pontifice impetravit, ut per totum Regnũ cum octava coleretur; quæ solemnitas in sola Lituania, & Russia fuit recepta; ut benè advertũt Bollandus, & Henschenius Societatis nostræ Theologi in Actis Sanctorum tom. 1. Martij. pag. 347. De B. Casimiri erga Lituanos patrocinio meminit Zacharias Ferrerius Episcopus Guardiensis in ejus Vita; Bartholomæus Cieskinkius, Vilnensis Diœcesis Cancellarius in panegyri ipsi Casimiro dicata; Albertus Koialovics Societatis Jesu Sacerdos, vir gravis, & eruditus, ut alios omittamus, ne Lectoribus molesti simus. *Bolland. & Henschen. S.I. in Vita S. Casimiri C. Zachar. Ferrerius Episc. Guardiensis. Albert. Koialovich S.I. in Miscellaneis Eccles. Lituan.*

Egregium se præstitit bellatorem B. Casimirus, & patriæ Defensorem, cùm Lituani, exigua militum manu, sexaginta Moscorum millia profligarunt; uno tantùm, aut altero suorũ desiderato. Alio jam victi prælio, ac fugati fuerant anno superiore Mosci, & ab obsidione Polociæ magna cum cæde repulsi, ut suo loco diximus; duplicata ad maiorem nominis laudem victoria, & clariora patrocinij sui in Lituanos argumenta. Joannes etiam Carolus Chodklevick, Comes in Stelouu, Poloniæ Senator, Samogitiæ Præfectus, Casimiri *S. Casimirus.*

Gregor. Suiecicius in Vita S. Casimiri cap. 1. Belland. & Hensch. supra citati. valdè studiosus, preces inter ac cæremonias sumpto è Sancti Principis ara gladio, Carolum Sudermaniæ Principem, Regem Sueciæ inauguratum, multis bellatorum millibus instructum, acie superavit non procul ab Arce Kokenhasis, cùm Suecus numero, ac robore militum longè præstaret.

Ipse Moscovitici Dux exercitûs Syeremet, Polociæ Palatinus, Schismaticus, & juratus Catholicæ Religionis hostis, Polocia capta, experimento didicit Lituaniæ Patronum esse *Acta Eccl. Vilnens. Anno 1654.* Casimirum, & acerrimum patriæ Defensorem: is enim Mosco cuncta ferro flammisque vastanti, & Sanctorum templa demoliri paranti, noctu apparuit aureis indutus armis, equo generoso vectus, severo vultu, fulgurantibus oculis; eúmque acriter increpitum Moscuam se recipere fugienti similem coegit, ut constat ex litteris publica authoritate confectis, & Episcopi Vilnensis testimonio, ac sigillo munitis Anno Christi 1655. Osmanici etiam exercitûs cladem, qui infestis Poloniam armis invaserat, & infusa in campos bellatorum multitudine eam penè obruerat; Casimiri precibus apud Deum nonnulli tribuerunt, & pacis fœdus Osmanum inter & Sigismundum justis pro tempore conditionibus initum, ut bellè cecinit his versibus Bartholomæus Cieskinkius, Diæcesis Vil- *Barthol. Kieskinc. in Paneg. S. Casimir.* nensis Cancellarius:

Et tumidi, mox timidi
Turcæ, in nos involant:
Nos illæsi, illi cæsi
Ducem orco immolant:
Tutelaris stat pro aris:
Plus effecit precibus,
Quàm cruentis instrumentis
Nos cum nostris Ducibus.

S. Nicol. Episc. S. Georgius M. S. Nicolaus Episcopus Myræ in Lycia, & Confessor secundum à B. Casimiro locum inter Divos Tutelares Lituaniæ habet, tertium verò Sanctus Georgius, Magnus Martyr, ut Græci communi vocabulo appellant. Cœperunt hi duo Sancti vocari, & coli ut Patroni, non quidem à tempore Mataedogi primi, & ultimi Lituanorum Regis, qui sacro deinde baptismo ablutus Regis titulum, & coronam ab Innocentio IV. Pontifice Romano obtinuit Anno Christi 1251. ad quē præstandæ obedientiæ causâ, legatos miserat Heindericum, alijs Henricum, Armacanum tum Episcopum; postea Culmen-

ſem: Vito è ſacra Prædicatorum Familia, primo per Lituaniæ Ducatum Præſule deſignato: Is enim Rex ejurata paulò poſt Religione Catholica ad patrios, & gentiles ritus redijt: ſed à tempore Jagellonis magni Lituaniæ Ducis, qui Heduvigis Ludovici Regis natu minoris filiæ, Reginæ Poloniæ nuptijs potitus, Cracoviam venit Anno 1386. die 14. Februarij; ibiq; à Bobzenta Archiepiſcopo Gneſnenſi Chriſtianis ſacris initiatus, Uladiſlai nomen accepit, & prævijs cæremonijs conſuetis Rex Poloniæ creatus eſt: indè cœleſti quodam Spiritus Sancti igne concepto, Apoſtolici prædicatoris more, per Lituaniæ Urbes, & pagos cæpit diſcurrere, incolas Fidei præceptionibus imbuere, Deorum ſimulacra, & fana evertere, & eorum loco Eccleſias excitare; in quibus uni, ac vero Deo cultus tribueretur: Sanctorum etiam cultum ubique inducere ſtuduit, & promovere, maximè Nicolai Epiſcopi, & Georgij Martyris; exemplo, ni fallor, motus Ruthenæ Eccleſiæ Lituaniæ proximæ, cui duo hi Sancti clariſſimi ſemper, ac præ omnibus alijs venerabiles fuerunt: quemadmodùm, & Eccleſiæ Græcæ, à qua utraque Ruſſia Alba, & Nigra ritus in ſacris, & cæremonias didicerunt.

Albert. Vvikoldov. lib.4. Hiſt. Lituan. part.1.

Cromer. lib. 14. & 15. rer. Polon.

Matth. Michouv. de Sarmatia Europea lib. 2. c. 2.

Æneas Silvius in Polonia.

Sigiſmund. in Comment. rer. Moſcov. fol.23. & p.1. l.9.

Aubert. Miræus in notit. Epiſcop. lib.4. fol.212.

S. Ladiſlaus C.

Sanctus Ladiſlaus Rex Hungariæ, Confeſſor, quartum inter Lituaniæ Patronos locum tenet; eo nomine quòd cùm prima Vilnæ, quæ ejuſdem Ducatûs caput eſt, Cathedralis Eccleſia extrueretur à Ladiſlao Jagellone Rege Poloniæ in honorem S. Stanislai Epiſcopi, & Martyris; voluit Rex pijſſimus, ut S. Ladiſlaus, cujus præferebat nomen, pro Patrono etiam haberetur. Aſſervatur ſacrum ejuſdem caput Pultoviæ in templo Societatis Jeſu; ſocijs dono datum ab Anna Jagellonia, Regina Poloniæ. Migravit ad Superos Ladiſlaus Anno Chriſti 1095. die 27. Junij. Cardin. Baron. in notat. ad Martyr. Rom. aſſignat diem 27. Junij. Colitur illius memoria Officio duplici.

B. Joſaphat M.

Beatus Joſaphat Martyr, Archiepiſcopus Polocenſis, ex Ordine Sancti Baſilij, in odium Romanæ Eccleſiæ ab Schiſmaticis Ruthenis ritus Græcanici Vvitepſciæ occiſus fuit, anno 1623. Joannes Bollādus, & Fridericus Henſchenius Societatis noſtræ Theologi ſcribunt fuiſſe occiſum die 12. Novembris, Anno 1623. BB. Martyrum faſtis adſcriptus ab Urbano VIII. Anno 1647. die 16. Maij, & Patronis Lituaniæ adnumeratus eſt à Georgio Tyſkiewicz Epiſcopo Vilnenſi, in Synodo Diœceſana Anno 1650.

Nicol. Lācitius S. I. tom.2. fol.571. aſſignat Annum 1642 Decembris 14

Albert. Koialovich. S.I. in litter. ad me datis Varſavia.

B. V. Maria.

Claudat, & coronet agmen Divorum Tutelarium Poloniæ, ac Lituaniæ omnium Domina, & Regina Sanctorum Virgo Deipara, quam singulari pietatis sensu colunt ex omni sexu, atque ætate mortales; eamque ut antiquam suæ gentis Patronam semper habuerunt. Res est certa, & ab ipsis Christianæ Religionis incunabulis in ijs regionibus traditæ, accepta. Argumento sunt innumera templa illius nomine dicata: in omnibus vel sacella, vel effigies ad excitandam Fidelium devotionem, amoremque expositæ: Imagines non paucæ miraculis insignes, & Fidelium peregrinationibus frequentatæ: jejunia in omnibus pervigilijs; sabbata absque lacticinijs transigi solita: Sodalitia ubique instituta in illius honorem, & Marianæ Congregationes promovendo ejus cultui, & honori certis quibusdam regulis, ac legibus adstrictæ. Eminet inter omnes Imago Deiparæ Claromontana sive alio nomine Czestokoviensis miraculis inclyta, & multorum peregrinationibus celeberrima. Eò ivere, causâ pietatis, Reges etiam, Sigismundus I. & III. Uladislaus IV. Joannes Casimirus, Stephanus Battoreus, ut alios antiquiores omittamus. Sigismũdus Primus cùm gravi, ac periculoso bello premeretur, à Moscis eò se iturũ promisit, si victor evaderet: voti sui compos factus, devictis hostibus; quadraginta eorum millibus cæsis, captis decẽ millibus, Czestokoviam venit, vota Deiparæ solvit, & datam fidem implevit. Sigismundus etiam III. Patronæ Virginis ope Rachostanos, acerrimos Polonicæ gẽtis hostes, commisso cum ijs prælio, profligavit die 15. Julij Anno 1607. litteras ea occasione scripsit ad Pontificem Romanum, quibus illi significabat Deiparam Virginem à multis jam seculis Patronam esse Regni Polonici, quas Lector curiosus inveniet apud Marrac. tom. de Regibus Marianis pag. 292. Nec verbis tantùm, sed muneribus regia pietate, & munificentia dignis ad Virginem Lauretanam in Italia, & Claromontam in Polonia missis, id verum esse Rex Serenissimus declaravit.

Simon Starovolsius Libro de B. Virgine Claromontana.

Andr. Goldonovv.

Euseb. Nierẽb. S. I. l. 3. de Troph. Marian. cap. 65.

Joann. Lipski in Oratione funebri Sigismundi III. & Constãtinæ uxoris.

Hippolyt. Marracc. de Regib. Marian. p. 319. & 295.

Simon Starouvolf. in Relation. Polon.

Uladislaus IV. ad Magnæ Dei Matris patrocinium confugere solitus erat cùm magna belli mole hostis imminebat; vel Poloniæ, vel Lituaniæ: id liquidò apparuit cùm pugnavit adversus Moscos, cùm Turcarum ingruentium furorem repressit, cùm Sigismundo patre, eorumque Imperatorem Osmanum ad petendam à Polonis pacem justis conditioni-

bus adegit. Pluribus ſuperſedeo; conſulat qui velit Scriptores Poloniæ: ex quibus certò conſtare videtur Deiparam Virginem Polonicæ, ac Lituanicæ gẽtis Patronam habitam fuiſſe ab ipſis Eccleſiæ in Septentrione naſcentis exordijs. Quapropter Leo X. Pontifex Maximus indulſit per litteras Apoſtolicas Romæ datas Anno Chriſti 1515. ut certa die ab ipſo Poloniæ Rege deſignanda, Feſtum Deiparæ in gratiarum actionem, ob multiplices de hoſtibus, ipſius ope, victorias, per Lituaniam, & Poloniam, & ſubjectas huic provincias, celebraretur. Anno demùm 1656. Kalendis Aprilis in publicis Regni Comitijs Leopoli, Ruſſiæ Nigræ Urbe, coactis, à Caſimiro Rege, Senatu, & Equeſtri Ordine, communi omnium Ordinũ conſenſu, in Dominam, ac Patronam Virgo Sanctiſſima electa eſt: neque is titulus honoris, & obſequij plenus illi tum primùm fuit delatus; ſed antiquus maiorũ pietate, & Epiſcoporum authoritate datus, & per tot ſecula retentus, nova quadam ſacra, ac ſolemni juris formula confirmatus.

[illegible]. [illegible] [illegible], [illegible] qui [illegible]
I[illegible] : cum quam [illegible] [illegible] Imperium V-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] Ecclesiæ in Septentrione [illegible]. Qu-
[illegible] Leo X. Pontifex [illegible] per [illegible] Apo-
stolicas Romæ datas [illegible] [illegible] ab [illegible]
[illegible] Rege [illegible], [illegible] [illegible]
a [illegible], ob [illegible] [illegible] [illegible]
Lituaniæ & [illegible], & [illegible] [illegible] cele-
bratæ. Anno deinde [illegible] [illegible] Aprilis in publicis
Regni Comitiis [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]
miro Rege, Senatu, & Equestri Ordine, [illegible]
Ordinum consensu, in [illegible] [illegible]
[illegible] electus est: neque [illegible] [illegible]
[illegible] primum [illegible] [illegible]; sed [illegible] [illegible]
[illegible] auctoritate [illegible] [illegible],
[illegible] quidam facta [illegible] solemni [illegible].

PRUSSIA,

SIVE

BORUSSIA.

MAthias Michou, & Cromeus scribunt, à Boleslao Crispo Poloniæ Principe Prussis, qui jam inde à Boleslai Crivousti morte, à fide suorum Principum, & à Catholicâ Religione defecerant, illatum fuisse bellum, in quo victor existens, eos sibi vectigales fecit, & Christianos, Anno salutis humanæ 1164. Verùm eodem Anno excussere jugum, & sumptis in Principem suum armis rebellarunt: eos igitur armorum vi perdomuit Conradus Poloniæ Princeps, ope Cruciferorum Equitum adjutus, ac suæ ditionis fecit, & operâ Monachorum Cisterciensium ad Christianismum reduxit. Hæc ex Francisci Bosqueti notis ad Innocentij III. Romani Pontificis epistolas didicimus. Aliter sentit Genebrardus in Chronographia ad Annum Christi 1125. & Anno 1254. Non parùm etiam ab ijs diversa tradit Aubertus Miræus in notitia Episcopatuum Orbis Christiani in hunc modum: *Prussia Anno 1215. à Crucigeris Equitibus Teutonicis subacta fuit Anno 1419. Cùm Provinciæ, & Civitates Borussiæ ad Casimirum Poloniæ Regem defecissent, gravissima inter Polonos, & Crucigeros exarsere bella. Demùm Anno 1525. Albertus Brandemburgicus Lutheranâ infectus hæresi, ex magno Crucigerorum Magistro, Dux Prussiæ à Sigismundo Poloniæ Rege creatus est; & Prussia ipsa in Regalem, & Ducalem divisa: illa duos habet Episcopos, Varmiensem, qui suum Brusbergæ domicilium fixit, & Culmensem. In hâc duo etiam erant Episcopi, Sambiensis, & Pomesaniensis, qui Regio monte, & Mariæverdæ residere solebant. Vtrumque Albertus extinxit, Episcopatum, & pro-*

Mathias Michou lib. 13. Chron. Pol. c. 20. & 31.

Cromer. de reb. Pol lib. 6. & 7.

Francisc. Bosquet. Epist. l. 3. regest. 13.

Aubert. Miræus in not. Episc. l. 5. p. 387.

Michael Antonius. Baudrand. in Lexico Geograph. verb. Prussia.

Ludov. Mereri in Onomast. universali verbo Prussia.

Michael Antonius. Baudrand.in Lexico Geographico. Erasmus Stella de Boruss. antiquit.

proventus Episcopales, Hæreticorum more, sibi addixit. Hæc Aubertus. Prussiæ Regalis caput est Gedanum, Urbs Hanseatica, & Emporium celeberrimum in mari Baltico ad Vistulam fluvium: Ducalis verò, Regius mons, Academia, & Emporio nobilis.

S. Andr. Apost.

Primus Borussiæ, seu Prussiæ Patronus fuit S. Andreas Apostolus, ab initio videlicet nascentis apud illas gentes Ecclesiæ: existimant enim Prutreni, se à Beato Apostolo prima Fidei didicisse mysteria, & depulsis errorum tenebris, unius Dei cognitionem hausisse.

S. Adalbertus Episcop. & M.

Sanctus Adalbertus Episcopus, & Martyr *Patroni* etiam titulo, & honore à Prutenis afficitur: hâc enim ratione studuerunt posteri illatam Sancto Episcopo à maioribus suis necem, delato pietatis obsequio, & specioso *Tutelaris* nomine compensare: in Prussia enim martyrij palmam obtinuit Anno Christi 994. vel 997. ut alij existimant.

S. Bruno Episc. & Mart.

Marian. Scotus in Chron.

C. Baron. in not. ad Martyrol. Rom. die 15. Octobr.

Proprius, & justus Prutenorum Apostolus, & Patronus existit Sanctus Bruno Episcopus, à Summo Pontifice in Prussiam missus prædicandi Evangelij causâ; ibi, manibus, pedibusque præcisis, capite demùm truncatus, illustre Fidei testimonium dedit decimâ die quintâ Octobris, Anno salutis humanæ 1008. ut aliqui Authores scribunt; vel 1009. ut Sigebertus in Chronico opinatur.

Baron. die 5. Junij in not. ad Martyr. Rom.

Surius tom. 3.

Baron. in notat. ad Martyr. Rom. die 19. Junij.

Sancto Brunoni comitem adjungere possumus S. Bonifacium, B. Romualdi Abbatis discipulum, (Sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo recentiorem, qui in Frisia gloriosus Christi Martyr occubuit Anno 754. die 5 Junij), Bonifacius verò, de quo agimus, Ottonis Imperatoris affinis, post multa ad illustrandam, & confirmandam Evangelij prædicationem edita miracula, in Prussia martyrij coronam adeptus est, circa Annum Christi millesimum, die 19. Junij.

In hunc ferè modum ad me scripsit, dum Romæ versarer ego, & Pontificis Pœnitentiarij munus obirem in Basilica Vaticana, R. P. Albertus Koialivicz Societatis Theologus, vir doctissimus.

D A

DANIA

OCEANI Septentrionalis peninsula, regio titulo clara, Haphniam ad mare Balticum habet Regum suorum sedem, & regni totius metropolim. Pro Insignibus præfert tres cyanei coloris Leones contra se positos, in alveolo aureo, redimiculis, linguis, & falculis auratis, cordibus puniceis suprà infràque sparsis, referto. Nonnulli Scriptores affirmant, Sanctum Vvillibrordum fuisse primum Danicæ gentis Apostolum: sed Cardinalis Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis narrat, Ebbonem Remésem in Gallijs Episcopum ad Daniæ confinia pervenisse, ibique Fidem Christi incolis prædicasse Anno salutis humanæ 825. sed quia indè brevi discessit, & quia suspicione criminis gravissimi contra Ludovicũ Pium Imperatorem commissi laboravit, Episcopatu privatus priorem nominis gloriam in Danica prædicatione comparatam posterioris culpæ infamiâ obscuravit: nec dici, haberive meruit illius gentis Apostolus; sed Anscharius, Corbeiæ Monachus, creatus à Gregorio IV. Summo Pontifice Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, ad prædicandũm Danis, Suedis, Gothis, & reliquis ad Aquilonem gentibus Evangelium missus, egregiam ad id operam dante pijssimo Imperatore, qui paulò ante Haraldum, vel Arialdum Daniæ Regem ad Christianam Fidem conversum, & Moguntiæ sacro fonte ablutũ in Ecclesia S. Albani rite susceperat, ac indè digressum multis benevolentiæ, & honoris significationibus fuerat prosecutus. Anscharius igitur, seu Ansgarius primus, & proprius Danicæ, & aliarum Septentrionalium nationum Apostolus, & Magister vocatus in procurandam earum salutem totis viribus incubuit. Hamburgi, quæ nobilissima Urbs est proxima

Aubert. Mir. in not. Episc. lib. 4. c. 221.

Silv. Petras. S. I. in tesseris gentil. pag. 561.

Herman. Chromb. S. I.

Baron. ad Ann. Christi 826.

Krantzius lib. 4. Daniæ cap. 10. & Sueciæ lib. 5. c. 11.

Baron. in not. ad Martyr. 7. Novẽbr.

S. Rembertus in Vita S. Ansgarij.

Ioan. Vastovius in Vite Aquilonaria.

Daniæ, & emporium celeberrimum, sedem fixit Episcopalem; ad interiora deindè regionis, quod nemo ad id tempoAubert. Mir. in not. Episc. lib. 5. p. 538. ris præstiterat, penetravit, conciliatisque sibi Regibus, ac Dynastis Evangelicæ veritatis lucem in vastas illas, & alta sepulAdamus Bremens. in Hist. Eccles. l. 1. c. 12. tas barbarie nationes invexit; multa idolorum fana demolitus, templa innumera in unius Dei honorem excitavit; Christi Religionem, quam gētibus prædicabat, magnis editis miBaron. in Annal. assignat. 833. Ann. raculis confirmavit. Ericum Regem Sivardi filium à vano idolorum cultu ad veram Christi Fidem traduxit. Non mulAndr. Saussai. in Martyr. Gallic. die 3. Februar. tò post Romanus Pontifex Bremam ex Hamburgo sedem transtulit metropolitanam, probante Ludovico Germaniæ Rege; cui præfecit Anscharium, rerum pro Christiana EcCypræus in Annal. Episc. Slevicens. lib. 3. c. 6. clesia gestarum famâ clarissimum: in utraque verò urbe natali illius dies magna peragi solemnitate solebat. Extare etiā nunc Hamburgi templum quoddam D. Anschario sacrum, in quo olìm doctrinam Christianam Ethnicis, ac Neophytis tradere consueverat, & rem divinam ad altare facere, affirmat Adolphus Cypræus in Annalibus Episcoporum Slevicentium; additque se audivisse ab Isaia Cruzio Societatis Jesu Presbytero, templum illud antiquitate venerabile nunquam potuisse violari ab Hæreticis, neque in profanos usus converti. Hamburgi certè ad Urbem Romam missus ego à Serenissima Regina Sueciæ Christina Anno 1651. per aliquot dies substiti; nec mihi per tempus licuit gravissimis negotijs impedito sacrum illud templum antiquæ religionis monumentum inspicere, nec ad Slyæ lacum me conferre, ubi Sanctus Episcopus Ethnicis prædicare solitus erat, & venientes ad baptismum populos lustralibus aquis abluere, ac in vicina loco Ecclesia, pro conversione illarum gentium orare, de quibus meminit Albertus Krantzius lib. 4. rerum Danicarū cap. 13. Aliud visebatur anteactis seculis Bremæ templum S. Anscharij (urbs est ad Visurgim fluvium sita, mercatu nobilis, pertinens ad circulum Inferioris Saxoniæ) Collegio duodecim Canonicorum insigne, turri prælatâ, & organo operis egregij musico ornatum, quod an hodie perseveret, compertum mihi non est.

S. Anscharius. A nobis hactenùs tradita satis probare videntur S. Anscharium ab ijs olìm gentibus nondum hæresum peste infectis, piè cultum, & tamquam earum Apostolum, & primum Fidei Christianæ Magistrum in summa veneratione habitum

fuisse: proindeque nullum alium potiori jure ijs assignare possumus Patronum, ac Tutelarem. Nobiscum sentit Hermannus Chrombach Societatis nostræ Theologus, vir eruditissimus, quem nos ab Urbe per litteras hac de re datas consuluimus, dum ille Coloniæ Agrippinæ in Germania versaretur. Accedit, quòd Lundenses in Dania præsules, Roschildenses in Zelandia, Slevicenses in Holsatia, alijque in eisdem regionibus Episcopi Catholicæ quondam, ac veræ religionis amantes Anscharij vestigijs insistentes, & fidei ejusdem dogmata sectantes, in more habebant illius se precibus commendare, Anscharij nomen infantibus in baptismo imponere, ejus opẽ apud Deũ implorare ut cõmissatũ sibi ovium bono, & saluti consulere, ac suo pastorum muneri, & officio fungi ritè possent, ut advertit Adamus Bremensis idoneus illarum gentium Historicus.

Herman. Chromb. S. I.

Bolland. & Hensch. citati in Act. SS.

Alter Daniæ Patronus erat Sanctus Canutus hoc nomine IV. Suenonis Regis filius, qui navalibus olim prælijs Sembicos, ac Estonicos superavit: Curlandiam, & Estoniam armorum vi subactas Danico adjecit Imperio. Ab Haraldo tamen fratre regno pulsus in Sueciam se recepit: indeque brevi discedens auxiliaribus militum copijs stipatus, Russiæ populis bellum intulit, eosque commissâ non semel pugnâ, feliciter profligavit. Haraldo interim è vivis erepto, in Daniam redijt virtutibus pariter, & victorijs clarus, ubi cõmuni omnium gaudio exceptus est, & Rex creatus, regiæ in subditos munificentiæ, & eximiæ in Deum pietatis specimen præbuit. De invadenda paulò post armis Anglia Insula, maiorum more, consilia agitavit; quibus sibi magnam Danorum omnium invidiam, odiumque conflavit, quod tandem in apertam conjurationem erupit: hanc Olaus ipsius frater clãculum malis artibus, & clandestinis fovebat consilijs, ac occultas Regi struebat insidias ambitionis aurâ inflatus, ut eâ agendi ratione viam sibi ad coronam usurpandam, & imperium obtinendum muniret. Tempori igitur cedendum ratus externi belli curas deposuit, domestico sedando intentus: ad hujus flammam, quæ totum corripuerat Daniæ regnum, extinguendam totum se contulit: sed maius erat illius incendium, quàm ut ipsius viribus, vel industriâ restingui posset: desperatis igitur rebus, ad divina provocavit: in Sancti Albani templum se recepit, ejusque opem multis cum lacrymis postu-

S. Canutus Rex

Joan. Magnus l. 18. c. 12. & 14.

Krantzius de rebus Daniæ lib. 10. cap. 35. & seqq.

Bolland. & Hensch. in Act. SS. die 7. Januar.

Joan. Vastovius in Vito Aquilonaria. p. 57. & 68.

Fr. Andr. Angeleti in Elog. S. Canuti.

Joann. Molanus ad diem 10. Julij.

postulavit: sed minimè sedato populi tumultu, imò maiora in singula momenta incrementa capiente, sacrâ exomologesi peractâ, & sacrosanctæ Eucharistiæ pane refectus ad mortem piè, ac fortitèr obeundam se præparavit: expansis ante aram templi maximam brachijs, flexis genibus, suavissima cũ Deo miscens colloquia mortem expectabat in horas: immissa à rebellibus hasta medium orantis pectus trajecit: concidit in terram corpus; anima columbâ candidior, & velocior ad Cælum evolavit Anno Christi 1086. Sãcti Regis necem summa agrorum sterilitas, justo Dei judicio consecuta est, quæ septem ferè tenuit annos: tunc erectæ ad Superos Danorum mentes quasi evigilassent de somno, sceleris à se patrati fœditatem adverterunt: subijt animos sera pænitentia facti: illius igitur veniam supplices à Deo exposcere; reos se fateri tam gravis noxæ; ac justas tanti facinoris pœnas luere; intercessorem apud Deum adhibere Canutum, quem benignum, ac sanctum esse sciebant. Votorum tandem compotes facti sunt: Beati Martyris, uti par est credere, precibus, divino Numine ad clementiam flexo, agris fœcunditas, regno tranquillitas, rerum omnium abundantia facti pænitentibus restituta est. Inde, ut existimant viri docti, & pij, Sancti Canuti *Daniæ Patroni* titulus initium sumpsit, multis, procedente tēpore, beneficijs in suos clientes, & miraculis confirmatus; donec proximo nobis ævo serpente per Danici regni viscera, urbesque Lutheri hæresi, & gliscentis incendij more cuncta corripiente, ac devastante, neglectus ubiq; Cæliũ cultus fuit; Sanctorum cum Deo regnantium; & sacrarum imaginum proscripta religio; Anscharij, & Canuti memoriæ altâ oblivione sepultæ, quasi Danos puderet recentiores eos honore prosequi Fidei Christianæ Magistros, pietatis famâ clarissimos, quos illorum maiores per tot secula religiosè coluerunt; quorum titulis tot Ecclesias excitarunt; quorum corporibus, & memorijs sacros honores deferebant; ad quorum patrocinium confugere in publicis, ac privatis calamitatibus consueverant, & illustres, eorum auxilio, de hostibus victorias reportare. Pudeat Danos cujusdã fraterculi excucullati errores amplecti, atque in ejusdem verba jurare certa cum salutis æternæ, & animarum suarum jactura. Quantum is ab Anschario moribus differat, cæci ipsi vident, ipsi Novatores fatentur. Ille Apostolico plenus spiritu, morum innocentiâ, &

vi-

vitæ integritate mirabilis: iste à religione apostata diabolico actus spiritu ætatem in vitijs egit, quibus seu præsenti veneno, optimarum artium studia corrupit, & moribus pessimis infecit, ac vitam turpissimam infelici morte cōclusit. Anscharij igitur, Sanctissimi Præsulis, & sui quondam Apostoli, & Magistri vestigijs insistant Dani, memoriam venerentur, virtutes, quibus excelluit, imitentur: Lutheri detestentur errores, vitia damnent, impia contra Catholicam doctrinam dogmata execrentur, antiquorum Patrum sensui, & sententijs prorsùs contraria: Avorum religionem sectentur, quam illis prædicavit Anscharius, quam Canutus Martyr cum reliquis Daniæ regibus professus est; quam innumeri eorum Præsules doctrinæ, & sanctimoniæ laude præstantes docuerunt: nec se sinant seduci ab impuris Lutheri ministellis, qui turpis lucri gratiâ minimè dubitant se, suosque in imas inferni sedes detrudere, si tamen infernum esse credunt, nec animam simul cum corpore, pecudum more, interire existimant.

Visitur Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Transpontinæ fratrum Carmelitarum pulchrum S. Canuti Martyris sacellum Anno 1641. erectum, sedente Urbano VIII. qui illum verum ac legitimum Christi Martyrem apostolica authoritate declaravit, ac Fidelibus idoneo Sanctorum cultu prosequendum proposuit: & si hæc ad alium Canutum Daniæ Regem hoc nomine VI. Martyrem juniorem pertinere videantur; prioris Canuti, de quo agimus, ex fratre nepotem, non filium, ut aliqui falsò putarunt, antiquior noster est, ejusque martyrij memoria colitur die decima mensis Julij.

Saxo Grammaticus. Joann. Magnus lib. 18. c. 14. & lib. 19. c. 7.

Magnum prætereà Christi Martyrem Georgium Ducatûs Slevicensis Patronum colebat, dum Catholica, & Romana Religio ijs in regionibus olim vigebat. Primariam de nomine Sancti Georgij arcem incolæ appellabant; multas & magnificas in Dei honorem Ecclesias Divo Georgio posuerunt: Duces etiam Slevicenses incisâ sigillo illius effigie ad obsignandas litteras utebantur. Hæc ad me dum Romæ Pænitentiarij Pontificij munus obirem ex Colonia Agrippina scripsit R. P. Hermannus Chrombach S. J. de quo non semel cū laude meminimus.

vitæ integritate mirabilis: iste á religione apostata diabolico actus spiritu ætatem in vitiis egit, quibus seu præsenti veneno, optimarum artium studia corrupit, & moribus pessimis infecit, ac vitam turpissimam infelici morte cõclusit. Antistitis igitur Sanctissimi Præsulis, & sui quondam Apostoli, & Magistri vestigiis insistant Dani, memoriam venerentur, virtutes, quibus excelluit, imitentur: Lutheri detestentur errores, vitia damnent, impia contra Catholicam doctrinam dogmata execrentur, antiquorum Patrum sensui, & sententiis prorsùs contraria: Avorum religionem sectentur, quam illis prædicavit Anscharius, quam Canutus Martyr cum reliquis Daniæ regibus professus est; quam innumeri eorum Præsules doctrinæ, & sanctimoniæ laude præstantes docuerunt: nec se sinant seduci ab impuris Lutheri ministellis, qui turpis lucri gratiâ minimè dubitant se, suosque in imas inferni sedes detrudere, si tamen infernum esse credunt, nec animam simul cum corpore, pecudum more, interire existimant.

Visitur Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Transpontinæ fratrum Carmelitarum pulchrum S. Canuti Martyris sacellum Anno 1640 erectum sedente Urbano VIII. qui illum veterum ac legitimum Christi Martyrem apostolica authoritate declaravit, ac Fidelibus in eo Sanctorum cultu prosequendum proposuit: & si hæc ad alium Canutum Daniæ Regem hoc nomine VI. Martyrem juniorem pertinere videantur; prioris Canuti, de quo agimus, ex fratre nepotem, non filium, ut aliqui falsò putarunt. antiquior noster est, ejusque martyrii memoria colitur die decima mensis Julii.

Saxo Grammaticus. *Joann. Magnus lib. 18. c. 14. & lib. 19. c. 7.*

Magnum præterea Christi Martyrem Georgium Ducatus Slevicensis Patronum colebat, dum Catholica, & Romana Religio in regionibus olim vigebat. Primariam de nomine Sancti Georgii ædem incolæ appellabant; multas & magnificas in Dei honorem Ecclesias Divo Georgio posuerunt: Duces etiam Slevicenses incisâ sigillo illius effigie ad obsignandas litteras utebantur. Hæc ad me dum Romæ Pœnitentiarii Pontificii munus obirem ex Colonia Agrippina scripsit R. P. Hermannus Crombach S. J. de quo non semel cum laude meminimus.

SUECIA, & GOTHIA.

SUECIA, alijs Suedia, Aquilonarium regionum fertilissima, regia dignitate illustris, metropolim hac ætate habet Holmiam Urbem, quam frequentius Stokolmium vocant; Peninsulæ instar tribus fluvijs è Mellero lacu exeuntibus intercisam, & multis junctam pontibus sublicijs: recentioris potissimùm structuræ ædificijs nobilem, & virorum Principum aulis conspicuam. Et si à mari Baltico non paucis milliarijs absit, portum tamen habet à tempestatibus tutum, commercio cum exteris gentibus opportunum, & multarum capacem navium; ad quem per tortuosos quosdam & sinuosos flexus, (qui in se recurrentes, postquam in longos anfractus porriguntur, iterùm eò, unde cæperant, parvis compendijs redire videntur, ac navigátes deludere) subire opus est, non sine gravi subeũtium molestia, & labore. In hac nos Urbe unius, & amplius anni spatio, versati sumus cum Lusitani Regis legato, cui eramus à confessionibus: ibique omnium Jesuitarum primi cum Serenissima Regina Sueciæ Christina, de ijs rebus agere cæpimus, quas postea vidit, & miratus est orbis Catholicus. Ab eadem Romam missi cum litteris regiæ fidei ad Generalem Jesuitarum Franciscum Piccolomineum Gallicâ linguâ scriptis, exeunte mense Augusto, Anno à Christo nato M.DC.LI. quæ cùm essent Catholicis simul & Hæreticis notissima, non defuere tamen in Flandria, & Gallia, qui aliter scribere ausi fuerint, non sine gravi injuria veritatis.

Aubert. Miraeus in notit. Episcop. orbis Catholic. lib. 4. c. 24.

Author Anonymus gente Suecus.

Insignia Sueciæ tres sunt Coronæ, ut vetusti Codices testantur, diplomata regia, & plura saxis insculpta monumenta; quæ ipsâ antiquitate fidem adstruunt, & venerationem conciliant: Gothia verò vicina Sueciæ Leonem sibi vendicat flavi coloris, coronâ insignem in campo cæruleo, supra tres rivulos salientem, ut nos per litteras docuit ab Stokolmio quidam vir doctus, & rerum Suecicarum benè peritus. Quāquam Petrasancta cum Andrea de Ryet, in suis Tesseris gentilitijs scribat, Duos Leopardos cyanei coloris, ungulis, linguâ, oculisque puniceos, intra Scuti alveolum auro illustratum, esse tesseram veterum Gothorum Regum.

Silv. Petrasf. S.I. pag.348.

Quod attinet ad Divos Sueciæ, & Gothiæ Tutelares, Imperante Carolo Magno, nonnulli præstantes litteris, & pietate viri, inter quos excellebat Herbertus, primam Evangelij lucem in vastas illas Septētrionis provincias altâ sepultas barbarie, & errorum tenebris involutas invexerunt; primumque Lincopiæ templum excitarunt: ijs tamen vel brevi defunctis, vel laborum tædio affectis, & in Germaniam reversis, ad pristinos incolæ mores, & avitam superstitionem redierunt; donec Ansgarius (Anscharium dicunt alij) Corbejæ Monachus, vir Apostolico plenus spiritu, Imperante Ludovico Pio, Vvimaro Socio, in Daniæ, & Sueciæ interiora penetravit: si fides habenda est Lupoldo, & Joanni Magno, illarum regionum Scriptoribus; ibique egregiam, prædicando Fidem barbaris illis gentibus, & ab unius Dei cognitione alienis, operam navavit: inde reversus in Galliam, postulāte eodem Imperatore, à Gregorio IV. Romano PP. creatus Aquilonarium Nationum Episcopus, & à Drogone Metensi consecratus, ut cæptum in Suecia, Daniaque prædicationis opus urgeret, eò Apostolicâ munitus, & ornatus authoritate redijt: primusque Scandinaviæ Magnæ Apostolus, & Episcopus esse, ac dici meruit. Regem per id tempus Sueciæ Beronem, (Beornum vocant alij) & Urbem Regni primariam, cum finitima regione ad Christi Fidem convertit, multis extructis Ecclesijs, veri Dei cultum inter illas gentes mirificè propagavit; & magnis etiam editis miraculis cōfirmavit. Hāc ob rem Anscharium Sueciæ, Gothiæque Patronum fuisse credebam, dū scilicet Religio Catholica Romana in ijs regionibus florebat; uti etiam viri docti senserunt hac de re per litteras à me consulti, præsertim Hermannus Chrombach So-

Genebr. in Chron. Ann. Christi 800. Imperante Carolo Magn.
Joan. Vastov. in Vite Aquilonia.
Joann. Magnus in Episcop. Upsal. lib. 1. cap. 3.
Joann. Bolland. & Frider. Hensch. S.I. in Act. SS. die 3. Februar.
Lupold. Luneburgensis de zelo Christiana Relig.
Dorgan. in Kal. Benedict.
Baron. in Annal. Eccl. tom. 9. & in notat. ad Martyr. Rom. 3. Februar.
Andr. Saussaius in suo Martyr. Gallic. ad diem 3. Februar.

cie

cietatis nostræ Theologus, & Laurentius Bojerus ejusdem Societatis Sacerdos in ode , quam adducit Vvastovius initio operis inscripti, *Vitis Aquilonia*, seu *Vitæ Sanctorum Aquilonarium* : more videlicet inter alias gentes recepto , quæ primos suos Episcopos, & Fidei Christianæ Magistros , Advocatos apud Deum, & Patronos sibi adsciscere consueverunt. Idem Bojerus Sueciæ Patronis adnumerat Sanctum Joannem Baptistam, & B. Laurentium Martyrem his versiculis : *Joann. Vvastovius.*

Hos inter ingens signifer emines
Christi Antecursor :
Inter Patronos tu quoque Principes
Adlectus olim Cratiger, inclyti
Cognominis, flammaque victrix
Cui sua tempora laurus ornat,
Vrbs Osca, quo se jactat Aragonum
Præstanti alumno.

Id etiam significare videtur Vastovius , cum initio suæ Vitis Aquiloniæ lectorum oculis tabellam exhibet , in qua Gothiæ, & Sueciæ Regna depicta visuntur , apposita hinc inde Sancti Joannis, & Levitæ Laurentij effigie ; quasi velint ea amantèr amplecti, & suo tueri patrocinio.

Cæterùm Anonymus quidam Author Suecus , hac de re à me consultus, sic rescripsit ab Stokolmio : *Quamquàm difficile sit pro certo affirmare, quos Suecia olim dum esset Romano-Catholica Patronos habuerit & Tutelares ; præcipuos tamen fuisse ex Chronico Laurentij Petri Archiepiscopi quondam Vpsaliensis, constat sequentes, S. Petrum, & S. Paulum Apostolos, S. Laurentium, S. Ericum Regem Vpsaliæ decollatum ; S. Henricum , S. Sigfridum, & S. Æschillum : quibus alij addunt S. Olaum , & S. Nicolaum.* De Sancto Anschario non meminit Joannes Sterk, Societatis nostræ Presbyter, Residentis Cæsarei Holmiæ commorantis Confessarius ; de Sueciæ Patronis per litteras rogatus ab Hermanno Chrombach suprà citato, sic scribit, litteris datis Anno 1670. *Rogaverat me P. Antonius de Macedo , ut inquirerem in Tutelares Sanctos Regnorum Sueciæ, & Daniæ Feci id sedulò : aliud verò nihil potui haberi certi, nisi quod è diversis intellexerim, utriusque Regni Patronum fuisse olim Sanctum Anscharium, Apostolum illarum gentium : Sueciæ autem Sanctum Ericum Regem , & Sanctam Birgittam : Daniæ Sanctum Kanutum itidem Regem.* Hactenùs Joannes in suis litteris ad Hermannum ; *Anonymus Author.*

S. Ericus.

num; de quo iterùm recurret sermo.

Annal. Dan. & Suec.

Revelat. S. Birgittæ cap. 27.

Joann. Magn. l. 19. Hist. Gothor. c. 10. & seqq. & Molan. & Canisius in suis Martyrolog.

Bosius de sign. Eccl. lib. cap. 1.

Breviar. Upsal.

C. Baron. assignat annum 1151. in notat. ad Martyrol. die Maij 18.

Saxo Grammatic. l. 14. de reb. Danic.

Joan. Olaus de reb. Got. lib. 19. c. 1.

Cæterùm omnium confessione constat, Beatum Ericum Sueciæ Patronum esse, Jaduardi filium, & Christinæ, Ingonis Regis filiæ conjugem, belli, & pacis artibus clarum; sed Christianâ pietate clarissimum: qui Basilicam Upsaliæ Cathedralem à prædecessoribus suis inchoatam, absolvit, ornavitq; marmoreis tabulis, picturis, & supellectili sacrâ: rempublicã prudentissimè gubernavit, Henrico Upsaliensi Præsule, cõsiliario, & administro usus, præstantis doctrinæ, & antiquæ probitatis viro: Finnos, seu Findlandos Christianæ Fidei, & Suedicæ gentis hostes, bello aggressus armis perdomuit; eosq; non tam suo, quàm Christi imperio subjecit, Henrico apud ipsos religionis Magistro, & morum Præfecto relicto. Apud Orientalem Upsaliam ab Henrico Scatelen, Suenonis Daniæ Regis filio, impiè occisus martyrij palmam obtinuit Anno salutis humanæ 1160. Corpus in templo Urbis Upsaliæ principe multis illustratum miraculis sepultum est, Imperante Friderico Ænobarbo, & Summo Pontifice Romano Alexandro, hujus nominis Tertio. Hæc Suecos impulerunt, ut illum sibi Patronum eligerent, quem optimum quondam Regem, & Patrem patriæ experti erant; etsi de anno, quo id factum fuit certò nobis constare non possit in tanta rerum vetustate, & superiori nobis seculo à Catholica, & vera Christi Fide Suecorum defectione, qui proinde sacra profanis miscere solent, & vera falsis involvere ne ad radios Romanæ veritatis offendant, & cultum Sanctis tribuant, quem eorum maiores tribuere anteactis seculis consueverant. In rem tamen nostrã R. P. Joannes Sterk, de quo paulò ante meminimus datis Holmiæ litteris ad P. Chrombach sic scribit: *Primus Sueciæ Senator, qui se gloriatur descendere ex Sanctæ Birgittæ familia, dixit Legato Gallico, Patronum Regni Sueciæ fuisse Sãctum Ericũ Regẽ, cujus sacrũ caput Upsaliæ asservatur.* Subjũgit: *Findlandiæ verò Patronum esse Sanctum Henricum Upsaliensem Episcopum, qui pro Christi Fide, quam Finnos, seu Findlandos docuit, ab eisdem fuit occisus.* Ita P. Joannes in suis litteris.

Joan. Magnus lib. 1. Episc. Upsal. & in Hist. Goth. l. 19. c. 3.

S. Henricus Episc. & M.

Vastovius in Vite Aquilon. à pag. 65.

Porrò Henricus natione Anglus, promovendæ Fidei studio incensus, in Sueciam venit; ibi Ericum Regem in Expeditione adversus Finnos suscepta comitatus est, debellatisque, ipsius apud Deum precibus, hostibus; Finnicæ gẽtis in Christo Pater, & Magister esse voluit, eam doctrinæ Christianæ

institutis, & bonis moribus informavit: & ab innata feritate ad Christianam traduxit mansuetudinem. Dumque implendis Apostolici viri partibus egregiam navat operam ab impijs sicarijs trucidatus ad cælestem patriam evolavit Anno Christi 1150. In Pago, Findlandiæ cui nomen Nautis, tumulatus: epitaphium idoneum sepulchro addidit Joannes Episcopus Abogensis Anno 1370. Caput Martyris, & brachia Abogiæ visebantur argento inclusa, cùm secula sub Regibus Catholicis aurea florebant; nunc autem ferro cincta videntur, cùm ferrea inter hæreses viget ætas, illato Sanctis, & Ecclesiæ Romanæ per Novatores bello, cultuque Sanctorum proscripto. Tumbam, quæ sacrum depositum continebat, ab Hæreticis dejectam fuisse; dispersos cineres, & tanti viri memoriam ausu temerario profanatam, scribit Joannes Magnus in suis Annalibus: quem tamen olim Finnonia, dum sui cōpos erat, & Catholicæ Religionis amans, Apostolum coluit, & Patronū habuit, multaque apud ejus sepulchrum beneficia recepit.

Bosius de sign. Eccl. lib. 4. c. 1.

C. Baron. tom. 12. Annal. Ecclesiast.

Codex vetustus m.s. in Cænobio Rubræ Vallis in Belgio.

Joannes Magnus in Historia Episcoporum Upsalensium disertis verbis appellat Henricum, Findlandiæ Apostolum, & Patronum; Ecclesiæ item Upsalensis, & Aboensis Tutelarem. In Sanctorum fastos relatus est ab Adriano IV. PP. Romano, & in gratiam tanti Martyris Abogiensis Ecclesia ad dignitatem Episcopalem evecta.

Hæc sunt, quæ rescire potuimus de Sueciæ, Gothiæque Patronis: de alijs supra enumeratis, ac de Sancta Birgitta Vidua, non ita certò constat, proindeque ab ijs referendis, vel etiam nostris commentariolis illustrandis, de industria abstinemus; quoniam nobis est animus certa tantùm, & explorata; non dubia, aut incerta litteris prodere.

MOS-

instituit, & bonis moribus informavit & ab infesta feritate ad Christianam traduxit mansuetudinem. Dumque impen-dis Apostolici viri partibus egregiam navat operam ab impiis sicariis trucidatus ad cælestem patriam evolavit Anno Christi 1160. In Pago, Finlandiæ cui nomen N[illegible]tis, tumul-tus: epitaphium idoneum sepulchro addidit Joannes Episco-pus Aboensis Anno 1370. Caput Martyris, & brachia Abo-giæ videbantur argento inclusa, cùm secula sub Regibus Ca-tholicis [illegible] florebant; nunc aureo ferro cincta videntur, cùm ferrea inter hæreticos viget ætas, illato Sanctis, & Eccle-siæ Romanæ per Novatores bello, cultuique Sanctorum pros-cripto. Tumbam, quæ sacrum depositum continebat, ab Hæreticis dejectam fuisse; dispersos cineres, & tanti viri me-moriam aut temerario profanatam, scribit Joannes Magnus in suis Annalibus: quem tamen olim Finnonia, dum sui cō-pos erat, & Catholicæ Religionis amans, Apostolum coluit, & Patronum habuit, multaque apud ejus sepulchrum benefi-cia recepit.

Bossius de sign. Eccl. lib. 4. c. 1.

C. Baron. tom. 12. Ann. Ecclesiast.

Cod. [illegible] in Catalo. Rubræ [illegible] Belgij.

Joannes Magnus in Historia Episcoporum Upsalensium disertis verbis appellat Henricum Finlandiæ Apostolum, & Patronum; Ecclesiæ [illegible]m Upsalensis, & Aboensis Tutela-rem. In Sanctorum fastos relatus est ab Adriano IV. P.P. Ro-mano: in gratiam tanti Martyris Aboensis Ecclesia ad dignitatem Episcopalem evecta.

Hæc sunt, quæ invenire potuimus de Sueciæ, Gothiæque [illegible] aliis supra enumeratis, ac de Sanctis Virginibus [illegible] certò constat, proinde quæ ab ipsis referendis, vel [illegible] commentariolis illustrandis, de industria absti-nemus; quoniam nobis sufficiunt vetera tanti [illegible] [illegible] dubia, aut incerta literis prodere:

MOSCOVIÆ.

QUÆ Russiæ caput est, suamque ditionem per Scythiam longè, latèque extendit, ijdem ferè, ac Russiæ sunt Patroni. Beatissimam inprimis Virginem Mariam, & Sanctum Nicolaum Myræ Episcopum miro pietatis sensu colunt Mosci, secuti hac in re, ut in multis alijs, Græcorum mores, qui magno honore illos prosequũtur. In media urbe Moscua, magni Ducatûs Moscoviæ metropoli, & emporio ad fluvium Moscum, templum visitur opere augustum, structura magnificum, antiquitate venerabile, Deiparæ Virgini sacrum, in quo magni Duces Moscoviæ solemnibus cæremonijs inaugurari consueverunt. Euntibus in bellum Ducibus donari solent ab ipso Principe magnæ Dei Matris, & Beati Nicolai effigies, quas etiam in campum educere motis est, & in acie pro tessera militari habere. Illustria non semel patrocinij sui in Moscos argumenta præbuit Virgo Sanctissima: unum è multis seligam, & in medium producam, ex quo pronum erit de reliquis conjecturam facere.

Anton. Possevinus S. I. de reb. Moscov.

Sigismũd. Liber Baro in Herbestain in Cõment. rer. Mosc. pag. 4. & 65.

Albert. Koialovick. S. I.

Anno salutis humanæ 993. Themiraffach, Tartarorum Princeps potentissimus, innumeris bellatorum copijs stipatus in Moscoviam irrupit; agris primùm vastitatem intulit; pecora abegit; urbes deinde, & pagos diripuit, & injectis flammis in cineres redegit; innumeros ex omni sexu, atque ætate mortales, vel ferro consumpsit, vel in diram servitutem abduxit. De occupanda postea Moscua, urbe regia, cogitavit. Cæterùm magnus Dux, & si Tartaro viribus impar erat, animum tamen non despondit; sed à Deo poposcit opem, & vincendi fiduciam in una Deipara Virgine collocavit, cujus effigiem miraculis, & Fidelium peregrinationibus illa ætate celebrem Ulodimiriæ colebatur, Moscuam adduci jussit solemni ad id instituta supplicatione; illaq; intra Urbis muros

S. V. Maria.

recepta, ac decenti loco reposita, suorum clientum bono, & saluti prospiciens, Tartarorum Principi métem injecit, ut aliò impetum belli verteret, nec Moscuam tentare bello, nec ultra Retzam progredi auderet. Tanto defuncti periculo cives Deiparæ Virgini grates egerunt, & illius nomine templum excitarunt ad alendam tanti beneficij memoriam, ac festum populo indixerunt vigesimum sextum Augusti diem, quo Tartarus, soluta urbis obsidione, in Tartariam se recepit.

S. Nicolaus Episc. Quod attinet ad Sanctum Nicolaum Episcopum; illum inter omnes cælites præcipua religione colunt Mosci; ac de ejus virtutibus, & miraculis quotidie ad populum verba faciunt in frequentissimo virorum, & fæminarum conventu: sacram illius imaginem in publicis solemnitatibus, & supplicationibus præferre soliti, & omnibus quibuscunque possunt modis, Nicolai memoriam illustrare, & celebrare contendũt, quò potentem apud Deum advocatum habeant, & intercessorem. Sed sine Fide Catholica, & Romana impossibile est placere Deo, aut Sanctis ejus, qua Mosci hac ætate carent multis Græcorum erroribus infecti, & ab Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra, perpetuo schismate disjuncti. Faxit Deus, ut ad se, & ad Christi caulas redeãt; & ejuratis in Fidem Catholicam erroribus, Summum Pontificem Romanum, verum, ac legitimum Dei in terris Vicarium, delato obedientiæ obsequio, recognoscant.

LI-

LIVONIAM

NOBILEM, & fertilem ad mare Balticum provinciam Riga metropolis, urbs olim Archiepiscopalis, & magni Equitum Teutonicorum magistri sedes, celebrem reddidit. Parebat olim Regi Poloniæ, & annuum vectigal pendebat: gaudebat in cæteris municipij jure. Hac ætate Regi Sueciæ maiori ex parte subest. Quatuor sub Catholicis Principibus Episcopatus habuit, Revaliensem, Curiensem, Derpatensem, Osilliensem Rigensi Archiepiscopo suffraganeos. Vendensis postea à Sisto V. Pontifice creatus, petente Stephano Battoreo Rege Poloniæ, qui Livoniam Moscis eripuit; occupata modò ab Hæreticis provincia, & proscripta Religione Catholica, unà cum reliquis extinctus est. Omittimus Culmensem, Sambiensem, & Pomesaniensem Episcopatus Rigensi etiam Metropolitano suffraganeos, quia ad Prussiam, vel Regalem, vel Ducalem, non ad Livoniam, pertinebant.

Albert. Miræus in notit. Episcop.

Gaspar Buschius caute legendus.

Falluntur, inquit Franciscus Boschetus in notis ad Epistolas Innocentij hoc nomine Tertij Pontificis Romani, *qui existimant ab Equitibus Teutonitis primum Christi Fidem in Livonia satam, cultamque fuisse: Albertus enim Rigæ Episcopus obtinuit à Pontifice Cruciatam: & Rigam prius muris cinxit: militum deinde Gladiferorum ope Lettiam, & Livoniam Christi jugo subjecit, quæ jam ab Anno* 1186. *Christianæ legi male parebāt: eo enim tempore Meynerus, seu Meynardus Sigebernensis Canonicus, vel Monachus, ut alij volunt, Fidei Christianæ lucem in illas regiones invexit; & Episcopali auctus dignitate ab Alexādro III. gentem illam ad Christi cognitionem reduxit; Livoniæ propterea* Apostolus *nominatus.* Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum Christi 1186. ita scribit: *Hoc anno contigit fundari in Livonia primam Sedem Episcopalem in oppido Riga sub patrocinio S. V. Mariæ; populo ex gentili superstitione ad*

Francisc. Boschet. in notis ad Epist. Innocent. III. epist. 141. l. 1. Regest. 13. pag. 86.

C. Baron. ad Ann. Christi 1168.

Christi Legem converso, opera, & prædicatione Meinardi Canonici Sigebergensis creati illorum Episcopi; *nec non Bertholdi Abbatis Lubecensis.* Quomodò ista contingerint, scribit Arnoldus, & Spondanus, quem curiosus Lector potest consulere.

Deipara V.M. Primariam Livonia Patronam agnoscit, & veneratur Beatissimam Virginem Mariam, ut ex antiquis monumentis familiæ Tyzenhausz in paucis nobilis, & vetustæ deducitur. Cùm enim naves aliquot onenariæ Germanorũ è mari Baltico reflantium ventorum vi coactæ, Dunæ fluvij ostia subiissent, ibique certiores facti essent de Lotavis hostibus, qui Livonicam oram insederant, arcemque idoneo in loco extruxerant, unde vicina mari oppida crebris excursionibus infestabant, duo germani fratres rerum gestarum fama illustres, & claris orti natalibus Vilielmus,& Reynoldus Tyzenhausz selecta stipati militum manu Germanis negotiatoribus suppetias missi sunt ab Urbano Papa IV. quorum alter Episcopus Rigensis fuit; alter gerendo cõtta hostes bello præfectus. Parta de Lotavis victoria, & latiùs armorum vi ditione, & Christi simul Religione per universam provinciam propagata, eamdem Deiparæ Virginis, quam pijssimè colebant,tutelæ, & servitio addixerunt; ita ut universa illa regio *Terra Sãctæ Mariæ* communi vocabulo diceretur; quod nomen honoris, ac pietatis plenum habuit ad hæresim usque Equitum Cruciferorum, ad quos illius Marianæ provinciæ imperium devolutum fuerat sub protectione Romani Imperatoris: inde suam duxit originem sacer ille mos pingendi in vexillis militaribus Sanctissimæ Virginis imaginem, eamque pro tessera militari habendi, prout narratur in historia Livoniæ ad Annum Christi 1179. Proximo nobis ævo occupata à Succis hostibus Livonia, omnia pietatis indicia, omnia sacræ antiquitatis monumenta delevit hæresis, eaque ferro, & flammis cõsumpsit; nec aliud modò superest,quàm campus ubi Troia fuit.

RUS-

RUSSIA

IN hunc usque diem in cognitione Christi perseverat: Græcorum tamen ritus, & mores sectatur, non paucis in Religionē Catholicam erroribus inquinatos. Metropolitam quondam habuit residētem Kioviæ, deinde Ulodomiriæ; nunc verò in urbe Moscua. Magnus Dux Moscoviæ maiori Russiæ parti dominatur: minori magnus Dux Lituaniæ, & Rex Poloniæ postquam in unum Reipublicæ corpus coaluit. Quàm fuerint Rutheni Ecclesiæ Romanæ olim amantes Isidorus ipsorum Archiepiscopus palàm ostendit in amplissimo illo totius Christiani orbis theatro, idest in Concilio Oecumenico Florentino sub Eugenio IV. Pontifice Romano, coacto; in quo cum Bessarione simul Metropolita Nicæno, author fuit concordiæ Latinos inter & Græcos: ac eam ob causam uterque ad Cardinalatûs dignitatem evectus est.

Possevinus in sua Moscovia.
Aubert. Miræus in notit. Episcopat. verbo, Russia.

In vetustis Ruthenorum Annalibus traditur ante Ulodomirum, & Helenam, Reges antiquos, & pietatis laude præstantes, Russiam universam à vano idolōrum cultu ad veram Christi Religionem conversam fuisse per Sanctum Andream Apostolum, quē ex proxima Græcia ad ostia fluvij Boristhenis venisse memorant, indeque adverso flumine subijsse ad montes, ubi nunc Kiovia eminet, ac ibi annuntiando incolis Evangelio egregiam navasse operam, non sine ingenti animarum fructu: longo postea terrarum tractu peragrato, in Græciam penetrasse, ibique in odium Fidei Christianæ ab Ægeo Antipatro cruci decussatæ affixum fuisse. Hæc Ruthenorum Annales. Ex ijs capta fortasse occasio piè colendi Sācti Apostoli memoriam, eumque *Primarij Patroni* loco habēdi. Matthæus tamen Michou in suis Commentarijs de rebus Poloniæ, aliâ institit viâ, & in hunc modum scribit: *Inter Sanctos*, inquit, *Russi plus colunt Sanctum Thadæum Apostolum,*

S. Andreas Ap.

Math. Michou rerum Polon. l. 2. c. 1.

asseverantes, quòd eos converterit, & Christi Fidem docuerit: deindè & Bartholomæum Sanctum Dei Apostolum venerantur; per quem multos articulos Fidei, ut asserunt, acceperunt. Hæc Michou. Græcorum verò Ecclesia in antiquis suis schismatibus, & erroribus perseverans, in eosdem secum traxit Russorum, vel Ruthenorum gentem, donec sedente Clemente VIII. Pōtifice Romano, Anno salutis humanæ 1596. missis ad urbem legatis obedientiæ obsequium vero ac legitimo Christi in terris Vicario detulit, ut patet ex Fidei professione à Kioviensi Metropolita, & sex Episcopis suffraganeis subscripta, & signata: eaque ratione in communionem Ecclesiæ orthodoxæ fuit recepta. Baronij Cardinalis tomum VII. Annalium consule ad calcem, Albertum Miræum in notitia Episcopatuum orbis Christiani, & Historicos recentiores, qui de Romanis Pōtificibus Annales texuerunt.

Cæterùm Russiæ tum Poloniæ Regno, tum Ducatui Lituaniæ adjunctæ Patroni his temporibus peculiares sunt Sancti David, & Romanus, communi vocabulo nominati Hlebus, & Boryssus, Duces Polociæ, filij Uladimiri, totius olim Russiæ Principis, Protomartyres, hoc est, primi, qui pro tuenda Christi Fide in ijs regionibus sanguinem fuderunt anno 1018. tanti facinoris authore Suantopello ipsorum fratre. Romanus quidem die 24. Julij: David autem 5. Septembris. Quiescunt sacra illorum corpora Vissogrodi in Ecclesia Sancti Basilij.

Albert. Kioalov. S. I. Sanctus Uladimirus Confessor, è Monarchis Russiæ primus, qui Religioni Christianæ nomen dedit, de quo paulò ante meminimus.

Sanctus Alexius Episcopus, & Confessor Kioviæ metropolitanus, in baptismo nominatus Eleutherius, adulta jam ætate, de Cælo ad sectanda Christi vestigia vocatus, spretis mundi delicijs, Sanct. Basilij religionem ingressus est, in quâ per aliquot vixit annos; donec ad apicem dignitatis Episcopalis evectus Ecclesiam Ruthenam magna probitatis & prudentiæ laude gubernavit cum Romana Ecclesia unitam. Deniquè ætate jam gravis, & meritis plenus, ad Deum migravit circa annum 1364. die 12. Februarij.

Sanctus Michael, Dux Czernihoviensis, Martyr, Batejo Scytha Russiæ tyranno, Russisque à Fide Christiana apostatis, tantum scelus exprobare ausus, vario primùm tormento-

rum genere cruciatus, deinde truncatus capite; semper in ore versans illa verba: *Christianus sum, Christianus sum:* martyrij palmam adeptus est Kioviæ die 20. Septembris circa annum 1235.

Præter Sanctum Andream, vetustum Ruthenæ gentis Patronum, de quo supra mentionem fecimus, Sanctum quoque Nicolaum Myrensem Episcopum, & Sanctum Georgium, magnum Christi Martyrem, ut Græci vulgò dicunt, Ruthenæ Ecclesiæ antiqui Patroni habentur. S.Nicol.Episc. Anonymus Author in Historia Monasterij Littorensis, non semel appellat Sanctum Nicolaum, *Græcorum Patronum*, *&* *Ruthenorum*: perinde enim est istorum, ac illorum Patronum esse, cùm utrique eosdem ferè ritus, & mores observent. Præterea cum Holmia, regia urbe Sueciæ, ego versarer anno 1651. cum Legato Portugalliæ, cui eram à Confessionibus, diligenter adverti Ruthenos commercij causa ibi commorantes, non alium inter omnes Sanctos maiori pietatis studio, & amore colere, quàm Sanctum Nicolaum Episcopum, (dummodò excipias Deiparam Virginem, cujus sunt studiosissimi.) De B. Georgio Martyre, alibi recurret sermo. S.Georgius M.

rum genere [illegible]us, du[illegible]: truncatus capite, sem-
per in ore verba [illegible] vox [illegible] Christianus sum, Christianus sum
martyrij [illegible] 20. [illegible] c-
ca [illegible].

Praeter Sanctum Andream, cultum Ruthenae gentis [illegible]
[illegible], de quo [illegible] quoq;
Nicolaum Myr[illegible] S[illegible] ma-
gn[illegible], Multi e
[illegible] Author [illegible]
Hi[illegible] Sanctum
N[illegible] peri[illegible]
[illegible] uti [illegible]
d[illegible] Praeterea cum Holmia re-
gi[illegible] 1581 cum Legato P[illegible]
[illegible] gente: [illegible] Ruthe-
[illegible] inter om-
[illegible], quem
S[illegible] excipies De-
[illegible] Virginem, [illegible]) De E. Geor-
[illegible]

S.Nicol.Epis.

S.Georgius M.



NORUEGIA

POST Daniam, & Sueciam tertium inter regna Aquilonaria locum tenet ad Oceanũ Septentrionalem: inde Nortmanni, & Dani egressi Britaniam, Galliam, & Germaniam populatibnibus, cædibus, & rapinis involverunt: nec ab ijs cessarunt donec partem illam Galliæ, quam de suo nomine dixerunt *Nortmanniam*, à Catolo Calvo Imperatore habitandam extorserunt: ab ijs progнati Nortmanni, qui victricia in Italiam arma intulerunt, sedesque locarunt in Apulia, & Sicilia, ac rebus præclarè in bello gestis sui nominis gloriam æternitati commendarunt. (quod attinet ad *Nortmanniam*, alij Authores melius referunt ad tẽpora Regis Caroli Simplicis, & Annum Domini circiter 912. ut benè advertit Spondanus in Epitome Annal. Baronij ad marginem.)

Baron. in An. Eccl. ad An. Christi 850.

Genebr. in Chron. lib. 4. Anno 899.

Spond. in Compend. Annal. Eccl. Baron. Anno 850. n. 3.

Nidrosiensis Archiepiscopus per Eugenium hoc nomine Tertium, Pontificem Romanum, creatus est in urbe Regni Principe *Trutheim*, vel *Trunheim* cõmuni sermone dicta, Anno Christi 1148. cui suberant octo Episcopales Ecclesiæ. Orcades Insulæ hodie ad Regnum Scotiæ pertinent, & Episcopus Orcadensis est Archiepiscopo Sanct Andreano in Scotia suffraganeus: olim tamen Orcades ad Regnum Noruegiæ pertinebant, & illarum Episcopus Archiepiscopum Nidrosiẽsem Metropolitanum recognoscebat. Berga inter alias urbes eminet emporio celebris, & mercatu nobilis. Cultus olim sacrarum Imaginum, ac Sanctorum cum Deo regnantium inter Noruegos floruit, dum hi Romanæ Ecclesiæ legibus paruerunt, & Romano Pontifici, legitimo Christi in terris Vicario obedientiæ obsequium detulerunt, suosque habuerunt Divos Tutelares, quos piè, ac religiosè colebant: inferente se se posteà per Noruegiæ urbes, oppidaque Lutheri hæresi, & pestiferæ contagionis more omnia corripiente, & corrumpente,

Michael Antoñ. Baudr. in Lexico Geographic. verbo Noruegia.

Aubert. Miræus in notit. Episcop. Orbis Christian. l. 4. c. 23.

Joan. Vastovius in Vite Aquilonia.

Kranzius in sua Metropoli l. 4. c. 8. & de reb. Norueg. in prologo.

pente, neglectus Superum cultus, combustæ & contritæ sacræ Imagines, Sanctorum invocatio damnata, & ab universo Regno proscripta: gens quippè suopte ingenio simplex, ac sincera facilè decipitur, & magistellos sequitur astutos & vafros quocumque illam ducere velint.

S. Olaus M. Anteactis tamen seculis Sanctum Olaum (Olavum appellant alij) Regem, ac Martyrem Noruegiæ fuisse *Patronum* viri docti litteris ad me Romam missis docuerunt. Regnavit Olaus Joanne XX. Pontifice Maximo, & Conrado II. Imperatore Germaniæ. Alterius Olai Daniæ, & Sueciæ Regis gener fuit. In Anglia Christianæ Fidei lucem hausit. Rotomagi in Nottmannia baptismum suscepit: in patriam jam reversus multos ex Anglia Fidei Magistros accersiri curavit, qui subditos sibi populos evangelicis præceptionibus imbuerent, ac excolerent; quibus ipse Apostoli magis, quàm Principis munus agens, sanctæ vitæ exemplis clarissimis prælucebat. Grave ac periculosum, sed necessarium bellum gessit adversus Canutum Daniæ Regem, qui Noruegiam armis sibi subjicere cupiebat: paribus utrinque viribus in dispari causa, varioque diu Marte pugnatum: cum aperto bello parū proficeret Danus, insidijs agere, dolisque conficere rem decrevit: maleficos, & magos, in quos gravi supplicio Olaus animadverterat, solicitavit ut necem Regi suo inferrent; Anno à Christo nato 1028. corpus Nidrosiam Regni caput delatū, & nobili sepulchro conditum, multis cœpit coruscare miraculis, & regnantis cum Deo gloriam mortalibus propalare; innumerosque excire Fideles ad illius memoriam votis, & peregrinationibus frequentandam. Hæc fuere in causa, ut eum sibi Noruegi Patronum apud Deum, & Advocatum cooptarent, ut præter Authores supracitatos advertit Joannes Vastovius in sua Vite Aquilonia.

Martyr. Rom. Julij die 29.
C. Baron. in not. ad Martyr. Rom. die 24. Julij.
Saxo Gramaticus l. 10. Hist. Daniæ.
Joan. Olaus. Hist. Goth. lib. 17. c. 21. 22. 23.
Baron. in An. Eccl. Ann. Christi 1028.
Adamus Bremensis Hist. Eccles. lib. 2. c. 40. & seqq.

S. Anscharius. Beatum etiam Anscharium novæ in Saxonia Corbeiæ Monachum, excellenti doctrina, ac pietate virum Noruegiæ Patronum fuisse meritò credimus, qui ob exantlatos immēsos in gentilium conversione labores à Gregorio Quarto PP. consecratus est primus Septentrionalium nationum (inter quos Noruegi recensentur) Archiepiscopus, sede tamen in Hamburgensi urbe constituta: cujus res præclarè gestas scriptis mandatas esse à Sancto Remberto ejus discipulo, & in Ecclesia successore, testatur Author, qui res ejusdem S. Remberti

Surius de Vitis SS. ad diem 4. Februar. tom. 1.

berti conscripsit, & Albertus Krantzius in Historia Saxonũ, & Adamus Canonicus Bremensis, qui summa fide, & candore Historiam texuit Ecclesiasticam provinciarum Borealium. Anno deinde salutis humanæ 832. habita Synodus, cui interfuit Ludovicus Pius Imperator, Hamburgensem urbẽ Transalbinarum gentium statuit Metropolim, Danorum, Sueonũ, Slavorum, Noruegorum, & aliarum adjacentium nationum Borealium, eique præfecit S. Anscharium earumdem nationũ Apostolũ, cui Gregorius Papa pallium misit, insigne plenitudinis potestatis, eumdemque, & successores suos constituit in omnibus illis regionibus Vicarios, & Sedis Apostolicæ Legatos. Paucis post annis Sedes Metropolitana ob justas causas à Nicolao Pontifice Bremam translata fuit, nobilem ad Visurgim fluvium Urbem Anno videlicèt Christi 850. Meritò igitur S. Anscharium Noruegiæ Patronum dicimus; tum quia Ecclesia Noruegiæ Hamburgensi, vel Bremensi, cujus Antistes fuit Anscharius, subjecta erat; tum quia illius gentis fuit Apostolus, & Magister, quemadmodum & aliarum ad Septentrionem nationum, ut non semel advertimus.

Annal. Cardin. Baronij ad Ann. Christi 826. n. 3.

Adamus Brem. l. 1. c. 17.

Krantzius Hist. Saxon. l. 1. c. 20.

Baron. tom. 10. Annal. Ann. 858. n. 13.

Adamus Brem. in Hist. Eccles.

Aubert. Miræus in notit. Episcop. lib. 5.

C. Baron. in Annal. Eccl. Anno Christi 1062. n. 5.

Sanctorum Tutelarium memorias, & Patronorũ in suos clientes beneficia hinc, inde veluti carpẽdo collegimus; eosque pro nostri instituti ratione ante oculos lectorum proponere in religionem vertimus. Officij nostri est sacras illorum memorias venerari, vestigijs insistere, virtutes imitari, ad eorum patrocinium, ac tutelam confugere cùm laborum põdere premimur, cùm tentationum jaculis ab humani generis hostibus impetimur. Ab illis etiam summis precibus contendere, ut gentes sub suam receptas clientelam suo velint patrocinio tueri; illarum bono, ac saluti consulere. In portu ij jam morãtur tutissimo mundi tempestatibus felicissimè defuncti, nullis vitæ periculis obnoxij, læti, ac hilares secura in statione quiescunt: nostri misereri dignentur qui furentis pelagi fluctibus huc, illuc jactamur, incerti quò fata ferant, ubi sistere detur. Factis impleant Patronorum nomen, & officium, causas suorum clientum apud supremum Judicem in nostram utilitatem pijssimi Advocati agant, quò exactâ vitæ hujus periodo, & confecto felicitèr navigationis cursu, cum illis tandẽ ad patriæ cælestis portum salvi, & incolumes appellamus.

Berti conci [illegible] In Illiria : S [illegible]
& A [illegible]
re [illegible]
Anno [illegible] Syn [illegible]
dijt L [illegible] Pius [illegible]
ali [illegible]
Slavon [illegible] Nouue [illegible]
Boreali [illegible]
A [illegible]
n [illegible]
o [illegible] Virginis [illegible]
gat [illegible]
I [illegible]
V [illegible] Unde [illegible] Anno [illegible]
ro [illegible] A [illegible]
qui [illegible] N [illegible]
[illegible]
[illegible]
p [illegible]

S A [illegible]
S [illegible]
c [illegible]
[illegible]

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Numerus paginam indicat.

S. V. MARIA.

S. MICHAEL ARCH.

De

CONSTANTINOPOLIS.

NEAPOLIS.

FLORENTIA.

SENA.

PISA.

RAVENNA.

GENUA.

BONONIA.

MEDIOLANUM.

VENETIÆ.

PATAVIUM.

SABAUDIA.

SICILIA.

PANORMUS.

MESSANA.

SARDINIA.

HISPANIA.

LUSITANIA.

INDIA ORIENTALIS.

ARAGONIA.

CATALONIA.

VALENTIA.

NAVARRA.

AUSTRIA.

GALLIA.

BAVARIA.

MOGUNTIA.

COLONIA.

AUGUSTA TREVIROR.

SAXONIA.

THURINGIA.

SILESIA.

MORAVIA.

BELGIUM.

ANGLIA.

SCOTIA.

HIBERNIA.

POLONIA.

LITUANIA.

PRUSSIA.

DANIA.

SUECIA.

S.

MOSCOVIA.

LIVONIA.

RUSSIA.

NORUEGIA.

CATALOGVS SANCTORVM,

QVI PROVINCIARVM, REGNOrum, & Vrbium ſunt Patroni ordine alphabetico deſcriptus.

A

SAnctus Adalbertus Ep. & M. Patr. Hungariæ, Poloniæ, Bohemiæ, Ruſſiæ.
S. Albertus C. Patr. Meſſanæ in Sicilia.
S. Alexius Patr. Kioviæ.
S. Agnellus C. Patr. Neapolis.
S. Agri ppinus Ep. & C. Patr. Neapolis.
S. Adjuctor M. Patr. Auguſtæ Taurinorum.
S. Ambroſius Eccl. Doctor, Patr. Mediolani & Bononiæ.
S. Andreas Ap. Patr. Burgundiæ, Scotiæ, Ruſſiæ, & C.polis.
S. Andreas Avellinus C. Patr. Neapolis.
S. Anſcharius C. Patr. Daniæ, Sueciæ, ac Noruegiæ.
S. Anſanus M. Patr. Urbis Senenſis in Etruria.
S. Angeli Cuſtodes Regnorum.
S. Antonius de Padua C. Patr. Patavij, Neapolis, & Genuæ.
S. Antiochus M. Patr. Sardiniæ Inſulæ.
S. Apollinaris Ep. & M. Patr. Ravennæ.
S. Aſprenus Ep. & C. Patr. Neapolis.
S. Athanaſius Ep. & C. Patr. Neapolis.
S. Aubertus Ep. & C. Cameraci Patr. in Belgio.
S. Auguſtinus Eccl. Doctor, Patr. Panormi in Sicilia.

B

Sanctus Barnabas A. Patr. Diæcesis Mediolanensis.
S. Bavo Patr. Gandavi in Flandria.
S. Bernardus Abbas, Patr. Burgundiæ.
S. Birgitta V. Patr. Hiberniæ.
S. Benignus Patr. Burgundiæ.
S. Bonifacius Ep. & M. Patr. Moguntiæ, & Thuringiæ.
S. Bonifacius M. & Monachus, Patr. Russiæ.

C

Sanctus Casimirus C. Patr. Lituaniæ, & Poloniæ.
S. Canutus Rex, & C. Patr. Daniæ.
S. Cassius M. Patr. Coloniæ.
S. Cæcilia V. Calaritana. Patr. Sardiniæ.
S. Colomanus M. Patr. Austriæ.
S. Columba Abbas Patr. Hiberniæ.
S. Cyrillus Patr. Moraviæ.

D

Sanctus Damasus Papa, Patr. Vimarani in Lusitania.
S. Daniel Levita, & M. Patr. Urbis Patavinæ.
S. David M. Patr. Russiæ.
S. Demetrius M. Patr. Hungariæ.
S. Dionysius Areopagita, Patr. Galliæ.
S. Dominicus C. Patr. Neapolis, & Bononiæ.
S. Donatianus Patr. Brugarum in Flandria.

E

Sancta Elisabetha vidua Patr. Hungariæ.
S. Emericus, Patr. Hungariæ.
S. Ericus Rex, Patr. Sueciæ.
S. Euphebius Ep. & C. Patron. Neapolis.

F

Sanct. Felix M. Patr. Mediolani.
S. Firminus Ep.& M. Patr. Navarræ.
S. Ferreolus M. Patr. Vesontij in Burgundia.
S. Ferrucius M. Patr. Vesontij.
S. Florianus M. Patr. Bononiæ, & Poloniæ.
S. Franciscus patens Minorit. Patr. Bononiæ.
S. Franciscus de Paula Patr. Neapolis.
S. Franciscus Xaverius S. J. Patr. Navarræ, Neapolis, Indiæ Orientalis, & Panormi in Siciliâ.

G

Sanctus Galenus M. Patr. Geldriæ.
S. Gavinus M. cum Socijs Patr. Turritanæ Urbis in Sardinia.
S. Georgius M. Patr. Aragon. Angliæ Cataloniæ, C.polis, Daniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Lituaniæ, Genuæ, Siciliæ.
S. Gerardus Ep.& M. Patr. Hungariæ.
S. Gereon cum Socijs MM. Patr. Coloniæ.
SS. Gervasius, & Protasius MM. Patr. Mediolani.
S. Gudula V. Patr. Bruxellæ.
S. Gondulfus Ep.& C. Patr. Trajecti.
S. Giraldus Ep.& C. Patr. Bracharæ Augustæ in Lusitania.

H

Sancta Heduigis vidua, Patr. Poloniæ, ac Silesiæ.
S. Helena Imperatrix, Patr. Augustæ Trevirorum.
S. Henricus Ep. & M. Patr. Sueciæ, & Findlandiæ.
S. Hiacynthus C. Patr. Poloniæ.
S. Hubertus Ep.& C. Patr. Tungrorum.

I

Sanctus Jacobus Maior Apostolus, Patr.Hispaniarumm, Frisiæ, Indiæ Orient. Urbis Venetæ, & Pisanæ, Augustæ Taurinorum.

B. Jacobus de Marchia Minorita, Patr.Neapolis.

S. Januarius Ep.& M. Patr.Neapolis.

S. Joannes Baptista, Patr.Galliæ, Florentiæ, Genuæ, Insubriæ, Mediolani.

S. Joannes Eleemosin. Ep. Alexandrinus, Patr. Hungariæ.

B. Josaphat Ep.& M. Patr. Lituaniæ.

S. Joseph Sponsus B. V. M. Patr. Bohemiæ.

S. Irene V. & M. Patr.Scalabis in Lusitania.

L

Sanctus Ladislaus C. Patr. Hungariæ, & Poloniæ.

S. Lambertus Ep. & M. Patr. Leodij in Belgio.

S. Laurentius Levita M. Patr.Genuæ.

S. Laurentius Justinianus, Patr.Venetiarum.

S. Leopoldus C. Patr.Austriæ.

S. Libuinus Patr.Gandavi in Flandria.

S. Ludmilla vidua, & M. Patr.Bohemiæ.

M

Sanctus Mancius Ep.& M. Patr.Eboræ in Lusitania.

S. V. Maria, Romæ, C.polis, Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Aragoniæ, Valentiæ, Bavariæ, Hungariæ, Siciliæ, Burgundiæ, Poloniæ, Livoniæ, Austriæ, Sardiniæ, Indiæ, utriusque, Belgij, Frisiæ, Barbantiæ, Artesiæ, Angliæ, Moscoviæ, Æthiopiæ, Florentiæ, Neapolis, Pisarum, Bononiæ, Messanæ, Antuerpiæ, Bruxellæ, Lovanij, Leodij, Cameraci, Trajecti, Orbis denique universi Patrona, & Tutelaris.

SS. Magi Reges Patr. Coloniæ.

S. Marcus Evangelista, Patr. Venetæ Urbis.

S. Martinus Ep. Turonensis, Patr. Galliæ, Hungariæ, ac Moguntiæ.
S. Methodius Ep. Patr. Moraviæ.
S. Mauritius Thebæorum MM. ac militum Præfectus, Patr. Sabaudiæ.
S. Michael Archang. Ecclesiæ Catholicæ Patr. Galliæ, & C.polis Urbis.
S. Michael Dux M. Patr. Kioviæ.
S. Miniatus M. Patr. Florentiæ.
SS. Martyres innumerabiles Patr. Augustæ Trevirorum.

N

SAnct. Nabor M. Patr. Mediolani.
S. Nazarius M. Patr. Mediolani.
S. Nicolaus Ep. Patr. Lituaniæ, Moscoviæ, Russiæ, Venetæ Urbis.
S. Norbertus Ep. & C. Patr. Bohemiæ.

O

SAnctus Octavius M. Patr. Augustæ Taurinorum.
S. Olaus Rex M. Patronus Daniæ, & Noruegiæ.

P

SANcta Patritia V. Patr. Neapolis.
S. Patritius Ep. & C. Patr. Hibeniæ.
S. Pantaleo M. Patr. Urbis Portucalensis in Lusitania.
S. Paulus primus Eremita Patr. Hungariæ.
S. Petronius Ep. & C. Patr. Bononiæ.
S. Petrus Apost. Patr. Angliæ, Saxoniæ, Flandriæ, Romæ, C.polis, Coloniæ, Augustæ Trevirorum.
S. Paulus Apost. Patr. Romæ, C.polis, Galliæ.
S. Philippus Nerius C. Patr. Neapolis.
S. Placidus M. cum Sociis MM. Patr. Messanæ in Sicilia.
S. Procopius Abbas, Patr. Bohemiæ.

S. Proculus M. Patr. Bononiæ.

R

SAncta Reparata V. & M. Patr. Florentiæ.
S. Romuldus C. Patr. Machliniæ.

S

SAnctus Saturninus M. Patr. Calaris in Sardinia.
S. Sebastianus M. Patr. Romæ, Mediolani, Lusitaniæ.
S. Secundus M. Patr. Augustæ Trevirorum.
S. Severus Ep. & C. Patr. Neapolis.
S. Servatius Ep. & C. Patr. Trajecti.
S. Severinus Patr. Coloniæ.
S. Sigismundus M. Patr. Bohemiæ.
S. Sisenandus M. Patr. Pacis Juliæ in Lusitania.
S. Solutor M. Patr. Augustæ Taurinorum.
S. Stanislaus Ep. & M. Patr. Poloniæ.
B. Stanislaus S. J. Patr. Poloniæ.
S. Stephanus Rex, & C. Patr. Hungariæ.

T

SAnct. Thomas Apostolus Patr. Indiæ Orientalis.
S. Thomas Aquinas C. Patr. Neapolis.
S. Theodorus M. Patr. Urbis Venetæ.
S. Theotonius C. Patr. Leiriæ, ac Visei in Lusitania.
S. Thyrsus cum Socijs MM. Patr. Augustæ Trevirorum.
S. Teresia V. Carmelitana, Patr. Neapolis, & Hispaniæ.

V

SAnctus Valenus M. Patr. Geldriæ.
S. Vedastus Ep. & C. Patr. Atrebat. & Artesiæ.
S. Vitus M. Patr. Bohemiæ, & Saxoniæ.

S. Ula-

S. Uladimirus C. Patr. Russiæ.
S. Vincentius Levita M. Patr. Ulyssiponis in Lusitania.
S. Ursula V. & M. cum Virginibus Socijs MM. Patrona Coloniæ, & Hungariæ.
S. Venceslaus M. Patr. Bohemiæ, & Poloniæ.

Z

SAnctus Zenobius Ep. & C. Patronus Florentiæ.

ERRATA.

PAg. 10. tercentorum, tercentarum.
Pag. 15. auspicij, auspicijs.
Pag. 23. ali, alijs.
Pag. 44. alendo, alendos.
Pag. 44. Epolim, C.polim.
Pag. 45. Epolitani, C.politani.
Pag. 54. Bytantium, Byzantium.
Pag. 128. gladeferi, gladiferi.
Pag. 158. aliquod, aliquot.
Pag. 204. Idu, Idus.
Pag. 232. quorum, quarum.
Pag. 235. Gallæci, Gallæcia.
Pag. 241. alendo, alendos.
Pag. 246. adderat, aderat.
Pag. 264. Indiæ, India.
Pag. 300. Galliæ, Gallia.
Pag. 300. exigi, erigi.
Pag. 337. Andrea, Andreæ.
Pag. 368. eos, eas.
Pag. 440. implores, imploret.
Pag. 452. inuavit, innovavit.
Pag. 480. urbes, urbe.

LAVS DEO, ET SANCTIS EJUS.